JACOBI DE SAINTEBEUVE ... TRACTATUS DE SACRAMENTIS CONFIRMATIONIS...

Jacques : de Sainte Beuve,
Jerome : de Sainte Beuve

JACOBI DE SAINTEBEUVE
DOCTORIS ET SOCII SORBONICI,
ET IN ACADEMIA PARISIENSI
REGII THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS CONFIRMATIONIS ET UNCTIONIS-EXTREMÆ.

Opus posthumum.

Curâ & studio HIERONYMI DE SAINTEBEUVE Prioris Montis Aureoli.

LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud GUILLELMUM DESPREZ, Typographum & Bibliopolam, viâ ad S. Jacobum, sub insigni S. Prosperi & trium virtutum.

M. DC. LXXXVI.
Cum Approbatione Doctorum & Privilegio Regis.

H. DE SAINTEBEUVE

PRIOR MONTIS AUREOLI.

AD LECTOREM.

OFFERO tibi, erudite Lector, cariſſimi dum vixit fratris mei opuſcula duo : alterum de Confirmatione, de Extremaunctione alterum. Meum non eſt de utroque judicare (nam fratri de fratre vix creditur.) Alieni, atque etiam poſteri judicium non ſuſpectum ferent. Meæ ſunt partes exponere, quibus rationibus frater meus ad hæc opuſcula ſcribenda impulſus ſit, & cur ego poſt octo annos quàm deceſſit, ea edere diſtulerim.

Arbitrabatur frater, proprium ac peculiare Doctoris Theologi munus, officiumque eſſe, omnibus conſulentibus reſpondere; ipſos juvare conſiliis, dubios confirmare; & ampliſſimum eruditionis ſuæ fructum ſe capere, ſi in optimum quemque redundaret. Quam ob cauſam janua ejus ſemper adeuntibus patuit. Petebant alii,

ut aliquid controversum inter Catholicos & Hæreticos exponeret: alii ut de rebus ad Historiam Ecclesiasticam, aut ad mores pertinentibus sententiam suam aperiret. Ignotissimos quosque tanquam familiares libenter admittebat, audiebatque patientissimè. Malebat quippe eos multa supervacua effundere, quàm aliqua necessaria præterire. Non is erat, qui colloqui cupientes simulatis occupationibus longum in tempus differret. Sæpe enim & à cena, & à somno etiam abstinebat, nonnumquam & suas ad Deum preces interrumpebat, ut consilium petentibus daret. Si quando autem ipsi ardua & difficillima proponebantur, extemporali scripto minimè respondebat, sed statim decurrebat ad libros. Hinc fit, ut in responsis nihil ferè affirmet, quod sacræ Scripturæ autoritate, decretis Conciliorum, & sanctorum Patrum testimoniis non probet ac fulciat.

Jam verò quis referre valeat, quot & quanti ex omnibus Galliæ Provinciis, genere & dignitate spectabiles hominem nonnumquam solo sibi nomine, solâ famâ notum per epistolas consuluerint? quibus studebat utilia magis quàm grata præstare consilia, dare responsa.

Joannes Dallæus Minister Carentonensis, de Confirmatione, & Extrema-unctione scripserat. Eam disputationem diligenter lectitavit frater meus, animadvertitque tanta arte esse compositam, ut antiquitatis Ecclesiasticæ ignari venenum latens nequaquam possent deprehendere. Rogantibus igitur amicis ut solveret argumenta, quibus Dallæus Confirmationem & Unctionem impugnarat, & probasse sibi videbatur utramque ex albo Sacramentorum eradi oportere: credidit frater se facturum operæ pretium, si de ambobus Sacramentis

ſententiam Eccleſiæ Catholicæ ſacrâ Scripturâ, & veterum Patrum, ac Conciliorum auctoritate confirmaret, & errores huic dogmati contrarios refelleret. Opus ſuum abſolutum doctorum judicio ſubmiſit: quod illi non modò ad convincendos Hæreticos, ſed etiam ad confirmandos Catholicos utiliſſimum & luce digniſſimum eſſe una voce cenſuerunt. At frater cùm ab edendi propoſito maximè eſſet alienus, Permittite, rogo vos, inquit, ut de hoc opere faciam, quod de cæteris omnibus meis lucubrationibus Theologicis hactenus feci. Haſce lectitandas & exſcribendas libentiſſimè ac ſæpiſſimè ſtudioſis tradere conſuevi: quarum frequens exſcriptio multarum editionum poteſt eſſe loco. Quam igitur ſibi vivens frater meus legem impoſuit, eamdem poſt ejus obitum ipſe quoque religiosè ſervavi: ſcripta ejus eruditis petentibus commodare contentus. Sed cùm nonnulli etiam quædam peterent à me, quæ in fraternis ſcriniis non reperiebam, ſtatim intellexi multa fraude falſorum amicorum fuiſſe intercepta atque ſuppreſſa: & ægrè admodùm tuli, homines tam iniquos inveniri, ut talentum alienum terræ malignè infodiant, & ſcripta quibus uſi ſunt aliis invideant, metentes ubi non ſeverunt, & congregantes ubi non ſparſerunt: quibus convenit diſtichon hoc veteris Poetæ.

Multa rogant tradenda ſibi: data reddere nolunt.
Perdis, & in damno gratia nulla tuo eſt.

De tanta injuria cùm apud amicos quererer, plerique reſponderunt, exemplaria opuſculorum fratris mei, de quibus ſuprà locutus ſum, quæ complures manuſcripta

penes ſe haberent, pro nihilo haberi oportere: quippe amanuenſes, ut docti videantur, corrigere vel potiùs depravare, quæ non intelligunt: quorum inſcitia & errores auctoribus imputantur. Adjecerunt inſuper, niſi ſcripta fratris mei, quæ mihi ſalva ſupereſſent, ociùs in lucem emitterem, haud dubiè eamdem quam cætera quæ periiſſent, ſortem ſubitura, & ſine fructu poſteritatis abitura.

His rationibus impulſus, fratris mei libros edere decrevi. Editionem auſpicor à Sacramentis Confirmationis & Unctionis-extremæ: quæ opuſcula nunc præſertim maximo poſſunt eſſe uſui ad erudiendos Neophytos, qui ad Eccleſiam Catholicam decurrunt, à qua majores ipſorum nefando ſchiſmate receſſerant. Reddent mihi, ut ſpero atque confido, ſcripta fratris mei, quicumque poſſident: poſtquam viderint nullo ea jure, ne imaginario quidem, à ſe poſſe diutiùs retineri.

Interim undequaque colligo reſponſa ejus ad multas quæſtiones ipſi propoſitas de quibus unum volumen brevi typis mandabo. Nam magna longaque exſpectatio eſt, quam fruſtrari & differre non debeo. Primum illud reſponſorum volumen varias & multiplices de moribus quæſtiones continet, &, ut ſpero, lectoribus gratius acceptiuſque futurum eſt alio volumine, quod compoſuerat, in quo pleræque quæſtiones ſunt de uſuris quæ fiunt à ruſticis: illud ipſo vivo ac inſciente editum eſt ſub titulo caſuum Alectenſium. Cæterùm oro obteſtorque omnes qui hujuſmodi reſponſa quacumque ratione apud ſe habent, ut eorum mihi copiam faciant. Ea non deſidero, ut fratris mei memoriam extendam, ſed ut publicæ utilitati conſulam, cujus beneficii memoriam

ſemper ſum ſervaturus, & omnibus invicem officiis certaturus. Nec quiſquam vereri debet, ne in his quæ editurus ſum, veſtigium ullum appareat, quo deprehendi poſſit de quibus perſonis agatur. Vale, erudite Lector, & fruere.

APPROBATIO DOCTORUM Parisiensium.

NOS infrà scripti Doctores Theologi Parisienses certum facimus legisse, & cum cura recensuisse duos *Tractatus de Sacramento Confirmationis & Extremaunctionis*, ad confutationem errorum Joannis Dallæi, superstitionis Calvinianæ in templo Charentonio Ministri, summo studio & eruditione elaboratos, auctore S. M. N. Jacobo De Sainte beuve, sacræ facultatis Parisiensis Doctore, socio Sorbonico, & sacræ Theologiæ Professore Regio conscriptos, nihilque in eis deprehendisse à fidei Christianæ regulis & Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ legibus alienum. In quorum fidem subscripsimus. Parisiis Kalendis Februarii anni Repar. Salut. Humanæ M. DC. LXXXVI.

A. FAURE.

J. BOILEAU Decanus Ecclesiæ Senonensis.

Alia Approbatio.

QUAM sibi famam, oris sapientiâ, vivens meritò comparavit eximiam M. Jacobus De Sainte Beuve Sorbonæ Doctor & Regius sacræ Theologiæ Professor: hanc scriptorum eruditione singulari, mortuus æternùm conservabit illæsam. Ejus nunc prodeunt *Tractatus duo: Alter de Confirmationis, alter de Extremaunctionis Sacramento.* Utrumque planè utilem judicavi, tum ad Catholicorum fidem confirmandam, tum ad Hæreticorum perfidiam revincendam. His igitur tutò utere Lector. Parisiis. Die 1. Martii An. D. 1686.

Fr. NICOLAUS ROBINE Augustinensis.

INDEX.

INDEX

Titulorum Tractatûs de Confirmatione.

DISPUTATIO PRIMA.

De variis erroribus circa illud Sacramentum.

ARTICULUS I. DE Præcipuis ejus Nominibus. pag. 1
ARTICULUS II. De erroribus circa rationem Sacramenti novæ Legis convenientem Confirmationi. 3
Novatiani. 4
Valdenses & Albigenses. ibid.
Wiclefus. 8
Hussitæ. 9
Lutherani. ibid.
Calvinistæ. 10
Theologorum Scholasticorum placita. 11
ART. III. De erroribus circa Materiam Sacramenti Confirmationis. 13
Valdenses. ibid.
Lutherani. ibid.
Calvinistæ. 14
ART. IV. De erroribus circa Formam Confirmationis. 15
Lutherani. ibid.
Calvinistæ. 16
ART. V. De erroribus circa Gratiam, præcipuum Confirmationis effectum. 17
Lutherani. ibid.
Calvinistæ. ibid.
ART. VI. De erroribus circa Characterem, alterum Confirmationis effectum. 18
Lutherani & Calvinistæ. 18
ART. VII. De erroribus circa Ministrum Confirmationis. ibid.

Valdenses, Wiclefus & Hußitæ. ibid.
Lutherani. ibid.
Calvinistæ. 20
Art. VIII. De erroribus circa necessitatem Confirmat. 21
Art. IX. De erroribus circa ritus Confirmationis. ibid.
Lutherani. ibid.
Calvinistæ. 22

DISPUTATIO SECUNDA.

De Confirmationis ratione Sacramentali.

Art. I. UTrùm probari possit ex Scripturis Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis. 23
Propositio. Probatur efficaciter ex Scripturis Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis. 25
Art. II. Utrùm probari possit ex Traditione &c. 39
Clemens Romanus. 42
Justinus Martyr. 44
Athenagoras. 46
Theophylus Antiochenus. ibid.
Tatianus. 47
Ireneus. 48
Tertullianus. 49
Clemens Alexandrinus. 60
Origenes. 62
Cornelius Romanus Pontifex. ibid.
Cyprianus. 68
Dissertatio. De manûs impositione, per quam conversi ab hæresi recipiebantur in Ecclesia. 78
I. Prop. Impositio manuum per quam Hæretici baptizati in Ecclesia redeuntes ad illam recipiebantur, non est confirmatoria. 79
II. Prop. Ea erat impositio manûs in pœnitentiam. ibid.
III. Prop. Hæretici baptizati extra Ecclesiam recipiebantur per manùs impositionem in pœnitentiam. 80
IV. Prop. A vi. sæculo, conversi ab hæresi reconciliati sunt in Ecclesia variis modis apud Occidentales: quidam per simplicem manuum impositionem; alii per unctionem sim-

plicem, nonnulli per manûs impositionem & unctionem simul, cæteri per fidei professionem. 98

V. Prop. In Oriente redeuntes ab hæresi reconciliabantur aut per unctionem, aut per fidei professionem. ibid.

Firmilianus. 99
Concilium Eliberitanum. ibid.
Concilium Arelatense I. 107
Concilium Laodicenum. 108
Optatus Milevitanus. 110
Cyrillus Hierosolymitanus. 114
S. Pacianus Barcinonensis. 120
S. Ambrosius Mediolanensis. 128
Ambrosiaster. 130
Aurelius Prudentius. ibid.
S. Hieronymus. 132
S. Joannes Chrysostomus. 142
Innocentius I. ibid.
S. Augustinus. 150
Sedulius Scotus. 168
Theodoretus. ibid.
Cyrillus Alexandrinus. 169
Leo Magnus. 170
Hilarius Arelatensis. ibid.
Gennadius Constantinopolitanus. 174
Primasius. ibid.
S. Remigius Remensis. 175
S. Gregorius Turonensis. ibid.
Job Monachus. ibid.
S. Gregorius Magnus. 176
Eulogius Alexandrinus. 177
Concilium Hispalense II. 178
Concilium Toletanum IV. ibid.
S. Isidorus Hispalensis. ibid.
Beda venerabilis. 180
Gregorius III. 182
Zacharias. ibid.
Concilium Liptinense. ibid.
Joannes VIII. 183
Ordo Romanus. ibid.
Jesse Ambianensis. ibid.

Theodulphus Aurelianensis. 184
Magnus Senonensis. ibid.
Amalarius Fortunatus Trevirensis. ibid.
Rabbanus Maurus Moguntinus. 185
Heraldus Turonensis. 186
Ratramnus Corbiensis Monachus. ibid.
Jonas Aurelianensis. ibid.
Author libri de divinis Officiis. 187
Alcuinus. ibid.
Aponius. 188
Concil. Cabilonense II. ibid.
Concil. Parisiense VI. 189
Vita S. Ludgeri. 197
Occumenius. ibid.
Lancfrancus Cantuariensis. 198
Anselmus Cantuariensis. ibid.
Petrus Damiani. ibid.
Simeon Thessalonicensis. 199
Yvo Carnotensis. ibid.
Gofridus Vindocinensis. 200
Honorius Augustodunensis. 201
Rupertus Abbas Tuitiensis. 202
Hugo de S. Victore. 203
Petrus Lombardus Parisiensis. ibid.

ART. III. Testimonia ex authoribus incertis pro Confirmationis Sacramento afferuntur & examinantur.
Clemens Romanus. 204
Justinus Martyr. 205
Dionysius Areopagita. ibid.
Vrbanus. ibid.
Fabianus. ibid.
Eusebius. 206
Melchiades. ibid.
Damasus. 207
Joannes III. ibid.
Cyprianus. ibid.

ART. IV. Probatur Confirmationem esse Sacramentum, ex speciali quorumdam Patrum opinione. 208

ART. V. Comparatur opinio Dallæi cum sententia Calvini. ibid.

Art. VI. Solvuntur objectiones adversariorum contra doctrinam superiorum articulorum. 210

DISPUTATIO TERTIA.

De materia Confirmationis.

Atr. I. Utrùm impositio manuum sit materia Confirmationis? 221
I. Prop. Impositio manuum est materia essentialis Sacramenti Confirmationis. 225
II. Prop. Manûs impositio essentialis materia Confirmationis non est ipsa inunctio manu Episcopali facta, quæ sic nuncupetur, eò quòd manu fiat. 234
Quæres I. An utraque manus imponenda sit, vel altera sufficiat? 236
Quæres II. Dextra ne an sinistra? 237
Quæres III. Quare ritus manûs impositionis usurpetur? ib.
Art. II. Utrùm unctio sit materia proxima Sacramenti Confirmationis? 238
I. Prop. Rectè Sirmondus observat prima illa ætate conjungi solitam unctionem manuum impositioni. 240
II. Prop. Sirmondus non rectè probat solitam prima illa ætate Chrismatis unctionem ante manuum impositionem peragi, & hanc illi succedere. 240
III. Prop. Quando per ea tempora Baptismus peragebatur absque Confirmatione, Episcopus qui baptizatum à Presbytero confirmabat, manûs adhibebat impositionem, & postea Chrismate perungebat. ibid.
IV. Prop. Secundâ illâ ætate, quam Sirmondus designat, sejuncta non fuit reipsa & tempore Chrismatio à manûs impositione, quam Chrismationem Presbyteri & Diaconi inter baptizandum facerent, reservatâ soli Episcopo manûs impositione. 241
V. Prop. A temporibus Innocentii I. unctio semper fuit adhibita in Confirmatione. 243
VI. Prop. Probabilius est, quòd unctio non sit materia essentialis Sacramenti Confirmationis, sed integralis duntaxat. 244

ART. III. In quo expenditur Canon Conc. I. Arausicani. 248
ART. IV. De Chrismatis confectione. 259
ART. V. De benedictione seu consecratione Chrismatis. 265
ART. VI. Qua in parte hominis unctio confirmatoria fieri debeat? 271

DISPUTATIO QUARTA.

De forma Sacramenti Confirmationis.

ART. I. UTrùm forma essentialis Confirmationis consistat in oratione? 275
PROP. Forma essentialis Sacramenti Confirmationis est deprecatoria, seu consistit in oratione. ibid.
ART. II. De forma integrali Sacramenti Confirmationis. 285

DISPUTATIO QUINTA.

De Gratia, altero effectu Confirmationis.

ART. I. QUalis sit Gratia quæ confertur per hoc Sacramentum? 288
ART. II. Utrùm effectus iste sit ita proprius Confirmationis, ut ab alia causa procedere nequeat. 291
PROP. Ita proprius est, ut suppleri nequeat per unctionem verticalem in Baptismo adhiberi solitam. ibid.
ART. III. De Gratia Confirmationis per respectum ad Baptismum. 301

DISPUTATIO SEXTA.

De Charactere, altero effectu Confirmationis.

ART. I. UTrùm Sacramentum Confirmationis imprimat Characterem? 303
PROP. Affirmans, & de fide. ibid.
ART. II. Utrùm character Confirmationis supponat chara-

cterem Baptiſmi? 307
PROP. Affirmans, & communis apud Theologos. ibid.

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Miniſtro Sacramenti Confirmationis.

ART. I. UTrùm ſolus Epiſcopus ſit Miniſter ordinarius hujus Sacramenti. 308
PROPOSITIO eſt affirmans. ibid.
ART. II. Utrùm ſimplex Sacerdos poſſit eſſe Miniſter Confirmationis extraordinarius? 318
PROPOSITIO eſt negans. ibid.

DISPUTATIO OCTAVA.

De ſubjecto & neceſſitate Sacramenti Confirmationis.

ART. I. QUa ætate ſit illud ſuſcipiendum? 327
ART. II. De diſpoſitionibus requiſitis ad ſuſcipiendam Confirmationem. 330
ART. III. De neceſſitate Sacramenti Confirmationis. 331
I. PROP. Confirmatio non eſt neceſſaria neceſſitate medii. ib.
II. PROP. Ad hoc ut aliquis ſit perfectus Chriſtianus, neceſſe eſt illum ſuſcipere Sacramentum Confirmationis. 332
III. PROP. Neceſſarium eſt cuique fideli non contemnere ſuſceptionem Sacramenti Confirmationis. ibid.
IV. PROP. Suppoſito quòd ſuſceptio Confirmationis neque ſit de neceſſitate medii, neque de neceſſitate præcepti, qui non curaret illam recipere non ideo contemptor eſſet habendus. ibid.
V. PROP. Suſceptio Confirmationis in re vel in voto eſt adultis neceſſaria neceſſitate præcepti Divini & Eccleſiaſtici. ibid.
QUÆRES I. Pro quo tempore præceptum Divinum de ſuſcipienda Confirmatione obliget? 335
QUÆRES II. Pro quo tempore præceptum Eccleſiaſticum de ſuſcipienda Confirmatione obliget. ibid.

DISPUTATIO NONA.

De Cæremoniis Confirmationis.

ART. I. DE iis quæ adhibentur ante Confirmationem. 337

Chrismatis consecratio. ibid.

Patrini. ibid.

Nomen. 338

Ablutio frontis. 339

Vestes. ibid.

ART. II. De iis quæ adhibentur in ipsa Confirmatione. 340

Tempus. ibid.

Locus. ibid.

Ordo & Situs. 341

Alapa. ibid.

Pax & Oratio super confirmatos. ibid.

ART. III. De iis quæ usurpantur post Confirmationem. 342

Vittæ lineæ seu Bandelli appositio. ibid.

Vittæ lineæ Depositio & Chrismatis abstersio. ibid.

Finis Indicis Tractatûs de Confirmatione.

INDEX

Titulorum Tractatûs de Extrema-unctione.

DISPUTATIO PRIMA.

De variis erroribus circa illud Sacramentum.

ARTICULUS I. DE Nominibus istius Sacramenti. 347

ARTICULUS II. De erroribus circa rationem Sacramenti novæ Legis convenientem Unctioni-extremæ. 349

Valdenses ibid.

Albigenses. 351

Joannes Wiclefus. ibid.

Hussitæ. ibid.

Lutherani. 352

Calvinistæ. 353

Theologorum placita nonnulla. 355

ART. III. De erroribus circa Materiam Unctionis infirmorum. 355

Valdenses. 356

Lutherani. ibid.

Calvinistæ. ibid.

ART. IV. De erroribus circa Formam Unctionis infirmorum. ibid.

Lutherani. ibid.

Calvinistæ. 357

ART. V. De erroribus circa Effectum Unctionis infirmorum. ibid.

Lutherani. ibid.

Calvinistæ. 358

ART. VI. De erroribus circa Ministrum Unctionis infirmorum. 359

Lutherani. ibid.

Calvinistæ. ibid.

ART. VII. De erroribus circa Subjectum Unctionis infirmorum. 360

Lutherani. ibid.
Calvinistæ. ibid.
ART. VIII. De erroribus circa usum Unctionis infirmorum. 361
Lutherani. ibid.
Calvinistæ. ibid.

DISPUTATIO SECUNDA.

De ratione Sacramentali Unctionis infirmorum.

ART. I. UTrùm Marci VI. exprimatur Unctio infirmorum? 362
ART. II. Utrùm probari possit ex V. capite Epist. canonicæ S. Jacobi Unctionem infirmorum esse Sacramentum novæ Legis? 370
PROP. Probari potest efficaciter ex verbis c. V. Epist. S. Jacobi. *Infirmatur quis, &c.* ibid.
ART. III. Utrùm probari possit ex Traditione &c. 379
Origenes. 387
Eusebius Papa. 387
S. Joannes Chrysostomus. 388
Innocentius I. 391
S. Augustinus. 399
S. Cyrillus Aleoxandrinus. 402
Victor Antiochenus. 403
Gregorius magnus. ibid.
Author vitæ S. Eugendi Abbatis. 406
Author vitæ. S. Tresani Presbyteri. ibid.
Theodorus Cantuariensis. ibid.
S. Eligius Noviomensis. 407
Author opusculi de vita S. Hunnegundis. 409
Beda 410
Grodogangus Metensis 412
Egbertus Eboracensis 413
Vetus Pontificale Anglicanum ibid.
Vetus Pontif. Ecclesiæ Turonensis ibid.
Capitularia Caroli Magni. ibid.
Concilium Cabilonense II. 414
Concilium Aquisgranense II. ibid.
Concilium Moguntinum. 415

Concilium Regiaticense. ibid.
Concilium Wormatiense. 416
Eparchius Engolismensis. ibid.
Heraldus Turonensis. ibid.
Halitgarius Cameracensis. 417
Hincmarus Remensis. ibid.
Agobardus Lugdunensis. ibid.
Isaac Lingonensis. ibid.
Jonas Aurelianensis. ibid.
Paschasius Radbertus. 418
Prudentius Tricassinus. 419
Codex Arremarensis. 420
Author vitæ S. Remberti Bremensis. 421
Author libri de divinis Officiis. 422
Canones Aelfrici ad Wlsinum Episcopum. 423
Ratherius Veronensis Episcopus. ibid.
Codex antiquus siculus. 424
Codex Ratoldi. ibid.
Author vitæ S. Oswaldi Wigorniensis primò, ac postea Eboracensis. ibid.
Everhelmus in vita S. Popponis Abbatis. ibid.
Osbernus in vita S. Dunstani Cantuar. 425
Arnoldus in vita S. Godehardi. ibid.
Wibertus in vita S. Leonis IX. ibid.
Conradus in vita S. Wolphelmi Abbatis Bruwillerensis. 426
Rupertus in vita Hereberti Coloniensis. ibid.
Hugo Monachus in vita S. Hugonis Cluniacensis. ibid.
B. Lanfrancus Cantuariensis. ibid.
Author Elucidarii apud B. Anselmum Cantuariensem. 427
Petrus Damiani. ibid.
Author vitæ Wilelmi Abbatis Hirsaugiensis. ibid.
Bernardus Guido in vita S. Fulcranni Episcopi Lodevensis. 428
Statuta congregationis Cluniacensis sub Hugone. ibid.
Codex Monasticus simul & Ecclesiasticus Gemeticensis. 429
Codex Sagiensis, vulgò Tillianus. ibid.
Rituale Remigio Remense. ibid.
Missale Anglicanum. ibid.
Yvo Carnotensis. 430
Gofridus Vindocinensis. ibid.
Petrus Cluniacensis. 431

Hugo à S. Victore. 432
Petrus de Honestis in Regula Clericorum. 433
S. Bernardus in vita S. Malachiæ Episcopi Hyberniæ. ibid.
Guilelmus Malmesburiensis. 434
Helmoldus. ibid.
Author vitarum Abbatum Beccensium ibid.
Author vitæ Gofridi Cappenberg. ibid.
Author vitæ Theotonii Presbyteri. ibid.
Author vitæ Ioannis Episc. Morinorum. 435
Author vitæ Roberti de Arbrucellis. ibid.
Author vitæ Gilberti Sempringhamensis. ibid.
Petrus Lombardus. ibid.
ART. IV. Respondetur objectionibus adversariorum. 436

DISPUTATIO TERTIA.

De materia Sacramenti Unctionis infirmorum.

ART. I. Utrùm oleum benedictum ab Episcopo sit materia remota nostri Sacramenti? 457
QUÆRES I. An benedictio seu consecratio olei sit de necessitate Sacramenti, vel præcepti tantùm? 458
QUÆRES II. A quo oleum benedici atque consecrari possit? ibid.
QUÆRES III. An etiam benedici atque consecrari possit à Presbyteris? 459
QUÆRES IV. Quid faciendum in Ecclesia Latina, quando oleum benedictum ab Episcopo Feriâ v. in Cœna Domini, ex frequenti usu atque administratione Sacramenti Unctionis, deficit? 459
ART. II. De Materia proxima Sacramenti Unctionis Infirmorum. 460
QUÆRITUR. In qua parte corporis fieri debeat unctio? 461
QUÆRES. Quid de mutilatis, qui cum mutilati sint, non possunt inungi in organis sensuum? 464

DISPUTATIO QUARTA.

De forma Sacramenti Unctionis infirmorum.

ART. I. UTrùm hoc Sacramentum habeat aliquam formam? 465
I. PROPOSITIO. Opinio dicentium nullam formam esse de necessitate Sacramenti Unctionis infirmorum, non tantùm falsa, sed præsumptuosa videtur & erronea. ibid.
II. PROP. Necesse est formas omnium Sacramentorum verbis constare: adeoque si forma Sacramenti Unctionis non constaret verbis, non esset Sacramentum novæ legis. 466
ART. II. Utrùm hæc forma debeat esse indicativa vel deprecativa? 467
I. PROP. Forma deprecatoria est optima & antiqua. 470
II. PROP. Forma mixta ex absoluta & deprecativa est legitima. 471
III. PROP. Forma purè absoluta seu indicativa non videtur esse legitima. ibid.
ART. III. Utrùm forma hæc, quam Ecclesia Romana usurpat: *Per illam sacram unctionem*, sit competens? 473
PROP. Affirmans. ibid.
QUÆRES. Quæ verba formæ istius sint essentialia, utrùm omnia, vel aliqua duntaxat? 474

DISPUTATIO QUINTA.

De effectibus Sacramenti Unctionis infirmorum.

ART. I. UTrùm remissio peccatorum sit effectus Unctionis Infirmorum? 475
I. PROP. Remissio peccatorum est proprius effectus Unctionis Infirmorum. 476
II. PROP. Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis per se non est sola remissio venialium, sed etiam mortalium. 478
ART. II. Utrùm abstersio reliquiarum peccati sit effectus Sacramenti Extremæ Unctionis? 483

Prop. Tria ista genera reliquiarum peccati tolluntur per Unctionem-extremam. ibid.
Art. III. Utrùm allevatio animæ, ejusque confirmatio sit effectus Unctionis-extremæ. 485
Prop. Affirmans. ibid.
Art. IV. Utrùm sanitas corporea sit effectus Unctionis-extremæ. 486
Prop. Est affirmans. ibid.
Quæres. Quis sit ordo inter effectus recensitos unctionis nostræ? 489
Art. V. Utrùm Sacramentum Unctionis infirmorum imprimat characterem? 490
Prop. Est negans & de fide. ibid.

DISPUTATIO SEXTA.

De Ministro Unctionis infirmorum.

Art. I. Utrùm Laici sint Ministri hujus Sacramenti. 493
Art. II. Utrùm quilibet Sacerdos sit Minister Unctionis infirmorum. 497
I. Prop. Sacramentum hoc valet administratum à quocumque Sacerdote. ibid.
II. Prop. Sacramentum hoc non potest administrari licite, nisi Minister habeat jurisdictionem in suscipientes, ordinariam vel delegatam. ibid.
Quæres. Utrùm Religiosi in defectum proprii Sacerdotis vel ab eo deputati, sive id casu sive malitiâ contigerit, possint conferre licitè moribundo Sacramentum istud: an verò conferendo peccarent, atque subjacerent excommunicationi latæ per Clementinam citatam? ibid.
Art. III. Quot Sacerdotes necessarii sint ad conferendam Unctionem infirmorum? 498
Art. IV. Utrùm Episcopus sit Minister hujus Sacramenti? 502

DISPUTATIO SEPTIMA.

De subjecto Unctionis infirmorum & ejus necessitate.

ART. I. UTrùm hoc Sacramentum debeat conferri sanis? 503

QUÆRES I. An hujusmodi unctio (sanis collata) reputari debeat nostrum Sacramentum? 506

QUÆRES II. Utrùm Græci versentur in errore, sustinendo Sacramentum Unctionis esse institutum æque pro sanis ac pro ægris? ibid.

ART. II. Quibus infirmis hoc Sacramentum debet administrari? 507

PROP. Et his qui in exitu constituti esse videntur, & iis qui periculosè infirmantur, etiam si nondum sint in illo statu exeuntium, Sacramentum Unctionis infirmorum potest administrari. ibid.

QUÆRES. Utrùm melius sit ungi infirmum ex quo versatur in vitæ discrimine, quàm expectare tempus quo videatur infirmus constitutus esse in exitu? 509

ART. III. Utrùm justis, an solis peccatoribus Unctio-extrema conferri debeat? ubi & de præcepto illius percipiendi agitur. 510

I. PROP. Justus qui nunquam peccavit actualiter non est capax suscipiendi Sacramenti Unctionis. ibid.

II. PROP. Justi peccatorum venialium rei sunt capaces Unctionis infirmorum. 513

III. PROP. Justi solorum sibi conscii peccatorum venalium non tenentur divino præcepto suscipere in exitu sacram Unctionem infirmorum, seclusis specialibus circumstantiis, quamvis teneantur illud non spernere. 514

IV. PROP. Qui sibi sunt conscii peccatorum mortalium de quibus confiteri nequeunt, neque absolvi Sacramentaliter (quocumque tandem modo id fieri possit;) illi tenentur præcepto divino in infirmitate constituti recipere Sacramentum Extremæ-unctionis. 514

V. PROP. Nullo præcepto Ecclesiastico singuli fideles adulti tenentur suscipere in exitu Unctionem infirmorum: quæ-

dam tamen leges privatarum Ecclesiarum ad id obstinxerunt quosdam de Ecclesia. ibid.
Art. IV. Utrum dari debeat furiosis, amentibus & pueris? 515
I. Prop. Extrema-unctio conferri debet furiosis & amentibus qui habent lucida intervalla, quique eam suscipere possunt cum reverentia. ibid.
II. Prop. Non debet iis conferri qui non habent lucida intervalla, etiamsi antequam in hunc statum incidissent, illam postulaverint. ibid.
III. Prop. Extrema-unctio non debet administrari pueris qui non peccaverunt. 516

DISPUTATIO OCTAVA.

De Cæremoniis Unctionis infirmorum.

Art. I. De iis quæ adhibentur ante unctionem. 517
Benedictio olei. ibid.
Locus in quo unctio administratur. ibid.
Processio ad locum ubi decumbit infirmus. 518
Interrogatio infirmi, quæ fit à Sacerdote. 519
Recitatio orationis Dominicæ, atque symboli. ibid.
Confessio peccatorum facta sacerdoti. ibid.
Cinis & cilicium. 520
Art. II. De iis quæ adhibentur in ipsa unctione ibid.
Infirmus ungi petit. ibid.
Unctiones fiunt crucem faciendo. 521
Orationes & Psalmi. ibid.
Hymni Christe Cælestis *recitatio.* ibid.
Art. III. De iis quæ adhibentur post unctionem. 522
Eucharistiæ participatio. ibid.
Quæritur. An infirmi peruncti communicarent sub unica specie, vel sub utraque? 523
Iteratio unctionis, participationis Eucharistiæ, & precum. 524
Missa pro infirmo. 525

Finis Indicis.

TRACTATUS



TRACTATUS DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

DISPUTATIO PRIMA.

De variis erroribus circa illud Sacramentum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Præcipuis ejus Nominibus.

QUÆDAM petuntur à materiâ, alia ab effectu.

Primum nomen à materiâ petitum est MANUS IMPOSITIO, de quo Act. VIII. *Tunc* IMPONEBANT MANUS *super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Et Augustinus l. III. de Bapt. contra Donat. c. XVI. *Per* MANUS IMPOSITIONEM *modò datur Spiritus sanctus.* Isidorus l. II. de Eccles. Officiis

c. XXVI. inscribit : *De* MANUS IMPOSITIONE *vel Confirmatione.* Et caput sic incipit : *Sed quoniam post Baptismum, per Episcopos datur Spiritus sanctus, cum* MANUUM IMPOSITIONE, *hoc in Actibus Apostolorum fecisse meminimus Apostolos.* Amalarius Fortun. l. I. de Eccles. Officiis c. XXVII. *Antequam aliquid dicatur de* MANUS IMPOSITIONE *Episcopi &c.* & postea: *Audivi quemdam interrogare, si sine* MANUS IMPOSITIONE *Episcopi possit Neophytus possidere regnum cælorum.* Hugo à S. Vict. l. II. de Sacram. P. VII. c. II. MANUS IMPOSITIO, *quæ usitato nomine* CONFIRMATIO *vocatur, quâ Christianus Unctione Chrismatis, per Impositionem manûs in fronte signatur.*

II. Quia qui confirmatur, ungitur in fronte, appellatur *Unguenti Mysterium* à Dionys. l. de Eccl. Hierar. c. IV. appellatur *Sacramentum Chrismatis* ab Aug. l. II. contra litt. Petil. c. CIV. his verbis. *Et in hoc unguento* SACRAMENTUM CHRISMATIS *vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum Sacrosanctum est: sicut ipse Baptismus.* Appellatur *Chrisma spiritualis unguenti* à Theodoreto ad c. I. Cantici Cant. *Spiritualis unguenti Chrismate inuncti.* Appellatur *Chrisma sanctum* à Concilio Laodic. Can. VII. & *Chrisma supercæleste* Can. XLVIII. Appellatur denique *Chrisma salutis* à Leone Magno Serm. IV. de Nativ. Dom. c. V. *Renati per aquam & Spiritum sanctum accepistis Chrisma salutis.*

III. Quia qui confirmatur, signatur in fronte signo crucis, cùm inungitur, hoc nostrum Sacramentum nuncupatur, *Signaculum vitæ æternæ* à Leone Mag. Serm. cit. *Signaculum spirituale* à S. Amb. l. de iis qui Mysteriis init. c. VII. *Signaculum Dominicum* à Cypr. Epist. LXIII. ad Jubaïanum. *Sigillum quo accipitur Spiritus sanctus* à Cornel. Rom. Epist. ad Fabium Antioch. apud Euseb. l. VI. Hist. Eccl. c. XLIII.

IV. Ab effectu nuncupatur *Perfectio* in Conc. Elib. c. XXXVIII. & LXXVII. & à S. Dionys. loco mox cit. Unde apud Ambros. l. 3. de Sacram. c. II. *Sequitur spirituale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest, ut* PERFECTIO *fiat : quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Quæ verba Ivo Carnot. Serm. de Sacram. Neophyt. in Synodo, usurpavit: quia scilicet effectus ejus Sacramenti est facere hominem perfectè ac plenè Christianum. Guillem. Antissiod. l. IV. Tract. IV. c. I. de Sacr. Confirm. *Distinguitur*, inquit, *duplex plenitudo, scilicet plenitudo suffi-*

cientiæ, & hæc datur in Baptiſmo: & PLENITUDO COPIÆ, *& hæc datur in Confirmatione.* Et Catech. Trid. p. II. de Sacr. Conf. n. XIX. Primùm quidem illud propriè Confirmationi tribuitur, quòd Baptiſmi gratiam perficit: *qui enim per Baptiſmum Chriſtiani effecti ſunt, quaſi infantes modò geniti teneritatem adhuc & mollitiem quandam habent.* Hanc ob cauſam S. Thomas III. p. q. LXXII. a. I. illud nuncupavit *Sacramentum plenitudinis gratiæ.*

V. Ab alio quoque effectu, qui eſt, dare vires ac robur ad confitendum & glorificandum nomen Chriſti Jeſu, appellatur uſitatiori nomine *Confirmatio.* Unde Catech. Trident. ibidem. *Chriſmatis Sacramento adversùs omnes carnis, mundi, & diaboli impetus robuſtiores fiunt: & eorum animus fide omnino confirmatur ad confitendum & glorificandum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ex quo etiam nomen ipſum inventum eſſe nemo dubitat.*

Atque ex his patet noſtrum hoc Sacramentum poſſe multis modis deſcribi. I. hoc pacto: Impoſitio manuum in Spiritum ſanctum. II. Sacramentum Chriſmatis, quo baptizatus adipiſcitur Spiritum ſanctum. III. Sigillum, ſeu ſignaculum Spiritùs ſancti. IV. conſignatio Chriſmatis in fronte baptizati, in Spiritum ſanctum. V. Sacramentum Perfectionis. VI. Sacramentum quo conſtituuntur plenè perfectéque Chriſtiani. VII. Sacramentum quo adversùs omnes carnis, mundi, & dæmonis impetus roboramur. VIII. denique Sacramentum quo animus noſter fide confirmatur ad confitendum & glorificandum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti.

ARTICULUS SECUNDUS.

De erroribus circa rationem Sacramenti novæ Legis convenientem Confirmationi.

FIDES Eccleſiæ Catholicæ circa hoc argumentum exprimitur in Conc. Trid. ſeſſ. VII. Canonibus ſequentibus. Can. I. de Sacr. in genere: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta. aut eſſe plura vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem &c. aut etiam aliquod horum, ſeptem, non*

esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit. Et Can. I. de Confirm. *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potiùs verum & proprium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse quàm Catechesim quandam, quâ adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesiâ exponebant, anathema sit.* Contra quam doctrinam fidei plures Hæretici dicuntur insurrexisse.

NOVATIANI.

Novatianus, referente Cornelio Rom. epist. ad Fab. Antioch. baptizatus est in lecto decumbens ex morbo, & ubi convaluit, *neque reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est.* Quam Episcopalem consignationem ab eo neglectam equidem legimus; sed non legimus, causam propter quam ille eam neglexerit hanc esse, quod improbaret Catholicam de Confirmatione doctrinam.

Philastrius, Epiphanius, Augustinus & Damascenus, libris suis *de Hæresibus*, referunt dogmata Novatianorum, quæ etiam Pacianus Barcinonensis refellit acerrimè. Nemo illorum de Confirmatione loquitur. Unus Theodoretus l. III. Hæretic. Fabul. c. de Novato (seu potiùs de Novatiano) hanc hæresim illis impingit. *Iis*, inquit, *qui ab ipsis tinguntur, sacrum Chrisma non præbent. Quocirca eos etiam qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, benedicti Patres ungi jusserunt.* Cui neque assentiendum esse videtur contra cæterorum silentium, saltem si de Novatianis omnibus intelligatur, neque verò sensus alter attribui, nisi quòd quando Novatiani reconciliabantur Ecclesiæ, Unctio confirmatoria illis adhibebatur, cæteris ab alia hæresi redeuntibus in Oriente recipi solitis per Unctionem, ut docent nos Conc. CP. I. c. IX. Conc. Laod. c. VII. Greg. Magnus Ep. LXI. lib. IX. Sed quæ Unctio reconciliatoria esset, non confirmatoria.

VALDENSES ET ALBIGENSES.

Joa. Dallæus Calvinista disput. de Sacr. Confir. l. III. c. XVII. quærit patrocinium sui erroris apud Valdenses, scribitque *eos anno* XII[i] *sæculi* LX° *exortos ex Reinero constare, Sa-*

cramentum Confirmationis nominatim inter cætera in quibus putabatur à Romanis peccari, reprobasse, mirantes etiam cur solis Episcopis confirmare liceat. Philchdorfium pariter tradere, explosisse eos Chrismatis & olei Unctiones, dicentes illas res taliter consecratas nihil omnino singularis sanctitatis ex his verbis percipere. Atque hæc clariùs ex quibusdam eorum libris, quos Paulus Perrinus excerpsit, & ex parte publicavit, intelligi posse ac comprobari.

Petrus de Valle Cernaii Monachus Cisterciensis eum quidem errorem ascribit Albigensibus, Hist. suæ Albig. c. 11. sed non attribuit Valdensibus, de quibus in hæc verba loquitur ibidem. *Erant præterea alii Hæretici qui Valdenses dicebantur, à quodam Valdio nomine Lugdunensi. Hi quidem mali erant, sed comparatione aliorum Hæreticorum, longè minùs perversi: in multis enim nobiscum conveniebant, in aliquibus dissentiebant.* Et Alanus coætaneus quoque Scriptor lib. 1. meminit quorumdam suæ ætatis hæreticorum (Albigenses illi erant) *dicentium nullam esse virtutem Sacramenti Confirmationis*, cùm non legatur in libris novi Testamenti esse instituta, vel à Christo vel ab ejus discipulis. At ubi libro secundo loquitur ex professo de erroribus Valdensium, non observat quòd isti negaverint Sacramentum Confirmationis.

Aperta est Confessio fidei Valdensium, quam Uladislao Regi Hungariæ miserunt. In eâ profitentur Confirmationem esse Sacramentum. *Sacramenta*, inquit ibi, *septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus.* Et postea de singulis agentes, exordio ducto à Baptismate, *primo*, ut loquuntur, *Sacramento*; pronunciant de Confirmatione secundo loco, in hunc modum: *Fide ex divinis Scripturis sumptâ, profitemur temporibus Apostolorum istud observatum fuisse &c.*

Aperta quoque est oratio excusatoria eorumdem segregum prænominato Uladislao missa, in quâ profitentur verbis expressis illarum se nihil conscios esse criminationum, quibus culpantur, etiam circa Sacramenta Ecclesiæ.

Quid igitur, inquies, ad Reynerum, ad Philchdorfium, ad veteres Valdensium libros, ac denique ad Æneam Silvium Histor. Boëm. c. xxxv. apud quem ista propositio extat inter Valdensium errores: *Confirmationem, quam Chrismate Pontifices inducunt, & Extremam-unctionem inter Ecclesiæ Sacramenta minimè contineri?*

Reſpondeo Reynerum prodiiſſe ex duplici editione, Marquardi Freheri, & Gretſeri. In priori minimè leguntur hæc verba : *Sacramentum Confirmationis reprobant* : leguntur tamen ſequentia iſta : *Mirantur etiam quare Epiſcopis ſolis liceat confirmare.* Ex quibus poſtremis verbis duntaxat eruitur, Valdenſes ægrè pati poteſtatem confirmandi reſervari ſolis Epiſcopis ; quod non eſt rejicere, ſed potiùs retinere Confirmationem. Et certè editio Freheri ad vetuſtum Codicem facta eſt, neque Gretſerianæ poſtponenda videtur. Sed etſi conſtaret ea verba eſſe legenda, atque prior editio corrigenda foret per poſteriorem ; quemadmodum verborum iſtorum : *Omnia Sacramenta Eccleſiæ damnant* : ſenſus non eſt, eos nullum è Sacramentis Eccleſiæ pro Sacramentis habere ; alioqui nequidem Baptiſmum & Euchariſtiam pro Sacramentis agnoſcerent : ſed ſenſus eſt, eos damnare aliqua ex his quæ Eccleſia Catholica uſurpat in adminiſtratione Sacramentorum. Explicat ſeipſum Reynerus de ſingulis Sacramentis : & primùm quidem de Baptiſmo, in hunc modum : *De Sacramento Baptiſmi dicunt, quòd nihil ſit Catechiſmus, quòd Ablutio, quæ datur Infantibus nihil proſit, quòd ſuſceptores quid reſpondeant Sacerdoti non intelligant.* Et de Sacramento Euchariſtiæ *dicunt, quòd Sacerdos in mortali peccato non poſſit conficere &c.* Ita verborum iſtorum : *Sacramentum Confirmationis reprobant* : ſenſus eſſet iſte ; reprobant aliqua in Sacramento Confirmationis ex iis quæ Eccleſia Romana amplectitur. Hæc verò duo ſunt. Alterum eſt *Chriſmatis Benedictio ſeu Conſecratio* ; quod eſt improbare dogma de materiâ, ſive illa ſit eſſentialis ex inſtitutione Chriſti mediatâ aut immediatâ, ſive integrans ex inſtituto Eccleſiæ ad pleniorem ſignificatum, & non eſt improbare rationem Sacramenti. Unde in Confeſſione Fidei ſuprà laudatâ, meminerunt orationis & manûs impoſitionis, non Chriſmatis. Alterum ſpectat ad *Miniſtrum* Sacramenti, quod Valdenſes ad ſolos Epiſcopos coarctari moleſtè ferebant.

Confirmatur : quia ſicut Reynerus ſcribit de Valdenſibus : *confirmationem non curant* : ita ſcribit de iiſdem paulò ante : *Sacramenta Eccleſiæ contemnunt.* Et adhuc : *Omnia Sacramenta Eccleſiæ damnant.* At verò ſenſus poſteriorum iſtorum verborum non eſt, quòd rejicerent omnia Sacramenta Eccleſiæ : ergo ſenſus priorum non eſt, quòd reprobarent Sacramen-

tum Confirmationis : quia qui dicit contemnere & damnare, plus dicit, quàm qui dicit tantùm non curare. Plures è Catholicis non curant suscipere Sacramentum Confirmationis, qui tamen non negant Confirmationem esse proprii nominis Sacramentum.

Philchdorfius, qui objicitur, observat solùm Valdenses improbare Chrismatis, ut & aquæ Baptismalis, aliorumque consecrationem: ejus verba sunt. *Et etiam consecrationes Episcoporum, Sacerdotum, Ecclesiarum, Altarium, Cœmeteriorum, aquæ Baptismalis, Chrismatis & Olei unctionis, Palmarum, frondium & herbarum, dicentes illas res taliter consecratas nil omnino singularis sanctitatis ex illis verbis percipere, licèt verba in se sancta sint & bona.* At hoc aut non est negare Confirmationem esse Sacramentum, aut negaverunt illi Baptismum esse Sacramentum, quod absurdum.

Veteres, qui dicuntur Valdensium, libros non legi. Supposititii sunt, si quidpiam contineant quod adversetur illorum Confessioni Fidei. Continent, si duo tantùm admittant Sacramenta novæ Legis, Baptismum & Eucharistiam.

Æneas Silvius non dicit Valdenses negare simpliciter Confirmationem esse Sacramentum : sed utitur ex proposito verbis istis : *quam Chrismate Pontificii inducunt.* Quibus nimirum declarat illos improbasse ritum Chrismatis duntaxat, quasi inventum humanum, nec improbasse quòd Confirmatio sit Sacramentum : quod quidem erat dogma fidei apud eosdem, ex Confessione citatâ.

Facessit tamen nonnihil negotii celebris illa Confessio nonnullorum Valdensium ad fidem reversorum, apud Innocentium III. lib. II. Regesti XIII. Epist. LXXVIII. quæ est Archiepiscopo & suffraganeis Ecclesiæ Terraconensis, in quâ sic loquuntur de Confirmatione : *Confirmationem ab Episcopo factam, id est, impositionem manuum sanctam & venerandè accipiendam esse censemus.* Quid enim, inquiet aliquis, causæ est, cur exigitur ab illis ut fateantur Confirmationem esse sanctam & venerandè accipiendam, nisi quia cum Albigensibus sentiebant Confirmationem esse frivolam atque inanem: & nullam esse virtutem illius, utpote quæ non legeretur instituta vel à Christo, vel ab ejus Discipulis ? Fortè priores Valdenses circa Confirmationem aberraverunt cum Albigensibus, quem errorem Posteriores minùs amplexi sunt,

imò & rejecerunt, adhærentes in eo sensui Ecclesiæ. Fortè nomine Valdensium cognominabantur omnes isti XIII. sæculi hæretici.

Verùm re totâ maturiùs libratâ, sentio Summum Pontificem per hæc verba exegisse ab Albigensibus, ut faterentur Confirmationem, quæ solius est Episcopi, tanquam Ministri, venerandè accipiendam esse, quia illi aberrabant circa Ministrum & non circa Sacramentum ipsum.

WICLEFUS.

Hunc quoque volunt negasse, quòd Confirmatio sit Sacramentum, ex Heterodoxis Dallæus lib. III. c. XVII. scribens, *Wiclefum & ejus Discipulos, qui Lollardi vulgò dicebantur, circa annum Dom.* M.CCCLXX. *eadem in Angliâ, de hoc Latinorum ex Chrismate Sacramento sensisse ac docuisse patet ex Valdensi, qui contra eos ingens Opus scripsit, in quo aliquot Wiclefi de hoc argumento sententias oppugnat.* Et ex Orthodoxis nonnulli, inter quos Estius in IV. dist. VII. §. III. freti eâdem authoritate Thomæ Valdensis Doctrinalis p. II. c. CXI. XII. & XIII. & Æneæ Silvii loco citato superiùs.

Sed contra est. 1°. quòd inter articulos Wiclefi damnatos in Conc. Constant. sess. VIII. semel tantùm fit mentio Confirmationis, articulo scilicet XXVIII. qui conceptus est his verbis. *Confirmatio juvenum, Clericorum Ordinatio, locorum consecratio reservantur Papæ & Episcopis, propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.* Quo quidem articulo, doctrina de Ministro Confirmationis improbabatur, non improbabatur doctrina de veritate Sacramenti. II°. Wilelmus Widefordus, in eo opere quod conscripsit adversùs errores Wiclefi circa Confirmationem, id unum in eo culpat refellitque, quòd videlicet damnaret doctrinam quæ asserit collationem Sacramenti Confirmationis Episcopis reservatam esse. *Quintus*, inquit, *articulus condemnatus ut erroneus, est quòd collatio Sacramenti Confirmationis non est Episcopis reservata. Et est hic articulus ad illum sensum communem condemnatus, quòd Presbyteri, non Episcopi possint authoritate Sacerdotali conferre Sacramentum Confirmationis: quia ad hunc sensum ponit adversarius articulum prædictum. Unde & ponit Episcopum & Presbyterum idem esse & non differre secundum potestatem Sacramentalem.* III°. Doctrina

trina Wiclefi damnata Constantiæ universa ipsius Trialogo continebatur : neque verò aliquid in eo libro legitur adversùs veritatem Sacramenti Confirmationis. IV°. Wiclefus, ex Ænea Silvio loco citato, conveniebat in dogmate de hoc Sacramento, cum Valdensibus, quos modò videbamus agnovisse Confirmationem tanquam unum ex Sacramentis novæ Legis.

HUSSITÆ.

Seculo sequenti, id est, XV. *Thaboritas in Boëmia paria quoque* (Wiclefo) *secutos locupletissimus testis est Joannes Lukawitz in libro quo eorum Confessionem an. Dom.* MCCCCXXXI. *adversùs Rokenzanam, Schisma ab iis molientem, doctè profectò ac eruditè pro eorum temporum ratione defendisse*, scribit Dallæus loco cit.

Paria, fateor, Hussitæ seu Thaboritæ Wiclefo docuerunt. Joa. Huss. eorum Magister, teste Ænea Silvio ibidem, asserebat *in libris Wiclefi omnem veritatem contineri.* Et ejusdem quidem Joan. Huss. XXV. articulorum damnatorum in Conc. Constant. sess. XV. erat iste : *Condemnatio* XLV. *articulorum Joan. Wiclef per doctores facta, est irrationabilis, & iniqua, & malè facta.* Sed Wiclefus non negavit Confirmationem esse Sacramentum. Ergo neque Hussitæ seu Thaboritæ. Æneas Silvius epist. ad Cardinal. Carvaïal, scribens Thaboritas de Confirmatione & Extrema-unctione nihil sentire; hoc modo loquendi significare duntaxat voluit, eos contempsisse Sacramentum Confirmationis secundùm quod ex Chrismate consecrato, atque ab Episcopis, tanquam solis illius Ministris conferebatur in Ecclesia Rom.

LUTHERANI.

Lutherus l. de Captiv. Babyl. *Mirum est*, scribit, *quòd in mentem illis venerit, ut Sacramentum Confirmationis facerent ex impositione manuum, quâ legimus Christum parvulos tetigisse, Apostolos dedisse Spiritum sanctum... Cur non ex Sacramento panis etiam Confirmationem fecerunt, quandò scriptum est Act.* IX. ET CÙM ACCEPISSET CIBUM CONFORTATUS EST, & Psal. CIV. PANIS COR HOMINIS CONFIRMET, *ut sic Confirmatio tria complectatur Sacramenta, panem, ordinem & ip-*

sam Confirmationem. Si autem Sacramentum est quicquid Apostoli fecerunt, cur non magìs prædicationem fecerunt Sacramentum? & infra. *Nos autem pro hac vice Sacramenta divinitùs instituta quærimus, inter quæ ut Confirmationem numeremus, nullam invenimus causam. Ad Sacramenti enim constitutionem ante omnia requiritur verbum Divinæ promissionis quo fides exerceatur. At nihil legimus Christum uspiam de Confirmatione promisisse... Quare satis est, pro ritu quodam Ecclesiastico, seu ceremonia Sacramentali Confirmationem habere, similem cæteris cæremoniis consecrandæ aquæ, aliarumque rerum.*

Philippus Melancthon in locis communibus. *Confirmatio*, inquit, *olim fuit exploratio doctrinæ, in qua singuli recitabant summam doctrinæ, & ostendebant se dissentire ab Ethnicis, & Hæreticis, & erat mos ad erudiendos homines, item ad discernendos profanos & pios admodum utilis. Postea fiebat publica precatio, & Apostoli imponebant eis manus. Ita donabantur manifestis donis Spiritûs sancti. Sed nunc ritus Confirmationis, quem retinent Episcopi, est prorsùs otiosa cæremonia.* Idem est sensus Kemnitij in examine Conc. Trid. & omnium Lutheranorum post colloquium Ratisbon. anno M. CCCCCXLI.

CALVINISTÆ.

Calvinus lib. IV. Instit. c. XIX, §. IV. *Hic mos olim fuit, ut Christianorum liberi, postquam adoleverant, coram Episcopo sisterentur, ut officium illud implerent, quod ab iis exigebatur, qui se ad Baptismum adulti offerebant..... Qui ergo Baptismo initiati erant infantes, quia fidei Confessione apud Ecclesiam tunc defuncti non erant, sub finem pueritiæ aut ineunte adolescentiâ, repræsentabantur iterum à parentibus, ab Episcopo examinabantur secundùm formulam Catechismi, quam tunc habebant certam & communem. Quò autem hæc actio, quæ alioqui gravis sanctaque meritò esse debebat, plus reverentiæ haberet ac dignitatis, cæremonia quoque adhibebatur manûs impositionis. Ita puer ille, fide sua approbata, cum solemni benedictione dimittebatur.* §. V. *Posterior autem ætas, re propè obliteratâ, fictitiam nescio quam Confirmationem pro Dei Sacramento posuit.* §. VI. *Hoc Ministerium, quo tunc Apostoli fungebantur, si adhuc in Ecclesia maneret, manuum quoque impositionem opporteret servari: sed ubi gratia illa* (visibilis) *conferri desiit, quorsum pertinet ma-*

nuum impositio? Et §. XIII. appellat Confirmationem nostram, *abortivam Sacramenti larvam.*

Et in antidoto Conc. Trid. ad Can. hunc 1um. *Ex eorum numero me nequaquam esse profiteor, qui otiosam Confirmationis cæremoniam esse putant, qualis sub Papatu Romano observatur: ut pote qui eam inter maximè exitiales Satanæ præstigias numerem. Meminerimus nusquàm in scripturâ nobis commendari quod fingunt Sacramentum, neque hoc nomine, neque hoc ritu, neque hac significatione.* Et postea: *Confirmatione dimidia pars efficaciæ à Baptismo truncatur.* Eadem est doctrina omnium Calvinistarum, qui in suis Catechismis agnoscunt duo Sacramenta duntaxat, Baptismum & sacram Cœnam.

Antonius de Dominis l. v. de Repub. Eccl. c. v. contendit Confirmationem non esse Sacramentum novæ Legis à Baptismo distinctum, nec à Christo institutam. Nam *nullus est,* inquit, *locus in Evangelio, qui vel à longè innuat hanc institutionem & mandatum de dandâ Confirmatione: neque Apostoli unquam asseruerunt se talem institutionem vel tale mandatum à Christo accepisse. Confugere verò ad traditionem in asserendis divinis Sacramentis videri valdè temerarium: quia certum & evidens esse deberet id perpetuò in Ecclesiâ ab ipsis Apostolorum temporibus fuisse invariabiliter non modò servatum, sed servatum tanquam rem à Christo institutam & mandatam cum suâ promissione. At nihil constans de Confirmatione, nihil firmum, nihil certum in ipsis habetur traditionibus, sed maxima & essentialis intercessit variatio, & nusquam constat id tanquam Christi institutum fuisse traditione propagatum. Cæremonia confirmandi, seu consignandi fuit quidem in antiquâ Ecclesia per plura secula, sed tanquam cæremonia purè Ecclesiastica, ad ritus Baptismi pertinens.*

Idem est sensus Dallæi libro suo de Sacramento Confirmationis per totum.

THEOLOGORUM SCHOLASTICORUM PLACITA.

Alexander de Hales p. IV. q. XXIV. m. I. *Sine præjudicio dicendum quòd Dominus neque hoc Sacramentum instituit, neque dispensavit, neque Apostoli. Intelligendum est igitur, quòd post Ascensionem Domini congruebat Apostolos confirmari, & illis Spiritum sanctum dari ad robur. Unde Apostoli confirmati sunt à*

Spiritu sancto immediatè, sine ministerio & Sacramento. Et ipsi deinde confirmabant sine Sacramento..... Sed postquam Apostoli defecerunt, institutum fuit hoc Sacramentum Spiritus sancti instinctu in Conc. Meldensi, quantùm ad formam verborum & materiam elementarem, cui etiam Spiritus sanctus contulit virtutem sanctificandi. Et ad II. *Licet enim Apostoli manuum impositione confirmabant, non tamen confirmabant ministrandò Sacramentum Confirmationis.* Et ad IV. *Ad aliud quod objicitur, quòd in Sacramentis in quibus data est vis verbis, data est virtus illa in Verbo increato in institutione eorum. Dicendum quòd hoc verum est de illis Sacramentis quæ sunt ab illo instituta. Præterea, & licèt, sicut dictum est, verbis quibus ministratur hoc Sacramentum, data sit virtus à Spiritu sancto: nihilominùs data est à Verbo increato, cùm indivisa sint opera Trinitatis.* Et ad VI. *Dicendum est, quòd in hoc Sacramento confertur gratia in abundantiâ, quâ suscipiens ungitur in pugilem, ut pro fide Christi audeat & velit se morti exponere; & decebat, ut Spiritus sanctus non in tantâ daretur abundantiâ, quousque Dominus fuisset glorificatus, Joan.* VII. *propter quod istud Sacramentum debuit institui non immediatè à Legislatore, sed mediatè Spiritu sancto cooperante.* Et ad VII. *Sacramenta Evangelica quædam fuerunt instituta à Legislatore & Authore, scilicet Christo, qui erat lator & author: quædam à Ministris Legis, scilicet Apostolis & eorum successoribus, scilicet Pontificibus, scilicet instinctu & cooperatione Authoris Legis, sicut hoc Sacramentum.*

S. Bonaventura in IV. dist. VII. art. I. q. I. & II. amplectitur doctrinam Magistri sui.

S. Thomas III. p. q. LXXII. a. I. ad I. *Circa institutionem hujus Sacramenti triplex est opinio. Quidam enim dixerunt, quòd hoc Sacramentum non fuit institutum nec à Christo nec ab Apostolis, sed postea processu temporis in quodam Concilio. Alii verò dixerunt, quòd fuit institutum ab Apostolis. Sed hoc non potest esse: quia instituere novum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo. Et ideo dicendum est, quòd Christus instituit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo. Et hoc ideò, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quæ non erat danda ante Christi Resurrectionem & Ascensionem.*

ARTICULUS TERTIUS.

De erroribus circa materiam Sacramenti Confirmationis.

IMPOSITIO manuum & Chrismatio adhibentur in hoc Sacramento. In his duobus, vel saltem in eorum altero materia illius consistit. Chrismatio apud Latinos fit ex Chrismate, confecto ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto, de quo Triden. sess. VII. de Confirm. Can. II. *Si quis dixerit injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit.* Apud Græcos Chrisma conficitur ex oleo, balsamo & pluribus aromatum generibus, de quâ confectione suo loco dicturi sumus.

VALDENSES.

Ex Philchdorfio suprà, improbabant Chrismatis benedictionem. Idem sensus Wiclefistarum seu Lollardorum & Hussitarum, qui omnes in eo secuti sunt Valdenses.

LUTHERANI.

Kemnitius in exam. explicat eorum sententiam sequentibus propositionibus. I. *Materia Confirmationis nulla in Scriptura habet vel apparentia saltem fundamenta seu testimonia.* II. *Pontificii in Confirmatione suâ non adhibent manuum impositionem: quæ tamen veteribus usurpata, & adhuc Hieronymi & Augustini ætate in usu fuit.* III. *Si in Confirmatione sua vel ignem adhiberent, vel impositionem manûs retinerent, aliqua esset externa species convenientiæ, licèt conjuncta κακοζηλία; quia destitueretur mandato Dei.* IV. *Divinitùs factum esse, quòd non est retenta impositio manuum in Pontificia Confirmatione, sed substituta est Chrismatio, ut Ecclesia, animadversâ palpabili differentiâ inter impositionem manuum & Chrismationem in fronte, non tam facile seduci posset allegatione Historiarum Act.* I. VIII. *&* XIX°. V. *Ex probatis veterum scriptis, de mixtione balsami nihil posse proferri. Nativum balsamum cùm jam defecisse constet & arbores, factitium balsamum locum ejus implere non posse.*

magis quàm aqua factitia materia possit esse Baptismi, aut vinum factitium Eucharistiæ. VI. *Consecrationem Chrismatis esse excantationem, cujus ne ulla quidem syllaba continetur in Scripturis.* VII. *Inhalationem Pontificis in Chrisma, non tantùm esse quid ridiculum, sed magicum, superstitiosum & blasphemam.*

CALVINISTÆ.

Calvinus Instit. l. IV. c. XIX. §. VI. ait I. manuum impositionem non esse adhibendam; quia ministerium quo tunc Apostoli fungebantur, cùm manus imponerent, de quo in Actis, in Ecclesia non manet. *Ubi*, inquit, *gratia illa conferri desiit, quorsum pertinet manuum impositio?* Et postea. *Cessarunt illa virtutum miracula & manifestæ operationes, quæ per manuum impositionem distribuebantur, nec nisi ad tempus esse desierunt.* II° §. VII. *Manuum impositionem Confirmatoriam nihil habere simile cum eâ quam Apostoli usurpabant, præter nescio quam præposteram κακοζηλίαν.* III. *Chrismationem neque esse à Christo, neque ab Apostolis. Unde*, inquit, *oleum quod vocant salutis?* Et postea. *Qui oleum vocant oleum salutis, salutem quæ in Christo est abjurant, Christum abnegant, partem in Regno Dei non habent.* Quò fit, ut ita definierit Confirmationem §. VIII. *Oleum diaboli mendacio pollutum, quod velut offusis tenebris, simplicium mentes fallit.* IV. Chrismatis Consecrationem appellat, *Inquinamentum & Incantationem* §. X. *Pinguedinem fœtore anhelitus inquinatam, verborum murmure incantatam.*

Et in antidoto Can. illius II. *Quæstio est, an ab hominum arbitrio novam & arcanam Spiritûs virtutem oleum accipiat, simul atque illis placuerit vocari Chrisma. Olei enim qui faciat mentionem, nemo est ex veteribus, imò nec ex media illa ætate, quæ jam multis vitijs abundabat.* Et postea vocat, *putidum oleum.*

Spalatensis loco cit. n. XXVI. scribit, quòd Confirmatio non habet certam, fixam & firmam rem sensibilem, quam nostri materiam vocant Sacramenti. Aliquando enim sola manûs impositio adhibita est, aliquando Chrismatis unctio, modò in vertice, modò in fronte, modò in omnibus membris & toto corpore, modò puro oleo, modò oleo & balsamo, modò aliis odoriferis unguentis, absque oleo.

Dallæi doctrina includitur propositionibus sequentibus. Iª est, *manuum impositionem Confirmationis materiam non esse, imò nec ullius Sacramenti esse posse*, l. I. c. ult. IIª, *manuum impositionem & Unctionem caremonias Baptismi fuisse post annum Domini* CLX. *inventas & usurpari cœptas*, l. II. c. III. *& non Sacramenti materiam.* IIIª, *quòd mixta hæc, atque è duabus speciebus distinctis oleo & balsamo concreta materia, magnâ priùs pompâ ab Episcopo ad hunc usum dedicata, multiplici tum prece, tum signaculo, denique & salutatione inaugurata, peregrinum quidpiam sit, atque in Religione Christianâ inusitatum*, l. I. c. III. IVª, *quòd cùm Christus eas res adhibuerit in materiâ Sacramentorum, quæ fere ubique sunt obviæ, & facilè à quibusvis comparari possunt; balsamum, quod rarum est in rerum naturâ, & ingentis pretii, & exigui in vita communi usûs, materia Confirmationis dici non potest*, c. cit. Vª denique, *quòd cùm ante annos* CCC. *Aureolo teste in* IV. *dist.* VII. q. I. *nondum esset constitutum in quonam sita sit materia Confirmationis, alienum censeri debet à ratione Sacramenti novæ Legis, de cujus ut potè materiâ, adeoque essentiâ, mille & trecentis post Christum annis non constitit*, lib. I. c. III.

ARTICULUS QUARTUS.

De erroribus circa formam Confirmationis.

CERTUM est ea verba habere rationem formæ Confirmationis, quæ proferuntur cùm applicatur materia, & significant effectum per quem illa producitur. Sed quia dubium est, utrùm impositio manuum & Chrismatio simul, aut alterutra sint materia essentialis; & Pontifex *orat*, quando manus imponit; quando verò Chrismat, utitur his vel similibus verbis: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.* Ideo obscurum manet inter Catholicos, in quo præcisè consistat; in hujusmodi oratione sola, in verbis modò recitatis solis, in oratione ac verbis istis simul.

LUTHERANI.

Kemnitius in exam. de forma loquitur eodem modo, quo

de materia, contenditque 1°, *nulla in Scripturis habere fundamenta.* II°, adjungit, *formam hanc*, SIGNO TE *&c. non modò neque ab Apostolis fuisse usurpatam, sed nec in vetustis Scriptoribus, nec in Canonibus expressam.* III°, *quòd fabricata, imò adulterata videtur à posteris, ex Ambrosij sententiâ, de his qui initiantur* c. VII. Denique, *inde fieri, ut in ipsis Pontificibus non eadem sit illa forma.*

CALVINISTÆ.

Calvinus Instit. c. cit. §. V. *Peragitur hæc Confirmatio hâc verborum formulâ :* CONSIGNO TE *&c. Pulchrè hæc omnia & venustè.. Sed ubi Dei verbum, quod Spiritus sancti præsentiam hic promittat? ne ïota quidem ostendere possunt. Unde ergo nos certiores facient Chrisma suum esse vas Spiritus sancti? Videmus oleum, crassum scilicet & pinguem liquorem: præterea nihil. Accedat, inquit Augustinus, verbum ad elementum, & fiet Sacramentum. Hoc, inquam, verbum proferant, si quicquam nos intueri in oleo valent aliud quàm oleum.*

Spalatensis num. XLIV. ait, *ex Scripturâ nihil haberi, sive certum & definitum, quibus Verbis sit utendum, vel usi sint Apostoli in dandâ Confirmatione; sive incertum & indefinitum, puta orandum esse, vel benedicendum &c.* Et antea scripserat, *orationem non posse esse formam Sacramenti, quia oratio impetrat gratiam ex opere, quod aiunt, operantis: at formæ Sacramentorum eam conferunt ex opere operato.*

Dallæus siiet omnino de *oratione*, per quam Spiritus sanctus invocatur super eum, super quem manus imponitur. Ad alteram attendit l. I. c. II. in his verbis positâm: CONSIGNO TE SIGNO CRUCIS *&c.* pronunciatque non modò *nihil in omnibus Scripturis divinis extare simile verbis istis conceptis, sed etiam ab Evangelij majestate, gravitate, atque genio tantùm esse distantem, quantùm cœlum à terra abest*; *neque ipsos qui hæc docent, atque defendunt, revera sic à Christo institutam præceptamque fuisse putare* : & cap. sequenti, *de hac ipsâ formâ litigare, aut certè litigasse olim Latinorum scholas* observat.

ARTICULUS QUINTUS.

De erroribus circa gratiam, præcipuum Confirmationis effectum.

CONFIRMATIO instituta est, ut faciat Christianos perfectos, qui sunt quasi modò geniti infantes per Baptismum; atque ut det robur & vires ad confitendum & glorificandum nomen Domini nostri Jesu Christi, sine quâ teneritudinem quandam & mollitiem infantiæ Christianæ haberent. Unde gratia confirmatoria est gratia perfectionis, & roboris, atque virtutis, seu gratia *ad augmentum & firmitatem justitiæ*, ut loquitur S. Thom. III. p. q. LXXII. art. VII. ad I. nec fit injuria Sacramento Baptismi, quando effectus iste non ipsi tribuitur, sed Confirmationi, sicut Conc. Trid. definit Can. II. suprà cit.

LUTHERANI.

Lutherus l. de captiv. Babyl. attribuit Eucharistiæ virtutem confirmandi.

Ejus discipuli concinunt Kemnitio scribenti in Exam. *Pontificiam doctrinam de Confirmatione, cum insigni injuriâ & contumeliâ Baptismi conjunctam esse. Pontificios dicere, in Baptismo non dari Spiritum sanctum ad pugnam contra diabolum: sed in actione Baptismi multis verbis & exigi, & fieri abrenunciationem satanæ. Dicere* (Pontificios) *in Baptismo non dari Spiritum tuentem & defendentem: atqui Baptistam in ipsa actione orare.* QUI TE REGENERAVIT CUSTODIAT TE IN VITAM ÆTERNAM.

CALVINISTÆ.

Calvinus l. IV. Instit. c. XIX. §. VIII. *Adeò nihil pudet, ut negent Baptismum ritè sine Confirmatione perfici posse. O nequitiam! annon igitur in Baptismo Christo consepulti sumus, facti participes mortis ejus, ut & resurrectionis simus consortes? hanc autem societatem cum morte & vita Christi, Paulus interpreta-*

tur mortificationem carnis nostræ, & vivificationem spiritûs: quòd vetus homo noster crucifixus est, quò nos in novitate vitæ ambulemus. Quid est instrui ad pugnam, nisi hoc est? Et postea. *Quod autem Lucas dicit baptizatos in nomine Jesu Christi fuisse, qui non accepissent Spiritum sanctum: non simpliciter negat ullo Spiritûs dono præditos, qui in Christum corde crederent, & ipsum ore confiterentur: sed acceptionem Spiritûs intelligit, quâ manifestæ virtutes, & visibiles gratiæ percipiebantur.* Et postea. *Videte malitiosam & sonticam satanæ fraudem, qui ex Deo estis. Quod verè in Baptismo dabatur, in suâ Confirmatione dari mentitur: ut furtim incautos à Baptismo abducat.*

Et §. IX. *Addunt præterea fideles omnes Spiritum sanctum per manuum impositionem accipere debere post Baptismum, ut pleni Christiani inveniantur: quia nunquam erit Christianus, nisi qui Confirmatione Episcopali fuerit Chrismatus.* Et postea. *Hac sententiâ damnantur omnes Apostoli & tot Martyres, quos nunquam fuisse Chrismatos certo certiùs est.* Et iterum. *Abundè se ipsi refellunt. Quotam enim populi sui partem post Baptismum perungunt? Cur igitur patiuntur in suo grege tales semi-Christianos, quorum imperfectioni mederi facile erat? scilicet dum licenter contemni patiuntur, tacitè fatentur non tanti esse, quanti venditant.*

Et in antidoto Can. II. *Crepent licèt, nihil proficient negando, se in Spiritum Dei esse contumeliosos, ejus virtutem dum ad putidum oleum transferunt.*

Dallæus l. I. c. II. *Causantur spirituali robore ad mystica adversùs persecutores certamina opus fuisse. Quasi verò Spiritus ille, quem in genitali Christi undâ hausimus, iners sit & ignavus; vel cor non confirmet panis ille quem in Domini mensâ invadimus?*

ARTICULUS SEXTUS.

De erroribus circa characterem, alterum Confirmationis effectum.

DE Fide est, ex Conc. Trid. sess. VII. de Sacram. in genere Can. IX. *Characterem imprimi Confirmatione*, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non potest.

LUTHERANI ET CALVINISTÆ.

Doctrinam hanc reprobant locis à me citatis, Tr. de Sacram. in genere disp. I. a. v.

Dallæus l. I. c. III. reponit istam fidei propositionem inter somnia Catholicorum.

ARTICULUS SEPTIMUS.

De erroribus circa Ministrum Confirmationis.

CONC. Trid. sess. VII. de Confirm. Canon. III. est : *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.*

VALDENSES, WICLEFUS ET HUSSITÆ.

Ex dictis a. II. evidens est istos pati non posse, quòd administrationem Confirmationis Episcopis solis tanquam Ministris illius ordinarijs reservatam esse contendimus. Et quia fundamentum ejusce erroris est; Episcopum non distingui à Presbytero secundùm potestatem Sacramentalem; ideo quotquot amplexati sunt errores Aërij, jure ac meritò annumerantur inter adversarios Canonis istius.

LUTHERANI.

Lutheri l. de captiv. Babylon. verba sunt ista. *At nunc nihil eis relictum est, nisi quantùm ipsi excogitavimus, pro ordinandis officiis Episcoporum, ne penitùs sint sine opere in Ecclesia. Postquam enim Sacramenta illa negotiosa, unâ cum verbo, alijs inferioribus, ut vilia reliquerunt (nimirùm, quòd quicquid divina instituit maiestas hominibus oporteat esse contemptum) justum fuit, ut facile aliquod, quod tam delicatis & Magnis Heroïbus non esset molestum, invęniremus, & nequaquam, seu vile inferioribus committeremus. Nam quod humana statuit sapientia, oportet ut hominibus sit honoratum. Ita quales sunt Sacerdotes,*

tale habeant ministerium & officium. Nam Episcopus non evangelizans, nec animas curans, quid est, nisi idolum in mundo, habens nomen & figuram Episcopi?

Kemnitius in Exam. subscribit Luthero, cujus ea verba transcribit, tangit quoque fundamentum, quod mutuatum est à Valdensibus de identitate Episcopi & Presbyteri.

CALVINISTÆ.

Calvinus IV. Instit. c. XIX. §. X. *Si quis ab illis sciscitetur, unde tanta prærogativa Episcopis delata fuerit; quam rationem afferent præter suam libidinem? Soli Episcopi eo jure usi sunt, qui soli Spiritum sanctum distribuerunt. An soli Episcopi Apostoli? imò an omninò Apostoli? demus tamen & istud: cur non eodem argumento contendunt, solis Episcopis Sacramentum Sanguinis in Cœnâ Domini attingendum esse? quod Laïcis ideo denegant, quia solis Apostolis à Domino datum fuerit. Si solis Apostolis; cur non inferunt, Ergo solis Episcopis? Sed Apostolos eo loco simplices Presbyteros faciunt: nunc capitis vertigo aliò eos rapit, ut subitò Episcopos creent. Postremò non erat Apostolus Ananias, ad quem tamen Paulus missus est, ut visum reciperet, baptizaretur & impleretur Spiritu sancto. Addam & hoc ad cumulum. Si jure divino proprium hoc munus Episcoporum; cur ausi sunt ad plebeïos Presbyteros transferre, quemadmodum in quadam Gregorii Epistola legitur?*

Et in antidoto Can. III. inverecundè atque impudenter loquens de Episcopis: *Digni sunt*, inquit, *cornuti infulatique asini tali prærogativâ.* Et postea. *Unde, quæso, probabunt Episcopis magis quàm reliquis Sacerdotibus convenire has partes, nisi quia incertis authoribus ita placuit? Nam si ex Scripturâ petatur ratio, nullum illic est, omnium confessione, Presbyteri & Episcopi discrimen. Deinde manuum impositione jubetur Paulus ab Anania recipere, qui unus erat ex discipulis.* Et postea. *Vel Dei lege sancitum est quod volunt, vel humano placito. Si Dei lex est; cur eam violare non verentur? nam Presbyteris extra ordinem concedunt jus confirmandi. Pro humano autem placito ita fulminantes, cur formidinem incutient?*

Dallæus l. I. c. II. scribit, *à Christi instituto esse alienum, ut cùm cætera Sacramenta, Baptismum videlicet atque Eucharistiam quilibet Presbyteri, soli Episcopi Confirmationem admi-*

nistrent. Illos vix dimidiam suorum partem ritè Chrismare valere..... Interdum totas gentes, v. g. Anglos, Scotos, Hibernos sine ullis Episcopis agere. Quod si ita sit, ingentem hominum multitudinem eo omni spirituali præsidio, quod huic Sacramento tribuitur, necessariò carere. A Christi bonitate alienum esse, si Sacramentum istud sit alicujus necessitatis. Quamobrem potiùs Episcoporum honori atque dignitati, quàm plebis saluti atque usui inventam priùs fuisse nostram Confirmationem.

ARTICULUS OCTAVUS.

De erroribus circa necessitatem Confirmationis.

NECESSITAS Confirmationis colligitur ex ejus institutione & effectu. Illi itaque improbant doctrinam Ecclesiæ de necessitate ipsius, quibus non placet eam aut institutam fuisse à Christo, aut etiam non habere pro effectu perficere ac roborare: de quibus cùm suprâ dixerimus, supervacaneum est hîc dicta referre, aut etiam fusiùs explicare.

ARTICULUS NONUS.

De erroribus circa ritus Confirmationis.

PRÆCIPUI ritus isti sunt. *Chrisma consecratur, patrini adhibentur, nomen immutatur vel additur priùs imposito. Frons confirmandi abluitur, qui vestibus mundis atque honestis indutus sese sistit Episcopo. Tempus non unum, sicut nec locus administrationis. Episcopus super confirmandum manus imponit, pollice quoque frontem illius Chrismat in modum seu in figuram crucis*, sub præscripta verborum formulâ. *Tota deinde manu in faciem cædit alapam dando, frons Chrismate delibuta panno albo seu vittâ lineâ, quam bandellum nuncupamus, circumcingitur*, ne recens unctio vel defluat, vel deleatur. *Post aliquod tempus deponitur, Chrisma abstergitur.*

LUTHERANI.

Præter ea quæ generatim redarguunt in ritibus & cære-

moniis Eccleſiaſticis Sacramentorum, Kemnitius in Exam. ſpeciatim ea ſuggillat. I. *Chriſmationem in modum crucis, tanquam non habentem fundamentum in Scriptura.* II. percuſſionem confirmati. *Deſideras*, inquit, *forſan, impoſitionem manuum cujus fit mentio Act.* VIII. *&* XIX. *En tibi illam. Quia enim in Pontificiâ Eccleſiâ ſequi idem eſt quod præcedere, ideo Epiſcopus percutiens confirmatum in maxillam poſt Confirmationem, repræſentat manuum impoſitionem in actis, quæ tunc præceſſit donationem Spiritûs. Quid verò audio? eſt ne igitur manus imponere, alapis aliquem in faciem cædere? Quando igitur Chriſtus dicit: ſuper ægrotos manus imponent, ſenſus erit: Decumbentes alapis benè cædent, & tunc pejùs habebunt. Quid verò ſunt, ſi hæc non ſunt profeſſa Verbi Dei ludibria?*

CALVINISTÆ.

Eodem modo loquuntur de cæremoniis, quas Eccleſia Romana in Sacramentis adhibet, quo Lutherani. Calvinus Inſtit. l. IV. c. XIX. §. XI. *fermentum*, eas appellavit, *quo Sacramentorum puritas vitiatur.* Scripſit quoque non ſemel earum occaſione, *in Eccleſiâ Catholicâ, vix in Sacramentis interlucere per rimulas quod Dei eſt, inter humanarum inventionum turbam.* Quare quas adhibemus in Confirmationis adminiſtratione cæremonias, facile Calvinus improbaret, etiamſi non inficiaretur collocandam in album Sacramentorum. Eadem eſt mens Calvini diſcipulorum.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Confirmationis ratione Sacramentali.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm probari possit ex Scripturis Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis.

QUI ex Theologis opinantur Confirmationem non fuisse institutam immediatè per Christum, existimant non posse probari efficaciter ex Scripturis, quòd sit Sacramentum. Ex eorum verò numero quibus placet eam institutam fuisse immediatè à Christo, alij putant veritatem hanc fidei non posse stabiliri ex sacris Litteris adversùs hæreticos, quippe quæ sit de illarum numero, quæ non sunt scriptæ in libris divinitùs inspiratis, sed quarum notitia per Apostolos à Christo ad nos usque, traditione pervenerit.

Ita Scotus in IV. dist. VII. L. B. ad I. *Supponitur*, inquit, *institutum esse à Deo, licèt tempus & modus hujus institutionis in Scripturâ non legatur: forte quia Historiographi Scripturam usque ad tempus illud non produxerunt: non enim produxerunt ultra tempus Apostolorum, nec etiam usque ad plures annos ante mortem eorum. Toto autem tempore Apostolorum, fortè mansit donum linguarum in Sacramento Confirmationis, nec est improbabile multa esse tradita authenticè à Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in Scripturâ non legimus, ut dicit Damascenus*

IV. *lib. c.* IV. *ubi loquens de adoratione imaginum ait: Est autem non tradita ista adoratio, quemadmodum oportet ad Orientem adorare Crucem, & altera plurima his similia.* Ita Gabriel. in IV. dist. VII. q. unicâ L. D. his verbis. *Quòd autem tempus institutionis & modus non legitur in Scriptura, nihil probat: quia multa fecit Deus, quæ scripta non sunt, Joan.* XX. *Multa denique tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, & per successionem Episcoporum ad nos derivata, quæ non sunt scripta in Canone Bibliæ, ut habet Innoc.* &c. Idem etiam Major.

Dallæus l. I. c. V. religiosè observat authores istos *ad traditionem non scriptam velut ad sacram Anchoram confugere.* Neque verò id ægrè admittimus. Sed quòd accuset Scotum ineptiæ, propter eam quam subjicit ibi rationem: *Historiographi Scripturam usque ad tempus illud non produxerunt:* illud certè est, quod vir æquus ferre minimè potest. *At,* inquit, *cùm historia in novo Testamento ad Christi usque Ascensionem perducta fuerit; nemo non intelligit, si à Christo in terris versante instituta sit Confirmatio, Libros sacros necessariò id etiam tempus complecti, quo ea instituta est.* Quasi verò omnia quæ fecit Jesus, Evangelicis contineantur oraculis? Quasi verò non multa docuerit Apostolos ab illis ad nos usque voce, non scripto transmittenda? Quando Scotus scribit *historiographos non produxisse Scripturam sanctam usque ad tempus illud:* per has voces, *Tempus illud,* non intelligit tempus institutionis Sacramenti; sed intelligit tempus, quo, cessante descensu Spiritus sancti sub specie visibili, & dono linguarum, inceperunt materia & forma adhiberi ad Sacramentum Confirmationis, quæ antea, ut putabat, non adhibebatur. Id antecedentia ipsius verba sonant. *Dicendum,* inquit, *quòd Christus non alligavit potentiam suam Sacramentis: & ideo ipse, sive in terris, sive post Ascensionem in cælo existens, potuit confirmare Apostolos sine tali materiâ & tali formâ: cum Apostolis etiam in primitivâ Ecclesiâ potuit dispensare, & maximè quia in Confirmatione ab eis collatâ, erant aliqua signa sensibilia, puta communiter descensus Spiritûs sancti super confirmatos, & donum linguarum: sed tamen cessantibus talibus miraculis, ministri debuerunt hanc materiam & formam servare. Supponitur enim institutum à Deo, licèt tempus & modus hujus institutionis in Scripturâ non legatur: fortè quia historiographi* &c. Et hæc verba scripsit respondendo ad primam objectionem quæ est ejusmodi.

modi. *Objicitur 1° contra materiam & formam simul, quòd Christus non sic* (id est unctionem Chrismatis sub his verbis: SIGNO TE SIGNO &c.) *instituit, ut patet Joan.* XX. *quando insufflavit & dedit Discipulis Spiritum sanctum: & similiter Act.* II. *quando misso Spiritu sancto in linguis igneis confirmabantur: nec etiam Apostoli tali formâ utebantur vel materiâ, ut patet in Actibus, sed impositione manuum.* His præmissis

Nostra sit propositio. Probatur efficaciter ex Scripturis Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis propriè dictum. Propositio est communis apud Theologos, & ostenditur ex Act. VIII. c. Baptizatis Samaritanis per Philippum Diaconum: *Cùm audissent Apostoli*, inquit Scriptura, *qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cùm venissent, oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Ex hoc loco sic argumentor. Ubicumque est signum sensibile, constans ex rebus & verbis, perpetuum & practicum gratiæ sanctificantis, est Sacramentum novæ Legis: atqui ibi videmus signum sensibile, constans ex rebus & verbis, nimirum impositionem manuum junctam orationi, & hoc signum est perpetuum & practicum gratiæ sanctificantis.

Quod probo adversùs novatores contendentes fuisse duntaxat institutum pro incunabulis Ecclesiæ atque ad dona exteriora, seu gratias gratìs datas, sub visibili specie: probo, inquam, ex Patribus, qui perspicuè testificantur hanc ipsam *manûs impositionem*, de quâ in Actis Apostolorum, esse id quod sequentibus Ecclesiæ sæculis usurpatum est, ad gratiæ sanctificantis augmentum in Neophytis.

Cyprianus Epist. ad Jubaïanum, quæ est LXXIII. *Quod autem dicunt quidam, de eis qui in Samariâ baptizati fuerant, advenientibus Apostolis Petro & Joanne, tantùm super eos manum impositam esse, ut acciperent Spiritum sanctum, rebaptizatos tamen non esse: locum istum, frater charissime, ad præsentem causam videmus omninò non pertinere. Illi enim qui in Samaria crediderant, fide verâ crediderant, & intùs in Ecclesiâ, quæ una est, & cui soli gratiam Baptismi dare, & peccata solvere permissum est, à Philippo Diacono, quem iidem Apostoli mi-*

ſerant, baptizati erant. Et idcirco quia legitimum & Eccleſiaſticum Baptiſmum conſecuti fuerant, baptizari eos ultrà non oportebat: ſed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum eſt, ut oratione pro eis habitâ, & manu impoſitâ, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. QUOD NUNC QUOQUE APUD NOS GERITUR, *ut qui in Eccleſiâ baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, ut per noſtram orationem ac manuum impoſitionem Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Quo ex loco tria patent. I. Cypriani ſæculo id geſtum fuiſſe in Eccleſiâ per *impoſitionem manuum* & *orationem*, quod à Petro & Joanne factum eſt Samaritanis baptizatis per Philippum: unde conſequitur impoſitionem hanc manuum non fuiſſe tantùm pro eo tempore, quo gratiæ gratìs datæ viſibiliter conferendæ erant. II. quòd quia tum temporis gratiæ iſtæ gratìs datæ viſibiliter conferri deſierant, gratia ſanctificans intelligitur per hanc vocem *Spiritus ſanctus.* III. denique, *manuum impoſitionem* hanc per ea tempora uſurpatam, eſſe *Confirmationem*: quod evincitur ex verbis iſtis: *Spiritum ſanctum conſequantur, & ſignaculo Dominico conſummentur.* Ac præterea, quia conſentiunt omnes hîc agi de Confirmatione baptizatorum, quæ fit à Pontifice, ut fuſiùs infrà dicturi ſumus.

Joannes Chryſoſt. in hunc locum Actorum ait de Philippo: *Ideo & baptizans Spiritum non dabat: neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum ſolorum Apoſtolorum erat.* Et poſtea. *Virtutem quidem acceperant faciendi ſigna, non autem dandi alijs Spiritum ſanctum. Igitur hoc erat in Apoſtolis ſingulare. Unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.* Quo loco habemus impoſitionem manuum per quam datus eſt ab Apoſtolis Spiritus ſanctus, perſeveraſſe ſub Chryſoſtomo: per hanc dari Spiritum ſanctum ab Epiſcopis, ſicut datus eſt ab Apoſtolis. Quare, cùm nomine Spiritus ſancti non poſſit intelligi gratia gratìs data, per ſigna viſibilia collata, quia longè ante Chryſoſtomum conferri deſierat, intelligi neceſſe eſt gratiam ſanctificantem.

Innocentius I. Epiſt. 1ª quæ eſt ad Decentium Eugubinum Epiſcopum c. III. *De conſignandis verò infantibus manifeſtum eſt non ab alio quàm ab Epiſcopo fieri licere. Nam Preſbyteri, licet ſint Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel conſignent, vel*

Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis cùm tradunt Spiritum Paracletum. Verba hæc Innocentii ostendunt *manuum impositionem*, de quâ in Actis, eamdem esse cum confirmatoria, quæ frequentabatur sub finem IV. sæculi & initio V. adeoque quâ gratia sanctificans, non quâ gratiæ gratis datæ sub specie visibili conferebantur.

Hieronymus, Dialogo adversùs Luciferianos, respondet sub nomine Orthodoxi Luciferiano qui dixerat: *An nescis Ecclesiarum esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum. Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt: velut in lavacro ter caput mergitare; deinde egressos lactis & mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem.* Ita, inquam, sub nomine Orthodoxi respondet. *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos, qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Et postea. *Episcopus si imponit manum, iis imponit, qui in rectâ fide baptizati sunt.* Et infrà. *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui: disce hanc observationem ex eâ authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem.* Circa quem locum observo, orationem, quæ ad manuum impositionem super baptizatos effundebatur, dum in vivis esset Hieronymus, eandem esse cum illâ, de quâ Act. VIII. & XIX. & Spiritum sanctum fuisse collatum baptizatis eâ manuum impositione, quo nomine intelliguntur *gratiæ gratum facientes*, non gratis datæ.

Augustinus l. XV. de Trinit. c. XXVI. disputans de proces-

ſione Spiritus ſancti à Patre & Filio, docet ex Scripturis Spiritum & à Patre & à Filio dari, neque Deum poſſe dari niſi à Deo. Sic loquitur. *Neque enim aliquis Diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant. Quem morem in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Quibus verbis conſtat, quòd Auguſtini ſæculo ritus ille manuum impoſitionis, de quo in Actis Apoſtolorum, religiosè obſervabatur: neque verò per illum Spiritus ſanctus qui dabatur, aliud erat à gratiâ ſanctificante, quia gratia ſignorum & miraculorum, adeoque omnis gratia gratìs data per illam, deſierat conferri viſibiliter.

Et lib. III. de Baptiſmo c. XVI. *Non autem habent Dei charitatem, qui Eccleſiæ non diligunt unitatem: ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi niſi in Eccleſia Catholica Spiritus ſanctus. Neque enim temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus, per manûs impoſitionem modò datur Spiritus ſanctus, ſicut antea dabatur, ad commendationem rudis fidei, & Eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut i quibus manus ad accipiendum Spiritum ſanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? ſed inviſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inſpirari, ut poſſint dicere:* QUONIAM CHARITAS DEI DIFFUSA EST IN CORDIBUS NOSTRIS. En *ritum impoſitionis manuum*, ex Auguſtino, eundem cum illo qui frequentabatur ab Apoſtolis, cum eâ ſolum diſtinctione, quòd Spiritus ſanctus nunc non datur temporalibus & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus; ſicuti dari primitus par erat, ad firmandos in fide animos rudium, atque ad Eccleſiæ primordia dilatanda; nunc verò datur ſine illo teſtimonio ſenſibili, ſed cum teſtimonio bonorum operum à charitate procedentium.

Et Trac. VI. in I. Epiſt. S. Joan. *Primis temporibus cadebat ſuper credentes Spiritus ſanctus; & loquebantur linguis quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronunciare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum ſanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas curſurum erat toto orbe terrarum. Significatum eſt illud, & tranſiit. Nunquid modò quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? Aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit unuſquiſque veſtrûm,*

utrùm linguis loquerentur, & cùm videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrùm fuit, ut diceret: Non acceperunt isti Spiritum sanctum: nam si accepissent, linguis loquerentur quemadmodum tunc factum est? Si ergo per hæc miracula modò testimonium præsentiæ Spiritus sancti non fit: unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum: si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. Ibi per impositionem manuum baptizatis factam producitur charitas.

Isidorus Hispalensis l. II. de Officiis c. XXVI. *Sed quoniam post Baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus cum manuum impositione*, HOC IN ACTIBUS APOSTOLORUM *fecisse meminimus Apostolos.* Et postea refert verba Act. XIX. & VIII. subjicitque: *Spiritum autem sanctum accipere possumus, dare autem non possumus, sed ut detur Deum invocamus. Hoc autem à quo potissimùm fiat, quemadmodum Papa Innocentius scribit, subjiciam.* Locum deinde adfert cit. Innoc. ad Decentium.

Beda in hæc verba cap. VIII. Actuum Apost. scribit: *Notandum quòd Philippus qui Samariæ evangelizabat, unus de* VII. *fuerit. Si enim Apostolus esset, ipse utique manum imponere potuisset, ut acciperent Spiritum sanctum. Hoc enim solis Pontificibus debetur. Nam Presbyteris sive extra Episcopum, sive præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum: non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum baptizatis.* Patet ex hoc contextu, id quod modò fit, quando baptizati Chrismate liniuntur, & per ejusmodi ritum Spiritus sanctus infunditur, idem esse cum impositione manuum facta ab Apostolis, de quâ libro Actorum.

Jesse Ambian. Episcopus, de Baptismo. *Post hæc confirmet eum Episcopus in fronte de Chrismate. Ideoque manûs impositio fit, ut per benedictionem advocatus & invitatus Spiritus sanctus super eos descendat*, JUXTA EXEMPLUM APOSTOLORUM. Refert autem verba c. VIII. Act.

Theodulphus Aurelianensis lib. de Ordine Bapt. c. XVII. *Quòd ergo Presbyteris baptizatos Chrismate ungere licet, Spiritum verò sanctum per manûs impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est traditus.* Subjungitque verba Act. XIX. & VIII.

Amalarius Trevirensis, ad eandem veritatem stabiliendam l. I. de Officiis c. XXVII. verba quoque refert Act. XIX. & VIII.

Walfridus Strabo lib. de Rebus Ecclesiasticis c. XXVI. ait. *Cùm primis temporibus impositione manuum Baptismus confirmari soleret, quod in* SAMARIA *fecisse* PETRUM *legitur &* JOANNEM. *Quæ confirmatio & tunc ad primos Ecclesiæ Pastores pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur.*

Conc. Parisiense VI. congregatum anno VCCC. XXIX. lib. I. c. XXVII. de Chorepiscopis definiens, ostendit locos istos Actor. VIII. & XIX. intelligi de *manûs impositione confirmatoriâ.*

Jonas Aurelianensis lib. I. de Instit. Laïcali c. VII. explicans ritum Confirmationis, & maximè quæ spectant ad illius *Ministrum*, ex iisdem Actorum locis conficit esse solum *Episcopum.*

Author libri de Divinis Officiis, qui nomine Alcuini circumfertur, cap. XIX. *Quamvis Presbyteri sint Sacerdotes, Pontificatûs tamen apicem non habent: & ideo solis Pontificibus debetur ut consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, sicut* LECTIO APOSTOLICORUM ACTUUM *demonstrat, quæ asserit Petrum & Joannem esse directos, ut baptizatis traderent Spiritum sanctum.*

Honorius Augustodunensis, in Gemma animæ c. CXIV. *Hanc Confirmationem fecerunt olim* APOSTOLI *per manûs impositionem: illorum posteri, eis tamen tradentibus, per Chrismatis consecrationem.*

Authoritates propositæ nobis aperiunt sensum legitimum relati textûs Act. VIII. esse, quòd impositio manûs, ad quam faciendam super baptizatos à Philippo, missi sunt Petrus & Joannes, sit ritus perpetuus, per quem gratia sanctificans producitur in anima suscipientium. Ejusdem generis est alter locus Act. XIX.

Probatur præterea nostra propositio ex Apostolo ad Heb. c. VI. *Quapropter*, inquit, *intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùm jacientes fundamentum Pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ*, IMPOSITIONIS QUOQUE MANUUM. Quæ quidem manuum impositio exponitur de Sacramento Confirmationis à Græcis, Chrysostomo, Theodoreto, Eulogio Alexandrino, Gennadio Constantinopolitano, Photio, Oecumenio, Theophilacto: & ex Latinis, ab Augustino, Ambrosiastro, Sedulio, Primasio, Lanfranco, Anselmo, quorum testimonia suo referemus ordine.

Objicit I. Dallæus lib. I. c. IX. post Kemnitium in Exam. *Datum ab Apostolis per manuum impositionem Spiritum sanctum fuisse propriè spiritum charismatum gratìs datorum, sive miraculosorum & extraordinariorum : quod patet ex illis verbis Propheticis Joëlis II.* EFFUNDAM DE SPIRITU MEO SUPER OMNEM CARNEM, ET PROPHETABUNT FILII VESTRI. *Item ex illo Mar. ult.* SIGNA AUTEM EOS QUI CREDIDERINT HÆC SEQUENTUR. IN NOMINE MEO DÆMONIA EJICIENT. *Item ex actis passim : ubi observatur, quòd ii in quos descendebat Spiritus sanctus, loquebantur linguis.*

Respondeo : Spiritum charismatum gratìs datorum concessum quidem fuisse ab Apostolis per manuum illam impositionem, ut contendit objectio : sed præterea collata sunt charismata gratum facientia. Manûs impositio tunc temporis id eis præstitit, quod manûs impositio nobis nunc præstat, quamvis non præstet nobis id omne quod illis præstabat. Et duo quidem effectus impositionis manuum ita se habebant, ut alter esset *transitorius*, & pro certo tantùm tempore, juxta doctrinam Augustini, *ad commendationem videlicet rudis fidei, & Ecclesiæ primordia dilatanda. Signa erant tempori opportuna. Significatum est illud, & transiit*; alter verò *permanens* & perpetuus, nempe gratia confirmans & corroborans. Quòd enim etiam gratia gratum faciens, Apostolicâ manuum impositione conferretur baptizatis, patet : quia hæc gratia ejusdem est generis & ordinis, cujus est ea quam Apostoli die ipso Pentecostes acceperunt, ex descensu Spiritus sancti super eos. Unde S. Petrus Act. XI. *Cùm autem cœpissem loqui, cecidit Spiritus sanctus super eos, sicut in nos in initio.* Atqui certum est Apostolos, per descensum Spiritus sancti, sub symbolo ignearum linguarum, die ipso Pentecostes, recepisse gratiam confortantem & roborantem, quâ facti sunt liberi & intrepidi prædicatores Evangelij, quæ gratia est sanctificans, ut ex libro Actuum colligitur, & docent SS. Patres. August. tract. VI. in Joan. *Duobus modis*, inquit, *eum ostendit visibiliter, per columbam & per ignem. Per columbam super Dominum baptizatum, per ignem super Discipulos congregatos. Ibi simplicitas, hic fervor ostenditur.* Et speciatim de Petro, tract. LXVI. in Joan. *Quid festinas Petre? Nondum te suo Spiritu solidavit Petra.* Tract. XCII. *Ante Passionem Domini, servilis timor ejus interrogatus est à fœmina servitutis : post Resurrectionem verò Domini, liberalis*

ejus amor ab ipso Principe libertatis : & ideo ibi turbabatur, hic tranquillabatur; ibi quem dilexerat, negabat, hic quem negaverat, diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat & angustus, donec eum roboraret & dilataret Spiritus sanctus. Tract. XCIII. *Parum fuerat eos adhortari exemplo suo, nisi impleret Spiritu suo. Denique Apostolus Petrus succubuit & negavit. Cùm verò accepit donum Spiritus sancti, quem negaverat prædicavit, & quem confiteri timuerat non timuit profiteri. Priùs enim exemplo quidem fuerat edoctus, ut quod fieri convenerat nosset : sed nondum fuerat virtute fultus, ut quod noverat faceret. Instructus erat ut staret : sed non erat firmatus ne caderet.* Et Eusebius Emiss. seu potiùs Hilarius Arelat. Hom. de Pentecoste. *Hic si forte illud etiam requirere velimus, post Passionem & Resurrectionem Christi, quid Apostolis profuerit adventus Spiritus sancti, ipse Dominus eis hoc evidenter exponit. Quæ dico, inquit, vobis, non potestis ea portare modò. Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, ipse docebit vos omnem veritatem. Vides, quia cùm Spiritus sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur? Itaque ante descensionem Spiritus sancti, usque ad negationem Apostoli deterrentur; post visitationem verò ejus, usque ad Martyrium, contemptu mortis armantur.* Gregor. Magnus Serm. III. in Evang. *Ipse Pastor Ecclesiæ quantæ debilitatis, quantæque formidinis ante adventum Spiritus fuerit, ancilla ostiaria requisita dicat. Sed vir iste tantæ formidinis, qualis post adventum Spiritûs existat, audiamus. Fit conventus Magistratûs atque seniorum, cæsis denunciatur Apostolis, ne in nomine Jesu loqui debeant : Petrus magnâ authoritate respondet; Obedire oportet Deo magìs quàm hominibus.* Generatim verò de omnibus Apostolis August. Serm. LXXXV. de temp. *Erat quidem in eis fides, sed fiducia constantiæ deerat. Jam quidem Christum per universa poterant prædicare : sed adhuc pro Christo usque ad mortem certare non poterant, usque adeò ut nullum ex Discipulis coronaverit palma Martyrij ante adventum Spiritus sancti.* Et quidem tunc fuit completum, quod Christus dixerat Apostolis Lucæ ultimo : *Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* Unde S. Thom. lect. III. in c. II. ad Galat. *Post gratiam Spiritus sancti, nullomodo peccaverunt mortaliter Apostoli; & hoc donum habuerunt per potentiam divinam, quæ eos confirmaverat.* Tunc etiam verificatum est illud Apost. Rom. VIII. *Nos ipsi primitias Spiritûs habentes.*

habentes. Ad quæ verba S. Thomas. *Quia scilicet Spiritum sanctum & tempore priùs, & cæteris abundantiùs Apostoli habuerunt.* Et postea. *Ex quo patet, quòd Apostoli sunt omnibus aliis sanctis præferendi, tanquam abundantius Spiritum sanctum habentes.* Et Theologi communiter sentiunt Apostolos fuisse confirmatos post descensum Spiritus sancti.

Observa *gratiam roborantem atque confirmantem in fide* Apostolos, esse *charitatem, fervorem, amorem, fiduciam constantiæ, gratiam quâ cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur, quâ ad Martyrium contemptu mortis armati sunt, gratiam denique, quam quia abundantiùs cæteris acceperunt, omnibus aliis sanctis sunt præferendi.* Quæ omnia destruunt responsionem Dallæi, quam verbis istis c. cit. concepit. *Denique gratiam ab Apostolis datam, ego facilè concesserim fuisse roborantem & confirmantem in fide, si modò eo sensu sumas, quo paulò antè explicavimus, nimirùm ut gratia fuisse intelligatur, quæ per se, & ex suo ingenio, & sanè ex Dei authoris, atque Ministrorum, sive Apostolorum consilio, ad Evangelii veritatem demonstrandam pertinebat.*

Nec dicas responsione nostrâ supponi; Apostolos habuisse plenitudinem gratiæ, quâ factum est ut postea non peccaverint amplius mortaliter, id neminem asserturum unquam esse à Confirmationis Sacramento tanquam à causâ. Ne, inquam, id dicas: nam hæc eo fine tantùm attuli, ut ostenderem Apostolos, per descensum Spiritus sancti, accepisse gratiam confortantem, & charitatem roborantem, quæ gratia seu charitas habuit in illis adjuncta sibi auxilia adeo valida & efficacia, ut perseverans fuerit usque ad mortem, sicuti est gratia Baptismi in adultis cum eâ morientibus, vel in pœnitentibus prædestinatis gratia Sacramenti, quæ habet perseverantiam sibi adjunctam. Quemadmodum non sequitur hanc gratiam non esse gratiam Baptismi seu Pœnitentiæ; ita non sequitur alteram gratiam non esse gratiam Sacramenti Confirmationis, etiamsi talibus auxiliis fuerit in Apostolis circumvestita. Duo itaque in eo distinguenda sunt, quòd *roborati* fuerint, & quòd *perseveranter*: alterum est à Sacramento Confirmationis *simpliciter*, & commune iis omnibus, qui ut par est, Sacramentum illud recipiunt; alterum est à Confirmatione, non simpliciter, sed *ut subest ordini prædestinationis Divinæ,* & est speciale donum prædestinatorum, non commune singulis confirmatis.

Deinde gratia gratis data, collata Apostolis ipso die Pentecostes, erat perfectior aliis quas cæteri postea fideles habuerunt per descensum Spiritus sancti sub signis visibilibus, & tamen erat intra eundem ordinem seu speciem. Ergo gratia gratum faciens eâdem die collata Apostolis ad descensum Spiritus sancti, est pariter intra eundem ordinem & speciem cum gratia gratum faciente cæterorum fidelium, per descensum Spiritus sancti receptâ; etiamsi illæ essent inæqualis longè perfectionis.

Objicit II. Dallæus ejusdem lib. c. x. *Baptizati à Philippo in Samariâ, cum per Petrum & Joannem Spiritum acceperunt, quo antè caruerant. At non caruerant Spiritu sancto prout importat gratiam sanctificantem: quia baptizati fuerant Baptismo Christi, adeoque Christi erant; qui verò Christi sunt, illi Spiritum Christi habent: (Unde Apost. Rom.* VIII. SI QUIS SPIRITUM CHRISTI NON HABET, HIC NON EST EJUS: *) & caruerant gratiâ gratis datâ. Ergo acceperunt gratiam gratis datam, & non gratum facientem.*

Respondeo argumentum retorqueri posse in adversarios hoc pacto. Eum Spiritum acceperunt Apostoli die Pentecostes, quo antè caruerant. Non caruerant verò Spiritu sancto, prout importat Spiritum prædicationis Evangelii, qui est gratia gratis data: unde Christus antea Math. x. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ergo non acceperunt gratiam gratis datam, sed gratiam gratum facientem. Responderet Dallæus Apostolos caruisse Spiritu sancto sumpto eo nomine pro gratiâ gratis data, non simpliciter, sed secundùm quid, hoc est, vel ratione majoris perfectionis intra eandem speciem, vel ratione alterius speciei intra idem genus. Ego similiter dicam, baptizatos à Philippo eum spiritum intra idem genus, vel intra eandem speciem accepisse, quo caruerant: caruisse autem gratiâ sanctificante, non simpliciter, sed ratione modi cujusdam perfectionis, vel speciei alicujus gratiæ sanctificantis; sicque accepisse Spiritum sanctum, prout dicit gratiam sanctificantem certæ cujusdam intensionis, vel speciem aliquam intra illud genus gratiæ sanctificantis, & non accepisse illum quo caruerant, prout dicit simpliciter gratiam gratum facientem. Et quia acceperunt cum gratia sanctificante gratias gratis datas, in forma sic respondendum erit. Eum Spiritum

acceperunt baptizati à Philippo, quo anteà caruerant, ſimpliciter vel ſecundum quid, concedo: ſimpliciter, nego. Atqui non caruerant Spiritu ſancto, prout importat gratiam gratum facientem, ſimpliciter, concedo; ſecundùm quid, nego. Quia ſcilicet caruerant intenſione quâdam alicujus ſpeciei gratiæ gratum facientis, vel aliquâ aliâ ſpecie gratiæ ſanctificantis. Ad alteram partem minoris conceptæ in hæc verba: *Et caruerant gratiâ gratìs datâ*, ſimpliciter, eſto: Ergo acceperunt gratiam gratìs datam, concedo: & non gratum facientem ſimpliciter, concedo; ſecundùm quid, hoc eſt, in gradu intenſiori, vel quoad aliam rationem ſpecificam intra idem genus, nego. Simili argumento concluderetur fideles non accipere gratiam ſanctificantem in Euchariſtia: quia eam accipiunt in Euchariſtiâ, quâ carent ante illius perceptionem. At qui dignè accedunt ad Corpus Domini, gratia ſanctificante non carent.

Inſtat I. Gratiam confirmantem acceperant in Baptiſmo; adeoque non carebant illâ: quare ſolâ gratiâ gratìs datâ carebant. Probatur antecedens: quia in Baptiſmo datur venia peccatorum, adoptio, & jus filiorum, Spiritus ſanctus ſanctificans & conſolans, certa ſpes immortalitatis, Chriſtus denique induitur: quæ omnia Chriſtiani militis animum confirmant. II. Chryſoſt. hom. XVIII. in Acta hæc habet: *Quomodo Spiritum ſanctum illi non receperant? Spiritum acceperant remiſſionis, ſpiritum autem ſignorum nondum receperant.* Quæ verba deſcribit Oecumenius.

Reſpondeo ad I. non accipi gratiam confirmantem in Baptiſmo. Plura requiruntur ad gratiam confirmantem, quàm quæ hîc deſcribuntur. Sed de his ſuo loco. Ad II. dico Chryſoſtomi textum non eſſe ad propoſitum: quia non ſuſtinemus gratiam confirmantem eſſe gratiam remiſſionis, neque contendimus baptizatos à Philippo accepiſſe gratiam ſignorum antea quàm Petrus & Joannes impoſuiſſent illis manus, atque ſuper eos oraviſſent.

Objicit III. Actor. VIII. *Adventus Spiritus ſancti in Samaritanos exprimitur voce græca* ἐπιπεπτωκὼς, *quæ ſignificat* IRRUERE, ILLABI, INCIDERE. *At Spiritûs ſanctificantis donatio nuſquam in Scripturis exprimitur iis verbis quæ propria ſunt ſpiritûs prophetici.*

Reſpondeo S. Lucam fuiſſe uſum hac voce, ut ſignifica-

ret speciem visibilem sub quâ Spiritus sanctus datus est, cecidisse, irruisse, illapsam esse super eos: sicut dicitur Spiritus sanctus descendisse super Christum quando baptizatus est, ratione videlicet columbæ, quæ descendit super eum; sicut dicitur irruisse, atque illapsus fuisse Apostolis die Pentecostes, ratione venti vehementis qui irruit super eos, per quem ventum significabatur Spiritus sanctus: unde Calvinus vertit Act. II. *quasi violento flatu irruente*: pro eo quod habetur in Vulgatâ: *tanquam advenientis spiritûs vehementis.* Atque eò respexit August. lib. de Trinit. cit. scribens: *Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus sanctus, & loquebantur.* Usus quoque fuit eâdem voce ad significandam spiritualem gratiam, sive gratìs datam, sive gratum facientem, quæ utraque à Deo per modum cujusdam descensûs in hominem derivatur, maximéque gratia sanctificans de quâ Jac. I. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursùm est descendens à Patre luminum.* Illabi animis fidelium, est *descendere leniter* super eos, Irruere est *descendere cum impetu.* Hoc utrumque convenit & gratum facienti & gratìs datæ. Utramque, ut modò probabamus, acceperunt die ipso Pentecostes Apostoli, super quos dicitur tùm illapsus Spiritus sanctus. Cur enimverò conveniret gratìs datæ, cum exclusione gratum facientis? Audiatur S. Thomas loquens de descensu Spiritus sancti super Christum, cujus descensûs eadem est ratio, quæ descensûs sancti Spiritus super Apostolos. III. p. q. XXXIX. a. VI. ad II. *Dicitur Spiritus sanctus descendisse super Christum, non ratione unionis ad columbam: sed vel ratione ipsius columbæ significantis Spiritum sanctum, quæ descendendo super Christum venit; vel etiam ratione spiritualis gratiæ, quæ à Deo per modum cujusdam descensûs in creaturam derivatur, secundùm illud Jac. I. Omne datum optimum* &c. Et ad III. *Ideo circa Christum baptizatum corporali specie Spiritus sanctus visibiliter descendit, ut super omnes baptizatos invisibiliter postea credatur descendere.* Si illapsus respicit speciem visibilem tantùm, quid hoc ad exclusionem gratiæ sanctificantis? Si gratiam quamlibet spiritualem, cur fingitur vox ista esse propria spiritûs prophetici?

Objicit IV. *Spiritus iste non fuit à Philippo datus, imò neque ab eo dari potuit, ut Chrys. & Oecum. & plerique omnes tam veteres, quàm recentes Interpretes consentiunt. At nulla ratio idonea*

fingi potest, cur ab ordinario, eoque in paucis excellenti Christi servo dari non potuerit ordinarium Spiritûs donum. Quæcunque enim ordinaria est, & perpetua, & necessaria fidelibus gratia, eam absurdissimum est negare ab ordinario Ministro dari posse.

Respondeo Philippum quidem fuisse Ministrum ordinarium Baptismi & verbi Dei, sed non fuisse Ministrum confirmatoriæ manuum impositionis. Ratio hujusce rei est voluntas Christi, Sacramenta instituentis. Gratia confirmatoria est perpetua & necessaria suo modo. Confirmatio habet ordinarium Ministrum Episcopum, ut constat ex Cyprian. Episc. LXXIII. *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesiâ baptizantur,* PRÆPOSITIS *Ecclesiæ offerantur.* Ex Chrys. in c. VIII. Act. *Hoc erat in Apostolis singulare, unde &* PRÆCIPUOS, *& non alios videmus hoc facere.* Ex Innoc. I. ad Decent. SOLIS DEBETUR EPISCOPIS, *cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Ex Hieron. Dial. adv. Lucifer. *Ut ad eos, qui per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt,* EPISCOPUS *ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Ex Aug. l. XV. de Trin. c. XXVI. *Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Ex Beda in illud Act. *Hoc enim* SOLIS PONTIFICIBUS *debetur.* Confirmatio non habet ordinarium Ministrum quemlibet aut verbi Dei, aut etiam Baptismatis Ministrum ordinarium: neque enim est æqualis necessitatis cum illis. Unde Hieron. loco cit. *Si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati antè dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.* Non majoris est necessitatis Confirmatio quàm Eucharistia: & tamen non quilibet Minister ordinarius Baptismi est Minister ordinarius Eucharistiæ, non quilibet Minister extraordinarius Baptismi est Minister extraordinarius Eucharistiæ. Mulieres, infantes, laïci, Hæretici, Infideles possunt baptizare in necessitate, nunquam possunt Eucharistiam conficere. Eucharistiæ confectio reservatur solis Sacerdotibus, quemadmodum administrátio Confirmationis solis reservatur Episcopis.

Objicit V. *Hic ab Apostolis datus Spiritus movit Simonem Magum, ut oblatâ pecuniâ cuperet talem sibi ab Apostolis conferri facultatem: at si nihil aliud actum esset, quàm quod in Confirmatione fieri vulgò videmus, non ita fuisset affectus Simon,*

imò nec intellexiſſet quidem, an illi ſuper quos Apoſtoli manum impoſuiſſent, accepiſſent Spiritum ſanctum.

Reſpondeo. Non dicimus nihil aliud tunc fuiſſe datum ab Apoſtolis, quàm quod nunc datur in Confirmatione: imò fatemur, quòd Spiritus ſanctus deſcendebat ſub formâ aliquâ viſibili, & quòd duo tunc erant effectus iſtius manuum impoſitionis Apoſtolicæ, alter *tranſiens* tanquam tempori oportunus, & alter *permanens:* ille qui erat gratia gratìs data, hic qui gratia ſanctificans. *Significatum eſt illud & tranſiit*, inquit Auguſt. ſuprà, & tunc in teſtimonium Spiritus ſancti expectabatur ut linguis loquerentur. Per hæc miracula modò teſtimonium præſentiæ Spiritus ſancti non fit, & cognoſcit quiſque accepiſſe Spiritum ſanctum, ſi ſe fratrem ſuum diligere cognoſcat. *Unde cognoſcit*, inquit idem Auguſt. *quiſque accepiſſe Spiritum ſanctum? Interroget cor ſuum: ſi diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo.* Datus ſcilicet per manus impoſitionem confirmatoriam, de quâ ibi ſermo eſt.

Objicit VI. *Act.* XIX. *patet Spiritum ſanctum, qui datur per impoſitionem manuum Act.* VIII. *eſſe ſpiritum linguarum & prophetiæ: nam impoſitio manuum, de quâ ibi, eadem eſt cum impoſitione manuum ſuper Samaritanos.* VENIT, *inquit*, SPIRITUS SANCTUS SUPER EOS, ET LOQUEBANTUR LINGUIS, *& prophetabant. Quo modo loquendi comprobatur præſentiam Spiritus ſancti eſſe gratiam gratìs datam.*

Reſpondeo impoſitionem manuum, de qua Act. VIII. & XIX. eſſe ejuſdem rationis, & utramque confirmatoriam. Sed effectus ejus temporaneus & tranſiens ibi deſcribitur, nihil de permanenti & perpetuo dicitur. Simili modo S. Lucas ſcribere potuiſſet: Venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & diligebant fratres; quo ſcripſit: *Et loquebantur linguis, & prophetabant:* neque ſequeretur ex eâ loquendi ratione, quòd totalis effectus deſcensûs Spiritus ſancti in Apoſtolos eſſet gratia gratum faciens; ita non ſequitur ex verbis Lucæ totalem effectum deſcensûs Spiritus ſancti ſuper Epheſios & Samaritanos eſſe gratias gratìs datas.

ARTICULUS SECUNDUS.

Vtrùm probari possit ex traditione Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis.

POSTQUAM Dallæus lib. I. probare, sed frustrâ conatus est, Confirmationem nostram non intelligi per manûs impositionem super recèns baptizatos, de qua sermo est in Actis Apostolorum; totus est II. libro, ut aliorsùm detorqueat verba Patrum, quibus hujusce nostri Sacramenti veritas probatur invictissimè.

Quod ut exequatur, pronunciat imprimis, *Unctionem & manûs impositionem quas vocamus confirmatorias, post an. Chr.* CLX. *inventas atque usurpatas fuisse: nullamque mentionem extare earum in Clemente Rom. Athenagora, Theophilo, Tatiano, Justino Martyre, Irenæo.*

II. *Hanc utramque fuisse institutam ab Ecclesia tanquam Baptismi ritus atque cæremonia.* Sic ille nititur enervare atque inanes reddere authoritates penè innumeras veterum Patrum, in quibus Confirmatio nostra commemoratur. Quam elabendi viam excogitaverat Spalat. l. V. c. V. n. X. & sequentibus, ante Dallæum.

III. Paucis de *manûs impositione* prælibatis (de quâ probare sibi visus fuerat l. præc. c. XII. idque futilibus valdè rationibus, quòd non potest esse materia Sacramenti, iis videlicet I. *quia non legitur in Scripturis eam in materiam alicu us Sacramenti fuisse institutam per Christum.* II. quia *in nullo Sacramento membra Ministri locum tenent materiæ.* III. quia *in ordinatione reperitur manûs impositio; materia verò Sacramenti cujuslibet debet esse illi soli propria:*) vim maximè facit in Unctione. Quasi verò de fide sit materiam essentialem Sacramenti Confirmationis esse unctionem, eamque non olei solius, sed Chrismatis mixti ex oleo atque Balsamo, & ab Episcopo consecrati?

IV. Confundit unctionem *Baptismalem* cum *confirmatoriâ*, ac si una eademque sit utraque illa unctio. Quod de Baptismali scriptum est, vult dictum de confirmatoriâ; & quod Patres pronuntiavere de confirmatoriâ, exponit ad sensum eorum quæ dicta sunt de Baptismali.

Antea quàm verò proponam dicta Patrum, eademque vindicem à strophis, effugiis atque sophismatibus Dallæi, cæterorumque novatorum.

Præmitto I. Aliud esse quærere de re, an sit Sacramentum, & aliud quærere, quæ sit ejus materia, quæ forma, quis effectus, quis Minister, & quod ejus subjectum.

II. Constare inter Theologos, *impositionem manuum*, aut *unctionem*, aut *utramque* simul esse materiam Confirmationis: quamvis non conveniant inter se, an impositio manuum sola, vel unctio sola, vel utraque simul sint materia essentialis illius.

III. Quando Scripturæ docent rei alicui sensibili convenire, ut sit signum perpetuum, practicum gratiæ sanctificantis, docent per consequentiam necessariam, rem illam esse Sacramentum novæ Legis, adeoque ex Christi institutione: quia nulla creatura potest authoritate suâ efficere rem creatam esse causam instrumentalem gratiæ sanctificantis.

IV. Theologi qui volunt unctionem esse materiam essentialem seu partialem, seu totalem Sacramenti Confirmationis, in eam ideò sententiam descenderunt, quia certissimum illis est ex traditione, unctionem hanc esse collativam gratiæ sanctificantis: quod sufficit, ut probetur à posteriori esse de institutione Christi mediatâ vel immediatâ.

V. Non spectat ad fidem, etiam in sententiâ quæ agnoscit unctionem tanquam essentialem Confirmationis materiam, quod hac unctio debeat necessario fieri ex Chrismate, quòd sit unguentum mixtum ex oleo & balsamo: neque quòd debeat illud esse consecratum ab Episcopo: & non sufficiat oleum simplex, & non consecratum ab Episcopo ad Sacramenti validitatem.

VI. In veteri Ecclesiâ Sacramentum Confirmationis sæpiùs administrabatur continenter cum Baptismate. Quò fit, ut aliquando Patres de duobus illis Sacramentis, tanquam de unico ritu videantur fuisse locuti.

VII. Ut Confirmatio celebrabatur unâ cum Baptismate, Eucharistia continenter quoque cum Baptismate conferebatur, & aliquando frequentius Baptismus & Eucharistia conjungebantur, quàm Baptismus & Confirmatio, quando scilicet Presbyteri non Episcopi Baptismum conferebant. Unde quemadmodum non sequitur ex eo Eucharistiam pertinere

ad

ad Baptiſmum tanquam ejus nudum ritum, puramque cæremoniam; conſequens quoque ex eo non eſt Confirmationem eſſe Baptiſmi ritum.

VIII. Confirmatio non eſt ſimplex Baptiſmi ritus, ſi non ſit aliquid eſſentialiter diſtinctum à manus impoſitione, de quâ in Actis c. VIII. & XIX. quia hæc manuum impoſitio non erat Baptiſmi cæremonia. Non eſt ſimplex Baptiſmi ritus, ſi Patres illam appellant Sacramentum ſimpliciter: quia Sacramentum ſimpliciter longè differt à ritu Eccleſiaſtico Sacramenti. Non eſt ſimplex Baptiſmi ritus, ſi dicatur eſſe Chriſti, tanquam authoris ipſius: quia ritus ſeu cæremoniæ Sacramentorum ſunt inſtitutionis purè Eccleſiaſticæ. Non eſt ſimplex Baptiſmi ritus, ſi Miniſter ejus alius ſit à Miniſtro Baptiſmi ſolemnis: quia Baptiſmus ſolemnis ille eſt, qui cum ſuis omnibus ritibus atque cæremoniis celebratur. Non eſt ſimplex Baptiſmi ritus, ſi confert gratiam ex opere operato: quia propria eſt Sacramentorum novæ Legis hæc operandi ratio. Non eſt ſimplex Baptiſmi ritus, ſi confert gratiam Sacramentalem diſtinctam à gratia Sacramentali Baptiſmi: quia unumquodque Sacramentum habet ſuum proprium & diſtinctum effectum. Non eſt denique ſimplex Baptiſmi ritus, ſi repeti poſſit atque iterari: quia ritus & cæremoniæ ſequuntur conditionem Sacramentorum ad quæ pertinent: quare cùm Baptiſmus iterari non poſſit, neque poſſunt iterari Baptiſmi cæremoniæ.

IX. Pro eo tempore quo ſolus Epiſcopus agnoſcebatur ordinarius Miniſter Baptiſmatis, unctio Baptiſmalis ad ſolum quoque pertinebat Epiſcopum: poſtquam verò Eccleſia indulſit Preſbyteris atque Diaconis, ut baptizarent tanquam Miniſtri ordinarij, conceſſit illis progreſſu temporis facultatem chriſmandi Chriſmatione Baptiſmali, imò & ita chriſmandi præceptum illis impoſuit, ſicut infrà ſuo loco dicturi ſumus. His præmiſſis venio ad Patrum teſtimonia.

Nihil hîc laudabo deſumptum ex lib. *Conſtit. Apoſtolicarum*: nihil è IV[a] quæ vulgò dicitur eſſe *Clementis Romani Epiſtolâ*: nihil è libro *Recognitionum*, aut ſimilibus Apochryphis. Non commemorabo I. loco *Dionyſium*, qui dicitur author lib. de *Eccleſ. Hierarchiâ*: neque enim, quiſquis tandem ille fuerit, ſcripſit vixitque primis Eccleſiæ ſæculis, ut eruditi ferè omnes ultrò concedunt. Aggrediar ab autho-

ribus certis qui proximi fuere temporibus Apoſtolicis.

CLEMENS ROMANUS.

Dallæus lib. II. c. II. ita loquitur de Chriſtianis qui I. ſæculo & II. pœnè toto vixerunt : *Caruiſſe autem eos iſto unctionis Sacramento hinc noſcitur, quòd ejus planè nulla occurrat mentio in veris & indubitatis, quæ ſatis multa extant, illorum temporum monumentis. V. g. extat genuina Clementis ad Corinth. ante I. ſæculi finem data Epiſtola, extant Juſtini, Athenagoræ, Theophili, Tatiani, Irenæi opuſcula non pauca, omnia poſt annum* CL. *ante* CXCVII. *Domini annum edita. Profectò non eſt veriſimile hos omnes Patres nullam ejus unctionis mentionem in tam multis facturos fuiſſe, ſi quidem ipſa jam tùm in Eccleſiâ, pro vero ac legitimo, & à Chriſto Domino inſtituto omnium baptizatorum Sacramento habita eſſet. Nam iſti ſanè vel omnes, vel plerique & Baptiſmi & Euchariſtiæ, quæ vera eſſe Sacramenta nemo dubitat, luculentiſſimè meminerunt. Cur qui meminerunt, Confirmationem tacuerint, nulla ratio dici poteſt, niſi hæc una, quòd ſcilicet nullus tùm hujuſmodi ritus eodem cum iſtis cenſu apud Eccleſiam haberetur.* Dicamus de ſingulis.

Clemens Romanus genuinam equidem ad Corinth. ſcripſit Epiſtolam, nomine *Eccleſiæ Romanæ*, & occaſione Schiſmatis quod exortum fuerat Corinthi, de qua Epiſt. Irenæus l. III. c. III. *Sub hoc igitur Clemente, diſſenſione non modicâ inter eos, qui Corinthi eſſent fratres factâ, ſcripſit quæ eſt Romæ Eccleſia potentiſſimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuncians, quam in recenti ab Apoſtolis receperant traditionem &c.* Euſebius l. III. Hiſtor. c. XVI. *Hujus Clementis extat Epiſtola ab omnibus uno conſenſu recepta, eximia prorsùs atque mirabilis, quam nomine Eccleſiæ Romanæ ad Corinth. Eccleſiam ſcripſit, cùm apud eos gravis exorta eſſet diſſenſio. Hanc in pleriſque Eccleſiis & noſtrâ & ſuperiori memoriâ palàm recitari conſueviſſe comperimus. Porrò ſupradicti Clementis tempore, ſeditionem inter Corinthios eſſe commotam locupletiſſimus teſtis eſt Hegeſippus.* Et ejuſdem lib. c. XXXVIII. *Clementis illa ab omnibus recepta, quam Eccleſiæ Romanæ nomine ad Corinth. Eccleſiam ſcripſit: in quâ cùm multas inſerat ſententias deſumptas ex Epiſtolâ ad Hebræos, iiſdemque interdum verbis utatur, ſatis indicat opus illud nequaquam recens eſſe. Quam-*

obrem cum reliquis Apostoli scriptis non sine causâ hoc etiam recensitum videtur. Cùm enim ad Hebraeos patrio more scripsisset Paulus, alij Lucam Evangelistam, alij hunc, de quo loquimur, Clementem, epistolam illam esse interpretatum ferunt. Quod quidem verius videretur; cùm praesertim & Clementis, & illa ad Hebraeos epistola eundem habeant stilum, nec utriusque scripti sententiae valde inter se discrepent. Hieron. l. de Scriptor. Ecclesʃ. idem habet quod Eusebius. Citatur haec epistola ab Irenaeo suprà, à Clem. Alex. l. I. IV. V. & VI. Stromatum. Ab authore l. qq. & resp. ad Orthodoxos, apud Justinum, respons. LXXIV. Et ab Hieron. in c. LII. Esaïae, & alibi. Meminit quoque Photius in Bibl. num. CXXVI.

Hanc epistolam per annos longè multos abditam, Junius *ex laceris*, ut loquitur, *reliquiis vetustissimi exemplaris Bibliothecae Regiae eruit, lacunas explevit, latinè vertit, notis brevioribus illustravit,* & Oxonii publici juris fecit an. M. DCXXXIII. Quibus praemissis, momentum Dallaei ex authoritate negativâ Clementis investigo.

Contendit ille Sacramentum Confirmationis latuisse Christianos I[i] saeculi, quia nulla planè occurrit ejusdem in Epistolâ Clementis Romani mentio. Ego contrà dico. I. Sacramentum illud latere non potuit Christianos primi saeculi quod extat in Actis Apostol. & in Epistolâ Pauli ad Hebr. Atqui conclusum à nobis est intelligendum illud esse de Sacramento Confirmationis, quod scriptum legitur Act. VIII. & XIX. ut & c. VI. ad Hebr. de manûs impositione. II. Quis asserat nostrum hoc Sacramentum non fuisse alibi à Clemente commemoratum? III. Genuinam si (quod existimo) habeamus Clementis ad Corinthios Epistolam, certè habemus mutilam. Audiatur Junius ipse in notis ad pag. LXXV. *Desideratur hic in exemplari antiquo folium integrum, quod quatuor impressi Codicis folia constituit.* IV. In mutilâ illâ, quam habemus tantùm Epistolâ, nihil de Baptismo legitur, nihil de Eucharistiâ, quae tamen certo certiùs non latuerunt Christianos primi saeculi. V. Argumentum Epistolae Clementis non exigebat ut Confirmatio commemoraretur: quid enim necesse erat, exortâ dissensione, scribentem ut fideles Corinthios ad concordiam revocaret, de eâ verba facere? VI. Tertullianus meminit Confirmationis saeculo sequenti; neque verò tanquam rei recèns institutae, adeoque ad Apostolica

tempora facilè referendæ: quia ejus non signatur exordium, juxta regulam S. August.

JUSTINUS MARTYR.

Justinum, qui Romæ anno Dom. CLXIII. Martyrium fecit, *nihil tacuisse* Dallæus l. II. c. II. scribit *eorum, quæ tùm in administratione Baptismi alicujus momenti esse putabantur, præter summum viri candorem, ipsiusque orationis satìs diu in hoc argumento versantis rationem; fidem facit ipsa illa, quâ hunc sermonem ingrediens utitur contestatio, quâ se rem totam diligenter ideò explicaturum profitetur, ne si eam prætereat, malignè quidquam & dissimulanter agere videatur. Cùm ergo*, inquit, *hæc ita præfatus, nihil tamen de unctione ac manûs impositione, nihil de cæteris, quæ posteà apud Christianos occurrunt, Baptismi cæremoniis adjecerit; omninò pro certo atque indubitato statuendum videtur, nihil adhuc istorum rituum apud Christianos Justini temporibus in Baptismo factitatum fuisse. Quæ verò in Baptismo non fuit unctio, illa nunquam alibi in omni eorum cultu fuit: neque enim alibi quàm in Baptismo, statim post mersionem fiebat primis illis sæculis, quibus in usu esse cæpit.*

Nego inprimis Justinum ibi, hoc est Apol. II. commemorare omnia, quæ tum in administratione Baptismi alicujus esse momenti putabantur. Non enim observat, utrùm immersione, vel effusione, aut adspersione Baptismus administraretur; quod tanti visum est in veteri Ecclesiâ, ut sæculo sequenti dubitatum fuerit, an Baptismus per effusionem collatus valeret, sicut habemus ex Epistola Cypriani ad Magnum. Non observat sub quâ verborum formulâ traderetur. Non exprimit ejus Ministrum. Nihil dicit de infantibus, sermonem suum revocat ad solos adultos. Quando spondet se *rem totam explicaturum, ne malignè quidquam, aut dissimulanter agere videatur*; loquitur de Sacramento per quod renovamur, & Christo consecramur, quod est Sacramentum Baptismatis, hoc est, ablutionis cum invocatione Trinitatis; non loquitur de singulis quoquomodo pertinentibus ad illud Sacramentum. Sic enim ille. *Quo verò modo Deo quoque nos dedicaverimus, per Christum renovati, jam exponemus: ne si hoc prætereamus, malignè quidquam & dissimulanter agere in hac oratione videamur. Quicunque persuasi fuerint & crediderint*

vera esse quæ à nobis traduntur & dicuntur, ac vivere se ita posse receperint; orare jejunantes & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis unâ & orantibus & jejunantibus. Deinde eò adducuntur à nobis ubi aqua est, atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur. Nam in nomine rerum cunctarum parentis, & Domini Dei, & servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus sancti in aquâ tùm lavantur. Et posteà. *Nos autem secundùm hujuscemodi lavationem, credentem jam & nobis adscitum, ad fratres qui dicuntur, eò adducimus, ubi illi congregati sunt, ac communes preces & supplicationes, cùm pro se ipsis, tùm pro illuminato, & alijs ubique gentium omnibus, animo intento peragendas &c..... A precibus finitis, mutuis nos invicem osculis salutamus. Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis, laudem & gloriam rerum universarum Patri, per nomen Filij & Spiritus sancti offert & Eucharistiam sive gratiarum actionem, pro eò quòd nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exequitur. Atque ubi ille preces & gratiarum actiones absolvit, populus qui adest omnis, faustâ approbatione acclamat, dicens: Amen. Amen autem voce Hebræâ Fiat significat. Præsidens verò postquam gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione lætâ eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi atque Ministri, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum in quo gratiæ actæ sunt panem, vinum & aquam, & ad absentes perferant.*

II. Fortè Confirmatio Neophytorum subobscurè commemoratur his verbis. *Nos autem secundùm hujuscemodi lavationem, credentem jam & nobis adscitum, ad fratres qui dicuntur, eò adducimus, ubi illi congregati sunt, ac communes preces & supplicationes cùm pro seipsis, tùm pro illuminato, & alijs ubique gentium omnibus, animo intento peragendas.* Quibus constat specialem orationem fieri pro Neophyto: quæ, si sit conjecturæ locus, est oratio confirmatoria juxta illud Act. VIII. *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum.*

III. Sed etsi Justinus ibi nullomodo fecerit mentionem Confirmationis; ratio silentij sui hæc est, quòd cùm aperiat eo loci modum, quo fideles Christo consecrari solebant in Baptismate, neque verò Episcopus interesset semper illis cœtibus, quibus fideles initiabantur, imò Presbyteri præessent plurimis; non debuit commemorare Confirmationem, quæ

per solos Episcopos administrari potest, sed eorum duntaxat meminisse debuit, quæ sunt in potestate Presbyteri præsidentis sacris. Unde falsum est quod Dallæus scribit, quæ in Baptismo non fiebat unctionem, non alibi fieri solitam primis Ecclesiæ sæculis. Nam Baptismus tradebatur à Presbyteris absque unctione confirmatoriâ, & Confirmatio posteà tribuebatur ab Episcopis.

IV. Non esset tamen consequens ex eo, Sacramentum Confirmationis nullibi commemoratum fuisse à Justino Martyre, qui præter opera quæ supersunt, alia longè multa composuit, laudata ab Irenæo lib. v. Eusebio l. iv. Hist. c. xi. Hieronymo, de Scriptor. Eccles. & Photio in Biblioth. Scilicet librum *contra Marcionem*, librum *contra omnes Hæreses*, de quo ille ipse in suâ ii. *Apologiâ*, & alios duos quos *Psalten*, & *de Animâ* nuncupavit. In illis, vel in eorum aliquo, v. g. *contrà Marcionem*, quis neget aliquid observatum fuisse de Confirmatione, de quâ Tertullianum, eundem hæreticum impugnantem, verba fecisse compertum est?

ATHENAGORAS.

Athenagoram Justini discipulum quod spectat, nosse par est i. quòd ut ejus opera ignota omninò fuerunt Eusebio atque Hieronymo, aliqua nos fortè fugiunt in quibus meminit ille Confirmationis. ii. In iis quæ habemus præ manibus, ne verbum quidem extat Baptismatis atque Eucharistiæ. iii. Institutum operum illius minimè postulabat, ut aliqua de hoc Sacramento attingeret. Nam alterum ejus opus est, *Apologia seu legatio pro Christianis ad Imperatores*, in quâ totus est ut purget religionem Christianam à calumniis variis quibus impetebatur. Posterius argumentum est, *Resurrectio mortuorum*. iv. Christiani secundi sæculi satis superque instructi erant de hoc nostro Sacramento ex libris divinis.

THEOPHILUS ANTIOCHENUS.

Sextus à B. Petro Antiochiæ sedit, docente nos Hieronymo l. de Script. Eccl. librum *contrà Marcionem* composuit, alterum *contrà Hæresim Hermogenis*, & alios *breves elegantesque tractatus ad ædificationem Ecclesiæ pertinentes*, præter tres, qui

ſoli ſuperſunt, *ad Autolycum*. In tribus iſtis ſiluerit de Confirmatione; an ideo ſiluiſſe omninò de eâ dicendus eſt, ſeu in opuſculis iſtis ad ædificationem Eccleſiæ pertinentibus, ſeu libro *contra Marcionem?*

Quid ſi contendero commemoratam Confirmationem lib. 1. ad Autolycum his verbis: *Quod tibi ludibrium debeo, dum me Chriſtianum nuncupas, non magni facio: imò reſpondeo te neſcire quid dicas. Nam unctionis hoc nomen inprimis bonum ſuaveque eſt, nec riſum meretur. Quæ etenim navis bona & uſui eſſe poteſt: quæ turris aut domus elegans & utilis eſſe poteſt, niſi priùs ungatur? Quodnam opus ornatum haberi poteſt, niſi perungatur, & quaſi ſplendore illuſtretur? Præterea aër & omnis quæ ſub cælo eſt creatura quodammodo lumine & ſpiritu inungitur: & tu recuſas macerari Dei oleo? Certè nullâ aliâ ex re Chriſtianorum nomen traximus, quàm quòd divino oleo perfundimur.*

At, inquit Dallæus, *nihil nos cogit intelligere oleum Dei de externâ unctione.* Inquio ego: Nihil nos vetat oleum Dei de externo oleo intelligere. Urget Dallæus: *multò veriùs de myſtico*, hoc eſt, *de Spiritu ſancto intelligi, quo verè omnes ungimur, & à quo verè Chriſtiani dicimur.* Dico ego: Juxta modum loquendi ſanctorum Patrum, verè ac perfectè Chriſtiani cognominamur ab oleo Confirmationis.

Siluit profectò Theophilus de Baptiſmo & Euchariſtiâ libris illis, in quibus id unum ſibi propoſuerat, expugnare toto conatu Religionis Chriſtianæ calumniatores. Potuit haud abſimili ratione de Confirmatione conticeſcere. Sic Tertullianus nihil dicit de Confirmatione in Apologetico, de quâ perſpicuè omnino loquitur adversùs Marcionem.

TATIANUS.

Ex Juſtini diſcipulo Encratitarum hæreſis parens, nihilò feliciùs objicitur: tum quia, ex infinitis, teſte Hieron. de Scriptoribus Eccleſ. quæ ſcripſit ille voluminibus, unica ejus *Oratio ad Græcos* reliqua eſt, in quâ demonſtrat nihil eorum, quibus Græci gloriantur, ſtudiorum apud ipſos natum, ſed omnia à Barbaris inventa fuiſſe: quod quid habet commune cum Sacramento Confirmationis? Tum etiam quia in ea Oratione, neque Baptiſmi, neque Euchariſtiæ meminiſſe videtur.

IRENÆUS.

Episcopus Lugdunensis, qui in persecutione Severi vitam suam Martyrio consummavit, anno CCII. multa scripsit, quemadmodum accepimus ab Eusebio lib. V. Hist. cap. XXVI. ab Hieron. de Script. Eccl. à Photio in Biblioth. ad nostra verò usque tempora V. solum ejus libri *adversùs Hæreses* pervenerunt, in quibus Dallæus contendit sermonem non haberi de Confirmatione. De hoc quærimus: & si non haberetur, minimè tamen esset consequens in cæteris ejusdem beati Martyris operibus non fuisse commemoratum.

Refert lib. I. c. XVIII. impium quoddam dogma Gnosticorum in hæc verba. *Tùm autem*, inquit, *eum qui initiatus est, opobalsamo inungunt. Hoc enim unguentum fragrantiæ illius, quæ omnia exuperat, typum esse aiunt. Sunt etiam ex ipsis, qui eos quidem ad aquam adducere supervacaneum esse ducunt, oleo autem & aquâ unà permixtis, cum vocibus quibusdam, in eorum quos initiant caput injiciunt, idque redemptionem esse volunt.* Erit qui conjiciet unctionem istam adhibitam fuisse à Gnosticis in similitudinem unctionis confirmatoriæ, tunc temporis usurpatæ apud Catholicos, dæmone in hominibus illis impuris æmulante divina Mysteria, quemadmodum teste Tertull. lib. de Præscript. æmulatus est illa in Mysteriis Isidis. Cæterùm non erit aliquis, qui istud è textu possit evincere.

Est alter lib. IV. c. LXXV. locus ad nostrum institutum longè validior, ubi exponendo illud Apostoli I. Corinth. III. *Lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis*: postquam interpretatus est hanc escam de Spiritu sancto, & impotentiam hanc, de infirmitate in quâ Corinthij versabantur propter zelum, discordiam atque dissensiones, subjungit: *Apostolus quidem poterat dare escam: quibuscunque enim imponebant Apostoli manum, accipiebant Spiritum sanctum, qui est esca vitæ.* Nam impositio manuum Apostolica, est ea de quâ in libro Actuum: & hæc juxta Irenæum conferebat gratiam sanctificantem, quia Spiritus sanctus, qui est esca animæ, & cujus incapaces sunt infirmi ex zelo, discordiâ & dissensionibus, non est aliud à gratiâ sanctificante: quod si ita est, signum fuit practicum perpetuum, non transiens & pro incunabulis Ecclesiæ duntaxat institutum.

Viderit

Viderit ergo Dallæus, quàm imbelle ſit ſuum illud argumentum, quod repetit ab authoritate negativâ operum, quæ ſuperſunt, à vetuſtiſſimis iſtis authoribus conſcriptorum, quos omnes vel eorum pleroſque non diffidit pronunciare de Baptiſmo vel Euchariſtiâ fuiſſe locutos, de Confirmatione neminem. De Baptiſmo Clemens, Athenagoras, Theophilus, Tatianus nihil omninò dixere, de Euchariſtia ſoli Juſtinus & Irenæus, de Confirmatione locuti ſunt Theophilus & Irenæus.

TERTULLIANUS.

Qui ſub Severo Principe & Antonino Caracalla floruit, ferturque *vixiſſe ad decrepitam ætatem*, ut Hieron. obſervat lib. de Script. Eccleſ. Ille c. VII. libri de Baptiſmo quem ſcripſit adversùs Quintillam à quâ rejiciebatur, ſic loquitur: *Exinde egreſſi de lavacro, perungimur benedictâ unctione de priſtinâ diſciplinâ, quâ ungi octo de cornu in Sacerdotium ſolebant. Ex quo Aaron à Moyſe unctus eſt, unde Chriſtus dicitur à Chriſmate, quod eſt unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta ſpiritalis, quia Spiritu unctus eſt à Deo Patre, ſicut in Actis: Collecti ſunt enimverò in iſtâ civitate adversùs ſanctum Filium tuum quem unxiſti. Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit: quomodò & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quia in aquâ mergimur; ſpiritalis effectus, quia delictis liberamur. Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum. Sanè humano ingenio licebit Spiritum in aquam arceſcere, & concorporationem eorum, accommodatis deſuper manibus, alio Spiritu tantæ claritatis animare: Deo autem in ſuo organo non licebit per manus ſanctas ſublimitatem modulari ſpiritalem? Sed eſt hoc quoque de veteri Sacramento quo nepotes ſuos ex Joſeph, Ephraïm & Manaſſen, Jacob capitibus impoſitis, & intermutatis manibus ita benedixerit: & quidem ita tranſverſim obliquatis in ſe, ut Chriſtum deformantes, jam tunc protenderent benedictionem in Chriſtum futuram. Tunc ille ſanctiſſimus Spiritus ſuper emundata & benedicta corpora libens à Patre deſcendit ſuper Baptiſmi aquas, tanquam priſtinam ſedem recognoſcens conquieſcit, columbæ figurâ delapſus in Dominum, ut natura Spiritus ſancti declararetur per animal ſimplicitatis & innocentiæ; quòd etiam corporaliter ipſo felle carebat columba. Ideo-*

que Estote, inquit, simplices sicut columbæ. Ne hoc quidem sine argumento præcedentis figuræ. Quemadmodum enim post aquas diluvij, quibus iniquitas antiqua purgata est, post Baptismum, ut ita dixerim, mundi, pacem cælestis iræ præco columba terris annunciavit, demissa ex Arcâ & cum oleâ reversa; eâdemque dispositione spiritalis effectus, terræ, idest, carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta, columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei adferens, emissa de cælis, ubi Ecclesia est Arcâ figurata.

Dallæus lib. II. c. IV. confitetur ex verbis istis liquere, jam tum in Africâ & alibi solemne fuisse, ut qui Baptismi Sacramento initiabantur, ii è lavacro egressi inungerentur, iisdemque manus imponerentur: sed asserit nullum in iis duobus ritibus Romanæ Confirmationis Sacramentum videri, imò multa ab eo longè aliena.

Contrà. Ibi reperitur Sacramentum Romanæ Confirmationis, ubi reperitur unctio vel manus impositio super baptizatos ad perfectionem seu ad robur animæ: atqui in ritibus istis Tertullianæis reperitur unctio vel manùs impositio super baptizatos: *Egressi de lavacro perungimur benedictâ unctione.* Et *dehinc manus imponitur.* Et hi ritus sunt ad perfectionem seu ad robur animæ: unde ille: *In nobis carnaliter currit unctio, sed spiritualiter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quia in aquâ mergimur, spiritalis effectus quia delictis liberamur.* Et *advocans & invitans Spiritum sanctum.* Neque verò Tertullianus de hoc utroque ritu loquitur tanquam de ritu recèns invento, sed vetere, atque jampridem in Ecclesijs usurpato.

Opponit adversùs unctionem I. Dispar *est utriusque materia. Nam balsamum, quod Romani in suo Chrismate necessarium esse decernunt, nullum apud Tertullianum olet. Vero propius est, ex oleo simplici fuisse benedictam illam, quam memorat unctionem.*

Respondeo. Certum non esse, quòd balsamum sit de necessitate Sacramenti: neque Tertullianus à suâ unctione illud excludit. Unum est extrà controversiam, quòd videlicet unctio ex oleo est necessaria. Hanc Tertullianus agnoscit: quare non est dispar utriusque materia.

Opponit II. *Tertulliani unctio de* PRISTINA DISCIPLINA EST, *id est* MOSAÏCA: *Romana Confirmatio de* CHRISTI DIS-

CIPLINA *esse fingitur, de ejus mandato, & Apostolorum usu suscepta.*

Respondeo Tertulliani unctionem esse de *disciplina Mosaïca* præfigurativè, quia hæc est illius figura; & esse *de institutione & mandato Christi*: in quo eadem est quæ nostra, per Mosaïcam videlicet præfigurata, & per Christum instituta. Patet responsio ex proposito authoris, quod est ostendere Baptismum præfiguratum fuisse, præfiguratas quoque fuisse unctionem & manûs impositionem. Et Baptismum quidem, in ipso mundi exordio quando Spiritus Domini ferebatur super aquas præfiguratum 1° fuisse. Unde ille: *Habes, homo, inprimis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua substantia; dehinc dignationem, quòd divini Spiritûs sedes.* II. in dispositione mundi, *quæ*, ut loquitur, *modulatricibus quodammodo aquis Deo constitit. Nam ut firmamentum cæleste suspenderet, segregatis aquis expedijt.* III. in fœcunditate aquarum, quæ primæ jussæ sunt parere animas, de quâ ille: *Ordinato dehinc per elementa mundo, cùm incolæ darentur, primis aquis præceptum est animas proferre. Primus liquor quod viveret edidit, ne mirum sit in Baptismo si aquæ animare noverunt.* IV. in hominis formatione, *quæ ex terrâ est absoluta, non tamen habili*, inquit, *nisi humectatâ & succidâ.* His verò sic observatis sic subjicit. *Igitur omnes aquæ de pristinâ originis prærogativâ Sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo.* Pergit author, & aliam Baptismi figuram indicat in piscinâ Bethsaïdæ, quæ ad motum Angeli curabat ægrotos. *Figura ista*, inquit, *medicinæ corporalis, spiritalem medicinam canebat, eâ formâ, quâ semper carnalia in figurâ spiritalium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratiâ Dei, plùs aquis & Angelo accessit. Qui vitia corporis remediabant, nunc spiritui medentur: qui temporalem operabantur salutem, nunc æternam reformant: qui unum semel anno liberabant, nunc quotidiè populos conservant, deletâ morte per ablutionem delictorum.* Et adhuc inferiùs subjungit figurari in aquis diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est: figurari in aquis per quas submersi sunt Ægyptii, & populus Israël incolumis pertransiit: figurari in aquis, quæ per lignum à Moyse ex amaris dulces evaserunt: figurari denique in prærogativâ aquæ ex ordinatione Christi: nam *nunquam sinè aquâ Christus.*

Unctionem quoque Tertullianus asserit ibi fuisse præfi-

guratam in eâ unctione, quâ ungi solebant Sacerdotes de cornu olei.

Ac denique subjungit, manûs impositionis figuram esse eam manuum impositionem, quâ Jacob manibus transversim obliquatis benedixit Ephraïm & Manasse.

Observandum, quòd Tertullianus loquens de figuris Baptismi, ait: *Omnes aquas consequi Sacramentum sanctificationis de pristinâ originis prærogativâ.* Et ubi de figurâ unctionis, utitur verbis istis: *De pristinâ disciplinâ.* Ac denique ubi de figurâ manuum impositionis usurpat ista: *Sed hoc quoque de veteri Sacramento.* Sicut ergo verborum istorum, *de pristina originis prærogativâ*, sensus non est, quòd Baptismus sit institutus statim atque productæ sunt aquæ; sic sensus non est, quòd aquæ Baptismales præfiguratæ sunt in ipsâ productione aquarum: & sicut verborum istorum, *de veteri Sacramento*, sensus non est, quòd impositio manuum confirmatoria sit ex institutione Jacob, tùm cùm primò benedixit suis ex Joseph nepotibus Ephraïm & Manasse; ita cùm Tertullianus scripsit unctionem esse, *de pristinâ disciplinâ*, sensus non est, quòd præfigurata fuit in unctione Mosaïcâ, & sensus non est, quòd instituta fuerit per Moysen.

Instat. *Vetus unctio potuit quidem esse figura nostræ spiritualis unctionis, sed unctionis alicujus nostræ corporalis typum fuisse absurdum est. Imò si aliqua est nostra corporalis unctio, ea cum veteri eadem est; quomodo suam* DE PRISTINA DISCIPLINA *fuisse ait Tertullianus. Intelligit enim eam inde fuisse desumptam ab Ecclesiâ. Deinde unctio Mosaïca non potest esse figura nostræ confirmatoriæ. Illâ enim ungebantur in Sacerdotium: hâc verò in pugiles & athletas sive milites inungi volumus, quod non pertinet ad Sacerdotium. Hodierna unctio potiùs ad eam referri debet, quâ veteres in regnum ungebantur. Regis enim propriè est bellare, & cum hostibus congredi. Unctio verò Tertullianaa ad Sacerdotalem pertinebat, non ad regiam.*

Respondeo veterem unctionem æquè posse esse figuram nostræ unctionis corporeæ, ac veteres ablutiones corporeæ, juxta Tertullianum ipsum, fuerunt figuræ nostri Baptismi, ac etiam manûs impositio Jacob super Ephraïm & Manasse fuit figura manûs impositionis super baptizatos. Neque verò nostra corporalis unctio eadem est cum veteri unctione, nisi secundùm quid. Adde quòd unctio vetus, quæ est figura

unctionis confirmatoriæ, eſt reipſa figura unctionis ſpiritalis: quia effectus unctionis confirmatoriæ eſt unctio interior: eo modo quo piſcina Bethſaïdæ, quæ noſtrum Baptiſmum præfigurat, Tertulliano reputatur figura rei ſpiritualis: quod exprimit his verbis. *Figura iſta medicinæ corporalis ſpiritalem medicinam canebat.* Unde & idem Tertullianus: *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritaliter proficit: quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quia in aquâ mergimur; ſpiritalis effectus, quia delictis liberamur.*

Ad alteram partem reſpondeo, quòd quamvis unctio Moſaïca pertineat ad Sacerdotium, poteſt tamen eſſe figura confirmatoriæ: quia *Sacerdotes* ſumus ſimul & *Reges*, ex quo efficimur Chriſtiani; juxta illud Scripturæ: *Gens ſancta, regale Sacerdotium.* Ita unctio Moſaïca in Sacerdotium, eſt figura unctionis, quâ Sacerdotij regalis plenitudinem perfectionemque conſequimur, quia perfectè Chriſtiani evadimus per Confirmationem, conſtituti in infantiâ Chriſtianâ per Baptiſmum.

Opponit III. Dallæus contra manûs impoſitionem, quòd *Tertullianaa conſequitur unctionem: Romana vero nulla eſt manûs impoſitio.* Ita ante eum Blondellus l. de Epiſc. p. CCXIV.

Reſpondeo hanc objectionem reſpicere diſputationem de materiâ Confirmationis, nec pertinere ad eam de quâ controvertitur difficultatem. Quibuſdam Theologis materia eſſentialis Confirmationis eſt manûs impoſitio, & Chriſmatio integralis. Aliis utraque eſſentialis eſt, & reperitur utraque etiamnùm in Confirmatione. Nonnullis denique Chriſmatio ſola ſucceſſit manûs impoſitioni, ex poteſtate facta Eccleſiæ per Chriſtum. Juxtà duas priores opiniones, Romana eſt manûs impoſitio; nulla eſt juxta poſtremam: ſed illius defenſores contendunt hanc eſſe immutationem legitimam, quia Chriſto ita volente facta fuit. Quòd unctio antecedat vel ſequatur manûs impoſitionem, perinde eſt, ſeu utraque ſit eſſentialis materia, ſeu duntaxat altera.

Opponit IV. contra formam: *Forma Romana eſt hæc abſoluta:* CONSIGNO TE &c. *Hæc multò etiam minùs quàm materia apud Tertullianum occurrit. Ille enim, neque in unctione quam memorat, ulla hujuſmodi verba adhibita fuiſſe ait, neque in eâ manûs impoſitione quam ſubjicit: quam dum dicit,* PER BENEDICTIONEM ADVOCARE ET INVITARE SPIRITUM

SANCTUM; *oratione ad Deum constitisse potiùs significat, quàm absolutâ enunciatione.*

Respondeo & hanc quoque observationem pertinere ad aliam, quæ de forma est, difficultatem. Quibus & Theologis placet, quòd manûs impositio sola est materia essentialis Confirmationis, forma est deprecatoria, juxta illud Act. *Oraverunt pro ipsis*: & absoluta hæc; *Consigno te*, respondens unctioni, est integralis duntaxat. Quibus hæc utraque materia essentialis esse videtur, utraque forma pariter est essentialis. Quibus denique Chrismatio, ex legitimâ authoritate successit manûs impositioni, absoluta forma successit deprecatoriæ. Defensores primæ sententiæ gloriantur Tertulliano. Authores secundæ contendunt advocari & invitari Spiritum sanctum verbis æquè absolutis ac deprecatoriis, & negant Tertullianum loqui de solâ oratione propriè dictâ: quibus defensores tertiæ sententiæ ultrò assentiuntur.

Opponit v. contra Ministrum. *Tertullianus non vindicat solis Episcopis ministerium ritûs istius. Sed & infrà, ubi de Baptismo agit*: DANDI, *inquit*, JUS HABET SUMMUS SACERDOS, QUI EST EPISCOPUS. DEHINC PRESBYTERI ET DIACONI: NON TAMEN SINE EPISCOPI AUTHORITATE, PROPTER ECCLESIÆ HONOREM, QUO SALVO SALVA PAX EST: ALIOQUIN ETIAM LAÏCIS JUS EST. *Qui & unctionis & manûs impositionis ritus, unà cum Baptismo continenter suprà executus erat; si quid in eorum Ministris discriminis fuisse putasset, id hoc profectò loco notasset. Non fecit. Ergò videtur tam utriusque illius ritus, quàm Baptismi exercendi jus Presbyteris, & fortè laïcis suo singulis loco & ordine tribuere.*

Respondeo Tertullianum minimè de Ministro unctionis & manûs impositionis fuisse locutum, cùm ipse de Ministro Baptismi suam accuratè sententiam expresserit: quia propositum illi erat de Baptismo ex professo verba facere, de unctione verò atque manûs impositione transeunter tantùm atque incurrenter dicere, in quantum videlicet exhibere volebat præstantiam, dignitatemque Baptismi in eo positam, quòd Spiritus sanctus super baptizatum requiescit advocatus per manûs impositionem: quæ res præfigurata fuerat in mundi primordiis per Spiritum sanctum aquis incubantem. Cornelius Rom. Cyprianus & Conc. Eliber. docent nos per ea tempora non quemvis, sed Episcopum solum fuisse Mini-

strum unctionis & manûs impositionis de quibus agimus : & Hieronymus illud ipsum testificatur de sui sæculi usu.

Opponit VI. contra effectum. *Tertullianus unctioni hoc tantùm dare videtur, ut in* SACERDOTIUM *ungamur: manûs impositioni sejunctæ ab unctione*, UT ADVOCET ATQUE INVITET SPIRITUM SANCTUM, *non bellatorem & præliatorem qualem Latini suæ Chrismationi vindicant, sed columbinum, hoc est, ut ipse interpretatur*, SIMPLICITATIS ET INNOCENTIÆ, ET PACEM DEI DE COELO AFFERENTEM *: quæ, ut liquet, spiritui Baptismali conveniunt omnia.*

Respondeo Tertulliani sententiam fuisse, quòd effectus Baptismi est *remissio peccatorum*, & quòd effectus Confirmationis est *ipsa infusio Spiritus sancti.* Neque enim eos qui baptizantur consequi in aquis Spiritum sanctum, sed in aquâ mundatos, sub Angelis tantùm præparari Spiritui sancto : qui demùm, postquàm egressi sunt de lavacro, per benedictam unctionem & manûs impositionem advocetur & invitetur. *Recipit enim*, inquit, *illum Dei Spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed pòst amiserat per delictum : quod in aquis Spiritum sanctum consequamur, sed in aquâ emundati sub Angelo Spiritui sancto præparamur.* Et infrà. *Exindè egressi de lavacro perungimur &c.* Quam sententiam Hieronymus Dial. adversùs Lucif. refert, refellitque suppresso nomine Tertulliani. Kemnitius in exam. tit. de Confirm. eam opinionem non modò Tertulliano ascribit, sed prætereà subjungit quòd ille eam à Montano acceperit. Quo tamen fundamento Montanisticum istud esse putet, non satìs liquet. Nemo scriptorum qui Montani hæresim explicuerunt vel impugnaverunt, istud inter hujus Heresiarchæ dogmata collocavit. Tertullianus ipse librum suum *de Baptismo* contra Quintillam composuit : ex quo sequitur nondum ab Ecclesiâ defecisse, imò sectæ Montani fuisse infensissimum cùm ederet.

Quâ Tertulliani suppositâ sententiâ, perspicuum evadit effectus istos, secundùm ipsum Tertullianum, proprios esse Confirmationis, non Baptismatis. At, inquit Dallæus, non fuit ea Tertulliani mens, aut sibi ipsi contradixit, utpote qui lib. I. *contra Marcionem* clarissimè docet, imò velut Christianæ doctrinæ principium præsupponit, Baptismum esse consecutionem Spiritus sancti : *Si consecutio*, inquit, *est Spiritus sancti &c.* Imò, & ea mens est Tertulliani, & Tertullianus

ſibi minimè contradicit : quia quando ait : *Si conſecutio eſt Spiritûs :* non loquitur de Baptiſmo, loquitur de Confirmatione.

Dato tamen & non conceſſo, quòd Tertulliano viſum fuerit, eos qui baptizantur conſequi in aquis Spiritum ſanctum: Reſpondebo, Baptiſmi eſſe dare Spiritum ſanctum, quo conſequimur *infantiam Chriſtianam*, & Confirmationis eſſe dare Spiritum ſanctum, quo attollimur *ad perfectionem ætatis Chriſtianæ.* Quam diſtinctionem ſcriptores inferiorum ſæculorum ſuis operibus explicuerunt. Epiſtola, quæ nomine Melchiadis Romani circumfertur: *In fonte*, inquit, *plenitudinem tribuit ad innocentiam : in Confirmatione augmentum præſtat ad gratiam. In Baptiſmo regeneramur ad vitam : poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam.* Petrus Damiani Serm. I. in Dedicat. Eccleſiæ. *In Baptiſmo Spiritus ſanctus datur ad veniam ; hic ad pugnam : Ibi mundamur ab iniquitatibus ; hic virtutibus præmunimur.* Gofridus Vindocin. Opuſc. VIII. *In Baptiſmate per Spiritum ſanctum datur remiſſio peccatorum : in Confirmatione Spiritus ſanctus invitatur ut veniat, & domum ipſam quam ſanctificavit inhabitet, muniat & defendat.* Rupertus l. III. de Oper. Spiritus ſancti c. X. *Qui teſtis in Baptiſmo factus eſt Spiritus, idem fit & tutor pupilli, ubi per impoſitionem manuum, ſacrique Chriſmatis unctionem, ſecundam qui renatus eſt gratiam accipit.* Et poſteà. *Primo dato Spiritu per Baptiſmum, ſcribuntur in cælo nomina electorum ; & inde eſt gaudendum : Secundo dato, ſubjiciuntur ſpiritus.* Et Hugo de S. Victore lib. I. de Sacram. c. XXII. *In Baptiſmo datur Spiritus ad remiſſionem : hic verò ad robur.*

Opponit VII. *Unctio & impoſitio manûs noſtra neque in Baptiſmo, neque ſtatim à Baptiſmo adhibentur : Tertullianus verò ſuas baptiſmalibus aquis penè immergit, & certè continenter, nullo interpoſito ſpatio, annectit :* EXINDE EGRESSI, *inquit,* DE LAVACRO *&c.* Ita quoque Blondellus lib. de Epiſcopis pag. CCXIV.

Reſpondeo non argui ſpecificam diſtinctionem ex eo, quòd olim Neophyti continenter ungerentur, atque ſuper eos manûs impoſitione advocaretur, invitareturque Spiritus ſanctus; nunc longè poſteà. Euchariſtia continenter olim cum Baptiſmo porrigebatur infanti ; nunc alia eſt Eccleſiæ praxis : eadem tamen Euchariſtia conferebatur Neophyto quæ nunc confertur fidelibus. Sic eadem eſt Confirmatio, & quæ olim

ſtatim

ſtatim à Baptiſmate, & quæ interpoſito à Baptiſmate annorum aliquot ſpatio adhibetur.

Opponit VIII. *Ipſe Tertulliani liber clamat hos ambos, quos commemorat ritus, Baptiſmi rem eſſe. Nam & liber* DE BAPTISMO *inſcribitur, non de alio aliquo præterea Sacramento: Et author tum alia quædam, tum hæc ipſa quæ recitavimus executus, non alia ſe quàm quæ ad Baptiſmum pertinent enarraſſe profitetur.* DIXIMUS, *inquit*, QUANTUM MEDIOCRITATI NOSTRÆ LICUIT, DE UNIVERSIS QUÆ BAPTISMI RELIGIONEM STRUUNT. *Ergo & unctio & manûs impoſitio, quæ eorum, de quibus dixit, pars ſunt, ad Baptiſmum pertinent.* Ita ille poſt Spalatenſem lib. v. cap. v. num. XIII.

Reſpondeo Tertullianum inſcripſiſſe librum hunc ſuum *de Baptiſmo*: quia Baptiſmus eſt argumentum operis, ita tamen, quod uſu venire ſolet, ut mentionem fecerit de aliquibus à Baptiſmo diſtinctis, quæ ad illuſtrandum id quod pertractabat non mediocriter conducere videbantur. Deinde Confirmatio pertinet aliquo modo ad Baptiſmum, & quia continenter cum Baptiſmo conferri ſolebat, & maximè quia Baptiſmus confirmatur & roboratur per Confirmationem. Sic Jeſſe Ambianenſis *de Baptiſmo* ſcribens, commemorat Euchariſtiam: ſic Theodulphus Aurelianenſis opus ſuum edens ſub hoc titulo; *De ordine Baptiſmi*: in quo de Baptiſmo ſolo agere ſibi propoſuerat, ut ipſe declaravit initio in hæc verba: *Præcepiſti mihi* (Magnum Senonenſem alloquitur) *ut quibuſdam quæſtionibus de ordine Baptiſmi à Domino & glorioſo Imperatore tibi tranſmiſſis breviter & citò reſponderem.* Et ſub finem. *Quod prudenter juſſiſti, humiliter implevi.* In eo tamen opere aliqua inſeruit, quæ ad Confirmationem atque Euchariſtiam ſpectare noſcuntur. Alcuinus ad Odovinum Epiſtolam mittit, cujus argumentum eſt *ordo Baptiſmi*, ut conſtat ex ipſo illius limine: in qua tamen intermiſcet nonnulla de Confirmatione & de Euchariſtiâ. Amalarius Fortunatus Epiſtolâ ad Carolum Magnum (prodiit hactenùs ſub nomine Alcuini) docet Imperatorem *de cæremoniis Baptiſmi*, neque ſilet omnino de Euchariſtiâ, ſilet verò de Confirmatione: quia per id temporis Preſbyteri & non Epiſcopi baptizare, atque poſt Baptiſmum immediate Neophytis Euchariſtiam conferre ſolebant.

Ad id verò quod ſubjicitur in objectione, Reſpondeo I. Tertullianum verbis iſtis: *diximus quantum &c.* ſignificare

se universa fuisse complexum, quæ conferebant ad astruendam sanctitatem Baptismi: sed non significare se nihil inseruisse eo in opere, quod pertineret ad aliquid distinctum à Baptismate. II. Tertullianum scripsisse eodem modo: *Diximus quantum &c.* quo Theodulphus: *Quod prudenter jussisti, humiliter implevi*, & quo Amalarius & Alcuinus, qui cum attigissent aliqua pertinentia ad Confirmationem & ad Eucharistiam, pronunciaverunt tamen simpliciter se de *Baptismi cæremoniis* fuisse locutos. III. Tertullianum verbis istis declarare à se fuisse exposita, quæ Baptismi religionem struunt, neque declarare simpliciter & præcisè fuisse expositam à se Baptismi naturam. Sed Confirmatio licèt à Baptismo distincta, Baptismi tamen non desinit struere religionem: in eo quòd mox egressus è lavacro *per unctionem spiritaliter proficit; & per manûs impositionem, sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre descendit, super Baptismi aquas, tanquam pristinam sedem recognoscens, conquiescit.*

Opponit IX. *Tertullianaa unctio est eadem cum illâ, qua nunc adhibetur in Baptismate: nam de lavacro egressis statim dabatur, atque ad Baptismum pertinebat: & quem veteres Theologi Presbyterali Chrismationi usum tribuunt, eundem Tertullianus sua illi inunctioni vindicat: nimirùm ut Neophyti eâ delibuti, nominis Christiani cœlestisque Sacerdotii fierent participes. Neque verò potest opponi quod Tertullianus ait de unctione, videlicet eam spiritaliter proficere; aut quod de manûs impositione, videlicet quòd per eam invitetur atque advocetur Spiritus sanctus. Nam unctio, qua nunc adhibetur in Baptismo, eatenùs spiritaliter proficit, quatenùs mentem nostram rerum spiritalium imagine ad attentionem, fidem, spem atque gaudium spiritale erigit. Et manûs impositio, præterquàm quòd Chrismationem non excipit modò, qua Tertullianaam Chrismationem excipiebat; advocat atque invitat Spiritum sanctum, quia nihil est aliud quàm oratio.*

Respondeo, ex dictis, Tertullianæam unctionem Baptismo peracto fuisse collatam, neque pertinuisse ad Baptismum, nisi quia continenter cum Baptismo administrabatur, aut nisi quia Baptismi ipsius perfectio erat. Veteres unctioni Baptismali tribuunt, quòd sit signum purè speculativum, aut si sit practicum, ex opere solummodò operantis: at Tertullianus attribuit unctioni suæ esse practicam ex opere operato profectûs

ſpiritualis, eodem modo videlicet quo Baptiſmus operatur remiſſionem peccatorum, ut verba contextus docere videntur. Idem dictum eſto de manûs impoſitione, quæ invitat quoque atque advocat Spiritum ſanctum ex opere operato, juxta ſenſum Tertulliani.

Propono alios ejuſdem Tertulliani locos. 1. legitur lib. de Reſurrect. carnis c. VIII. in hunc modum. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro ſignatur, ut & anima muniatur. Caro manûs impoſitione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur. Caro Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur, ut & anima de Deo ſaginetur.* Ibi author meminit Baptiſmi, Confirmationis & Euchariſtiæ: & de Confirmatione tria annotat, unctionem, conſignationem & manûs impoſitionem. Ait effectum unctionis eſſe *animæ conſecrationem*: effectum conſignationis eſſe *animæ munimen*: effectum denique manûs impoſitionis eſſe *animæ illuminationem.* Et hos quidem effectus attribuit Confirmationi, quemadmodum attribuit Baptiſmo emaculare animam, & Euchariſtiæ, animam ſaginare de Deo. Itaque Tertullianus agnovit noſtram Confirmationem eſſe verum Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum: maximè quia, juxta Tertullianum, ex dictis, proprium duntaxat eſt Baptiſmi emundare animam, ut emundata, Spirituique ſancto præparata, deſcendat in eam ſic præparatam Spiritus ſanctus, per unctionem, ſeu manus impoſitionem.

Unde præcluditur via reſponſioni Dallæi, revocantis ea ad nudam puramque cæremoniam Baptiſmi. Nam effectus iſti non poſſunt attribui cæremoniis Baptiſmi, niſi ſint revera effectus Baptiſmi, hoc eſt ejus Sacramenti cujus ſunt ritus. Quia igitur juxta Tertullianum, effectus iſti non ſunt effectus Baptiſmi, non poſſunt ritibus iſtis, tanquam Baptiſmi ritibus attribui. Ergo ſupereſt ut eiſdem attribuantur, tanquam Sacramentum diſtinctum à Baptiſmo conſtituentibus. Cætera quæ Dallæus ad hunc locum opponit, ſoluta ex dictis intelliguntur.

Locus alter extat lib. de Præſcript. c. XI. ubi obſervat Tertullianus, dæmonem in idolorum Myſteriis, videlicet Iſidis & Mithræ, æmulari res Sacramentorum noſtrorum, qui habet in illis Myſteriis ſuum Baptiſma, ſuam conſignationem, Euchariſtiam ſuam. *Quæritur*, inquit, *à quo illectus interpretetur eorum quæ ad hæreſes faciant? A diabolo ſcilicet, cujus*

ſunt partes intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum divinorum in idolorum Myſteriis æmulatur. Tingit & ipſe quoſdam, utique credentes & fideles ſuos: expiationem delictorum de lavacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithra: ſignat illic in frontibus milites ſuos: celebrat & panis oblationem. Ergo aliqua erat res Sacramentorum noſtrorum poſita in conſignatione frontis. *Frontis* ait *non verticis*, ut aliam à conſignatione Baptiſmali indicaret, quæ verticalis & eſt, & fuit ſemper: neque enim Dallæus unquam probabit contrarium.

Et adhuc lib. I. contra Marcionem c. XXVIII. ubi de Deo Marcionis. *Si*, inquit, *regeneratio eſt hominis, quomodo regenerat qui non generavit? Iteratio enim non competit ei à quo quid nec ſemel factum eſt. Si conſecutio eſt Spiritus ſancti, quomodo Spiritum attribuet, qui animam non priùs contulit? quia ſuffectura eſt quodammodo Spiritûs anima. Signat igitur hominem nunquam apud ſe reſignatum: lavat hominem nunquam apud ſe coinquinatum: & in hoc totum ſalutis Sacramentum, carnem mergit exortem ſalutis.* Obſerva ſermonem ibi eſſe de conſignatione per quam eſt conſecutio Spiritus ſancti.

CLEMENS ALEXANDRINUS.

Alexandrinæ Eccleſiæ Theologus, ſub Severo & Antonino ejus filio, & magiſter Origenis, nihil omninò ſcripſiſſe legitur, è quo poſſit certi quidpiam erui pro Sacramento Confirmationis. Unicus eſt locus, de quo diſceptatur, excerptus è libro quem inſcripſit: *Quis dives ſalutem conſequi poſſit?* cujus libri Hieronymus meminit lib. de Script. Eccleſ. & Euſebius lib. III. Hiſt. c. XXIII. fragmentum refert continens Hiſtoriam veriſſimam de Joanne ac juvene quodam, quem ille reverſus ex inſulâ Patmo, Epiſcopi civitatis cujuſdam haud longè ab Epheſo diſſitæ, curæ fideique inſtituendum commendaverat. Is ab Epiſcopo baptizatus, præmaturâ potitus libertate, deliciis primùm ac voluptatibus, poſtea ſceleribus & flagitiis aſſuefactus, cùm, ſpe omni ſalutis abjectâ, dux latronum effectus fuiſſet, à Joanne aliquantò pòſt tempore, negotij cujuſpiam causâ, iterùm in eam urbem accito, ad meliorem frugem revocatus eſt. Verba Hiſtoriæ, de quibus ambigitur, iſta ſunt. *Presbyter verò*

sibi traditum adolescentem in domum suam suscipiens, enutrivit, complexus est, fovit, postremò illuminavit. Posthæc, remisit nimiam illam curam & custodiam, tanquam qui perfectam ipsi custodiam, nimirum signaculum Domini imposuisset. Henricus Valesius ita vertit: *Presbyter verò adolescentem sibi traditum in domum suam suscipiens educavit, fovit atque continuit: tandemque Sacramentum Baptismi eidem tradidit. Deinde Sacerdos de pristina cura atque custodia paulatim remisit, quippe cùm perfectissimo custode apposito, Christi scilicet signaculo, juvenem communivisset.* Mitto enim versionem Chrystophorsoni, quæ non est fidelis, & in qua habetur contra veritatem textûs: *Postea verò, ubi sigillo Domini, id est, Sacramento Confirmationis obsignasset.*

Quæritur, utrùm verba ista (*signaculum Domini, seu Christi*) intelligantur de Confirmatione, an de Baptismo? Bellarminus cum pluribus alijs ea intellexit de Confirmatione. Petrus Aurelius & Henricus Valesius, in annotationibus suis ad hunc locum, de Baptismo sunt interpretati, in quorum sententiam descendo, duas ob causas.

I[a] est, quòd cùm Clemens anteà de Baptismo locutus fuerit (id enim significat verbum ἐφώτισε, illuminavit) subjunxeritque, quòd Episcopus de pristinâ curâ atque custodia paululum remisit, *tanquam, quippe, ut pote qui* (ὃς) Christi signaculo juvenem communiverat, in hac etiam periodo de Baptismo eum locutum fuisse necesse est, si modò Baptismus cognominetur *signaculum, obsignatio*, sigillum. Ita verò cognominari observant Theologi tract. de Baptismo, ex Patr. Tertull. lib. de Pœnitentia cv. *Lavacrum illud obsignatio est fidei.* Lib. de Spectac. c. XXIV. *Hoc erit pompa diaboli adversùs quam in signaculo fidei ejeramus.* Basil. hom. XIII. *Signum quod nullâ fraude adulterari potest.* Gregor. Nazianz. Orat. XL. *Sigillum, quia conservatio est, ac dominationis significatio.* August. Epist. L. *Signaculum Redemptoris.* Sed, quod maximè facit ad rem, Clemente ipso Alexand. l. II. Stromatum pag. CCCLXIII. *Beatum signaculum.* Et ex Pastore, quem idem Clemens refert pag. CCCLXXIX. *Signaculum prædicationis.* Et ex Eusebio lib. VI. Histor. c. V. *Signaculum Domini.*

II[a] est, quòd Rufinus in versione suâ Historiæ Ecclesiasticæ Eusebij sic habet. *Tum verò Presbyter in domum suam adolescentem suscepit commendatum, & cum omni diligentiâ enu-*

trit, amplectitur, fovet, ad ultimum etiam Baptismi gratiam tradit. Posthæc jam velut confidens gratiâ quâ fuerat communitus, paulo indulgentiùs habere juvenem cœpit. Ita legi in MS. Corbeïensi non minore octingentis annis. Dallæus sententiæ nostræ suscribit.

ORIGENES.

Qui usque ad Gallum & Volusianum vixit, teste Hieron. l. de Script. Eccl. hoc est ad annum CCLIV. adducitur pro Sacramento Confirmationis, propter ea, quæ extant Hom. VIII. & IX. in Leviticum.

Neutra placet ex locis illis repetita probatio. Priore loco Origenes agit, non de Confirmatione, sed de variis gradibus perfectæ conversionis; quorum ultimum ait esse in eo positum, ut vitiis omninò purgata anima fœcunda sit in bonis operibus, & innocentiæ fructibus polleat. Et hoc quidem contingit, quando convertitur in Pœnitentiæ Sacramento, sicut contingit, cùm initiatur sacro Baptismate. Oleum, de quo loquitur, ad sensum litteralem & Mosaïcum, & juxta sensum mysticum, sunt dona Spiritus sancti, quibus nisi roboretur qui ad Deum convertitur, conversio ejus censeri debet imperfecta.

Posterior locus rectè exponitur de unctione verticali, quæ signum est speculativum Sacerdotij Christiani, quo fideles quilibet in Baptismo donantur. Annuit Dallæus lib. II. c. VI.

CORNELIUS ROMANUS PONTIFEX.

Debemus Eusebio Epistolam Romani Præsulis Cornelij (qui rexit Ecclesiam annis duobus sub Gallo & Volusiano, sub quibus mortuus est anno Domini CCLV.) ad Fabium Antioch. de Novatiano (Novatum malè appellat;) quamque inseruit lib. VI. Hist. CXLIII. In hac Epistolâ legitur insigne testimonium pro Sacramento Confirmationis. *Causam atque initium credendi* (Novatiano) *præbuit satanas in ipsum ingressus, atque in ipso aliquandiu commoratus. Cúmque ab Exorcistis foveretur, in morbum gravissimum collapsus, dum jam amque moriturus creditur, in ipso in quo jacebat lectulo perfusus, Baptismum suscepit; si tamen hujuscemodi Baptismum suscepisse dicen-*

dus est. Sed neque postquam liberatus est morbo, reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quomodo Spiritum sanctum potuit accipere? Inde sic argumentor. Sigillum, quo baptizatus obsignatur ab Episcopo, & quo qui neutiquam potitus est, minimè Spiritum sanctum est consecutus, est Sacramentum Confirmationis propriè dictum. Atqui ex hoc loco patet, moris tùm fuisse in Ecclesiâ Romanâ, ut recèns baptizatus obsignaretur ab Episcopo ad accipiendum Spiritum sanctum, quia Novatianus in lectulo absque cæremonijs baptizatus, eò quòd consignari ab Episcopo minùs curaverat, Spiritum sanctum consecutus non est.

Dallæus lib. II. c. VII. post Spalat. lib. V. c. V. num. IX. apponit inprimis, *Cornelium per hæc verba*; NEQUE RELIQUA PERCEPIT, QUÆ JUXTA ECCLESIASTICAM REGULAM PERCIPI DEBENT; *intellexisse lactis & mellis prægustationem, & alias, si quæ tum erant in Ecclesiæ Romanæ usu, Baptismales cæremonias: quibus cùm hic liquidò accenseatur obsignatio, quæ fieri debet ab Episcopo, hinc apparet eam à Cornelio habitam fuisse inter Baptismi cæremonias.*

Respondeo, Cornelium ibi distinguere ritus Baptismi ab obsignatione Episcopali tanquam duo planè disparata, & huic uni attribuere, quòd conferat Spiritum sanctum, non alijs quibus secundùm Ecclesiæ Canones, baptizatum in lecto, morbo elapsum imbui oportebat: quod ex ipso contextu fit liquidum, qui habet: *Neque reliqua percepit, quæ juxta Ecclesiasticam regulam percipi debent:* quibus verbis Ecclesiasticæ Baptismi cæremoniæ comprehenduntur: *Neque ab Episcopo obsignatus est:* quibus confirmatio à reliquis planè distincta exprimitur.

Opponit II. *Istorum observationem Cornelius, non ad Christi mandatum, aut Evangelij præceptum, aut Apostolorum traditionem*, SED AD REGULAS ECCLESIASTICAS REFERT. *At Ecclesiæ si fortè est cæremonias invenire, & Canonibus suis præscribere; Sacramentum instituere non est, nunquam fuit, nunquam erit. Ea res unius Christi est.*

Respondeo I. Cornelium referre ad regulas Ecclesiasticas illa omnia reliqua quibus è morbo elapsus, in lecto ablutus imbuendus erat; non referre ad ea Episcopalem obsignationem. II. etsi referret etiam obsignationem Episcopalem ad

regulas Ecclesiasticas, sequeretur quòd Neophytus imbuendus esset Confirmatione juxta regulas Ecclesiasticas, non sequeretur quòd Confirmatio esset instituta per regulas Ecclesiasticas. Neophytus suscipere statim à Baptismo debebat Eucharistiam secundùm regulas Ecclesiasticas: & tamen Eucharistia non est instituta per Ecclesiam. Canon obstringebat recèns baptizatos ad susceptionem Confirmationis & Eucharistiæ, quæ duo sunt ex institutione Christi: & præceptum administrandæ tùm Confirmationis tùm Eucharistiæ immediatè post Baptismum, purè Ecclesiasticum erat. III. Signum sensibile Spiritus sancti collativum habet rationem non simplicis ritùs atque cæremoniæ, sed propriè dicti Sacramenti: atqui obsignatio Episcopalis quâ Neophytus consignatur, est collativa Spiritus sancti ex Cornelio.

Opponit III. *Ex eadem Epistola, Fabianus Romanus Episcopus promovit Novatianum in Presbyterum. Neque ei contulit quod tunc omissum fuerat, sed precibus tantùm apud suos evicit, ut sibi præter consultum Ecclesiæ ordinem, unius Novatiani in Clerum allegendi potestas esset. Contulisset verò Confirmationem, si pro Sacramento illam habuisset, maximè cùm eâ ratione visus fuisset invidiam illam mitigaturus, quâ apud Clerum & plebis magnam partem flagrare intelligebat suum illud consilium de homine Clinico in Clerum promovendo.*

Respondeo I. Contextum Epistolæ relinquere in ancipiti, utrùm Novatianus Baptismi cæremonias & Sacramentum Confirmationis nullomodo receperit; an verò ea duntaxat immediatè postquam è morbo convaluit recipere neglexerit, quæ aliquo tamen pòst tempore susceperit. II. Non liquere ex Epistola, quòd Fabiano probè notum fuerit Novatianum neque cæremonias Baptismi suscepisse, neque fuisse Dominico sigillo consignatum, quando illum ordinavit. III. Si mitigari potuisset invidia Cleri & populi ab eo Pontifice, mitigata potiùs fuisset ab ipso, adigendo Novatianum ad susceptionem cæremoniarum Baptismi, quàm ad susceptionem Confirmationis: quia Novatianus malè audiebat apud illos propter Baptismum in lecto susceptum, & non præcisè propter neglectam Confirmationem: quod Cornelius expressit his verbis: *Quoniam minimè licebat quemquam in lecto propter morbum baptizatum, sicut huic contigerat, in Clerum assumi.* IV. Quisquis attentiùs expenderit rationem propter quam

Clinici

Clinici erant irregulares, ille facilè judicabit neque Clerum, neque plebem fidelem potuisse mitigari vel per susceptas postmodum à Novatiano Baptismi cæremonias, vel per susceptam Confirmationem. Hanc rationem sic expressit Canon XII. Conc. Neocæsar. *Quòd non ex proposito fides ejus, sed ex necessitate descendit.* Ad quem Canonem legi possunt Balsamon & Zonaras. Legatur quoque Gregorius Nazianzenus Epist. XL. ubi rejicit rationes omnes propter quas nonnulli differebant perfundi ad usque vitæ suæ exitum. Si Clinici habebantur irregulares, quòd non ex proposito fides eorum, sed ex necessitate descendere judicaretur: susceptæ à Novatiano postmodum Baptismi cæremoniæ, suscepta quoque ab illo Confirmatio, impares fuissent atque minus idoneæ ad mitigandum Clerum & populum.

Opponit IV. *Ritus ille, de quo Cornelius sermonem habet, erat hujusmodi, ut Baptismi lotionem statim sequeretur, & si tùm fortè omissus fuisset, non putaretur necessariò postea ministrandus: quod cæremoniæ Baptismali convenit, proprio ac vero per se Sacramento non convenit.*

Respondeo Cornelium ibi meminisse duplicis ritûs, & ejus qui debebat adhiberi in Baptismo, quique non adhibitus debebat postea suppleri, secundùm regulas Ecclesiasticas: & præterea meminit obsignationis Episcopalis, seu Confirmatoriæ. Utrumque adhibendum erat, quando neglectum vel omissum fuerat, ex ipsius Epistolæ contextu.

Opponit V. *Fabiani judicium evehentis hunc Novatianum ad Presbyterium, docet non fuisse hanc obsignationem à Domino in Ecclesiæ Sacramentum institutam: quæ si verè fuisset hujusmodi, non est credibile tantum virum existimaturum fuisse quemquam ad Sacerdotium evehi fas esse, qui non esset eâ consecratus. Atque huic ejus judicio accessisse vel certè concessisse & Clerum & plebem eventus docet. Nam Novatianus id ministerium in Ecclesia Romana aliquandiu gessit.*

Respondeo Dallæum supponere Romanum Pontificem optimè novisse, quòd Novatianus non fuerat obsignatus Dominico sigillo, quando eum consecravit in Presbyterum. Id unum tamen liquet ex contextu, quòd videlicet certum atque exploratum cuique videbatur, baptizatum fuisse cùm in lecto decumberet, unde contraxerat irregularitatem, de quâ

cum eo dispensatum est. Et quia evectus est ad Sacerdotium, probabile admodum videtur, quòd antea sacro Chrismate fuerat delibutus.

Opponit VI. *A partium nimio proficisci studio, quod Cornelius hic objicit Novatiano: nimirum, Spiritum sanctum adipisci nequivisse, qui non fuisset in Baptismo ab Episcopo consignatus; contra apertam, ut liquet, decessoris sui sententiam, qui Novatianum in Presbyterium nunquam allecturus fuerat, si quod Cornelius hic statuit, id ipse quoque sensisset, Spiritu sancto necessariò carere qui non fuerit ab Episcopo consignatus: sed & præter Cleri plebisque opinionem, qui de suâ adversùs Novatiani ordinationem intercessione, non viderentur quidquam remissuri fuisse, si eum quem allegi tandem concesserunt, Spiritus sancti consortem fieri nunquàm posse, quod hic arbitratur Cornelius, censuissent. Præterea, si Spiritum sanctum consequuntur qui Baptismum suscipiunt; vel qui non sunt ab Episcopo consignati Spiritum sanctum interdum consequuntur, vel certè negandum est quemquam verè baptizatum esse, nisi qui & ab Episcopo consignatus fuerit, quod absurdum. Ab eodem studio partium est, quòd Cornelius ipsum Novatiani Baptismum in dubium revocat, quòd in lecto, urgente morbo, perfusus esset, his verbis:* SI TAMEN ACCEPISSE, QUI TALIS ESSET, DICI POTEST. *Atqui etiam Clinicorum etiamsi non solemnem, verum tamen Baptismum esse liquet, & apud omnes confessum est.*

Respondeo inprimis, Dallæum hîc tria dicere, 1°, Quòd noster est Cornelius, dum scribit: *Spiritum sanctum adipisci nequivisse, qui non fuisset in Baptismo ab Episcopo consignatus:* quam ob ingenuam atque sinceram confessionem ipsi gratulor. 2°, *Quòd à partium nimio studio profecta sit ea Cornelij propositio:* quibus verbis injuriam facit maximo Pontifici atque Martyri eximio qui nullo partium studio, sed solo lumine fidei illustratus ita locutus est. 3°, *Quòd istud asserere non dubitaverit contra apertam decessoris sui sententiam, & Cleri plebisque opinionem, quorum authoritate, consensu ac votis Novatianus nunquam fuisset allectus in Presbyterium, si sensissent Spiritu sancto necessariò carere qui non fuisset ab Episcopo consignatus.* Quod dum ita pronunciat, iterum atque iterum supponit, quod sibi probandum erat: videlicet Novatianum sacro Chrismate minimè fuisse delibutum, aut si eo delibutus

non eſt, Fabiano conſecratori fuiſſe probè agnitum. Deinde dico Spiritum ſanctum ſuſcipi in Baptiſmate ſuo modo, hoc eſt, ad Chriſtianam infantiam; & in Confirmatione recipi alio modo, nimirum ad robur & perfectionem, quod intelligitur ex dictis ſuprà. Denique fateor Cornelium dubitaviſſe de validitate Baptiſmatis à Novatiano ſuſcepti: ſed nego dubitationem iſtam à ſtudio partium fuiſſe profectam. Profecta eſt ex eo quòd in lectulo baptizati, perfundebantur, quam perfuſionem ſufficere nondum conſtabat. Sed & alii à Cornelio patiebantur eandem difficultatem, ut colligitur ex Epiſtola LXXVI. Cypriani ad Magnum, his verbis: *Quæſiviſti quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi Chriſtiani; eo quòd aquâ ſalutari non loti ſunt, ſed perfuſi.*

Opponit VII. *Non ineptè fortaſſe poſſe hæc verba Cornelii in commodiorem ſenſum inflecti, ſi quod ait, Spiritum ſanctum accipere, id pro ipsâ manûs impoſitione, quæ Spiritus ſancti ſymbolica erat advocatio, dictum interpretemur. Sic enim planus & verus Cornelij ſenſus erit: Qui ſcilicet non eſſet ab Epiſcopo conſignatus, eum non poſſe (id eſt non licere ex ſolemni tunc receptoque Eccleſiæ more) manûs impoſitionem ſuſcipere. Undè conficit Cornelius, vitio factam Novatiani in Presbyterum ordinationem: quâ ſcilicet manus impoſita erat ei qui non fuerat obſignatus. Ad quam objectionem nihil aliud erat quod reſponderet Fabianus, ut ſuum ipſe factum tueretur, niſi hoc unum: Non eſſe adeo fixa & immota quæ à ſola Eccleſia, non autem ab ipſo Domino conſtituta ſunt, ut ea non poſſint interdum, ſi Eccleſiæ ipſius uſus requirat, omitti ac ſeponi. Quæ ſanè reſponſio præſtruit Confirmationem eſſe meram Baptiſmi cæremoniam.*

Reſpondeo interpretationem hanc gratìs afferri. Cauſæ nihil eſt cur hîc vox iſta (Spiritus ſancti) pro manuum impoſitione ſupponat, & non pro manûs impoſitionis confirmatoriæ legitimo effectu. Cornelius conficit vitio factam Novatiani ordinationem: *cui cauſam & initium credendi præbuerat ſatanas in ipſum ingreſſus*: & qui baptizatus in lecto fuit tùm cùm jam mors credebatur proxima: & qui poſtquam liberatus eſt à morbo, neque Baptiſmi cæremonias ſuſcepit, neque ab Epiſcopo conſignatus eſt: & qui neque ſtudioſis moribus informatus erat, neque eâ fide inſtructus, quâ multis alijs præcelleret, & propter quam cum ipſo diſpenſandum eſſe vide-

retur, juxta mentem Ecclesiæ in Conc. Næocesar. Can. cit. *Si quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem Presbyterij non potest promoveri, quòd non ex proposito fides ejus, sed ex necessitate descendit: nisi forte propter sequens studium ejus & fidem atque hominum raritatem, talis possit admitti.* Is denique qui Novatianum ordinavit Fabianus, ut suum illud factum tueretur, respondisset Cornelio, non quod Dallæus vult responsurum fuisse, ea scilicet omitti posse quæ ab Ecclesia constituta sunt: nam repositum illi fuisset, potuisse facilè & cautè suppleri quod fuit prætermissum; sed illud potiùs, quòd scilicet ordinaverat Novatianum quia iis moribus atque eâ fide præditus sibi visus fuit, qui in magnâ penuria virorum Sacerdotio dignorum præ cæteris eligeretur, dispensando cum eo de lege Ecclesiastica lata contra Clinicos. Et sanè Cornelius refundit ordinationem Novatiani in amorem atque benevolentiam quâ Fabianus illum maximâ prosequebatur. Presbyteri, inquit, gradum fuerat consecutus, idque per gratiam Episcopi, qui manus illi imponens, eum ad Presbyterorum ordinem evexit. Cujus gratiæ atque benevolentiæ causam in unicam ejus, quâ virum fraudulentum & astutum pollere videbatur virtutem, refundendam esse facilè mihi persuadeo.

CYPRIANUS.

Sub Valeriano & Galieno vitam suam Martyrio coronavit anno Christi CCLVIII. Palmaris verò est locus ille Epistolæ LXXIII. ad Jubaïanum, quem retulimus articulo primo præsentis disputationis, ubi loquens de Samaritanis à Philippo Diacono baptizatis scribit: *Quia legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultrà non oportebat: sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habitâ & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Scilicet, quos ibi Cyprianus appellat *Præpositos*, Concilium Eliberitanum ostendit *Episcopos* esse, non Presbyteros: quod infrà dicturi sumus.

At, inquit Dallæus lib. II. c. VIII. *nihil necesse est Præpositos Ecclesiæ de solis Episcopis accipere. Is titulus tam Presbyterorum quam Episcoporum communis est, qui utrique, sed suo singuli loco atque ordine Ecclesiæ præerant, eusque Præpositi erant. Unde Celerinus quidem Presbyteros Præpositorum nomine apertè intelligit, Epist. ad Lucianum, quæ extat inter Cyprianæas (Epistolâ* XX.) PRÆCEPERUNT, *inquit*, PRÆPOSITI TANTISPER SIC ESSE, DONEC EPISCOPUS CONSTITUATUR. *Sic etiam Presbyteri Romani apud eumdem Cyprianum (Epist.* III. *) Nos, inquiunt, videmur Præpositi esse. Et ipse Cyprianus Presbyteros hoc nomine haud dubiè intelligit, quo loco scribit (Epist.* X. *)* INSTRUCTI A PRÆPOSITIS FACIANT OMNIA CUM DEI TIMORE. *Et alibi item ad Pomponium, dum Præpositos plebi opponit :* ET PRÆPOSITIS, *inquit*, ET PLEBI ELABORANDUM EST. *Et in lib. de Lapsis, cùm inter superioris temporis peccata recenset :* PRÆPOSITOS SUPERBO TUMORE CONTEMNERE.

Respondeo argumentum istud spectare ad controversiam de ministro Confirmationis, non ad ipsam Sacramenti naturam. In sententia, quæ præter ordinarium, qui est Episcopus, agnoscit extraordinarium, simplicem videlicet Sacerdotem, nulla est objectio. In opposita respondeo, quòd vox ista, *Præpositus*, usurpatur duntaxat apud Cyprianum propriè & simpliciter pro Episcopo, & nunquam pro Presbytero secundùm se, sed solummodo secundùm quod Episcopi vices gerit, ejusdemque fungitur authoritate. Sumitur pro Episcopo Epist. III. Cypr. ad Clerum Rom. de Dormitione Fabiani Urbis Episcopi : *Ut per vos innotesceret nobis, quod & vobis esset circa* PRÆPOSITI *materiam gloriosum. Nam quantùm perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina* PRÆPOSITI, *in tantùm contrà utile & salutare, cùm se Episcopus per firmamentum fidei præbet imitandum.* Epist. VII. *In gaudio communi major est Episcopi portio. Ecclesiæ enim gloria* PRÆPOSITI *gloria est.* Epist. X. PRÆPOSITORUM *est preceptum tenere, & vel properantes vel ignorantes instruere, ne qui ovium Pastores esse debent, laïci fiant. Ea enim concedere quæ in perniciem vertant, decipere est.* Epist. XV. *Ut cùm pace à Domino nobis data plures* PRÆPOSITI *convenire in unum cœperimus.* Epist. XIII. *In Provinciâ nostra per aliquot civitates* IN PRÆPOSITOS *impetus multitudinum factus est.* Epist. XXVII. *Ut Ecclesia super*

Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem PRÆPOSITOS *gubernetur.* Epist. LXV. *Meminisse Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos &* PRÆPOSITOS *Dominus elegit.* Sumitur *Præpositi* nomen apud Cyprianum pro Presbytero vices Episcopi agente, à Clero Romano Epistolâ III. quæ objicitur. *Et cùm incumbat nobis, qui videmur* PRÆPOSITI *esse, & vice Pastoris custodire gregem.* Scribebant sede vacante post excessum Fabiani. Celerinus eodem modo vocem hanc usurpat. Idem est sensus Cypriani Epist. LXII. ad Pomponium, ubi scribit: *Et* PRÆPOSITIS *& plebi nihil aliud elaborandum est &c.* Eo quippe nomine soli Episcopi hîc intelliguntur, ut pote ad quos spectabat subjicere delinquentes pœnitentiæ publicæ, & excommunicare, non ad Presbyteros. Agebatur ibi de virginibus, quæ detectæ fuerant in eodem lecto mansisse cum masculis: & de facto Pomponij, qui excommunicaverat Diaconum, cæterosque nonnullos, qui cum virginibus dormire consueverant. Cyprianus à Pomponio inquisitus respondet id factum consultè & cum vigore. Inspiciendas ab obstetricibus virgines, & si Virgines inventæ fuerint, acceptâ communicatione, ad Ecclesiam esse admittendas, hâc tamen interminatione, ut si ad eosdem masculos postmodùm reversæ fuerint, aut si cum eisdem in unâ domo & sub eodem tecto simul habitaverint, graviore censurâ ejiciantur: si autem aliqua de iis corrupta fuerit deprehensa, agat pœnitentiam plenam. Quòd si obstinatè perseverent, nec se ab invicem separent; cum hac sua impudica obstinatione nunquam admittendas esse in Ecclesiam. Denique loco qui objicitur libri *de Lapsis*, Episcopi etiam non Presbyteri ea voce intelliguntur.

Urget I. Dallæus, *Presbyteros cum Episcopis communi ministerio atque consilio tùm rexisse: unde meritò Præpositi nuncupabantur. Et eodem sensu intelligendum videri illum Firmiliani de re eadem locum:* OMNIS POTESTAS ET GRATIA IN ECCLESIA CONSTITUTA EST, UBI PRÆSIDENT MAJORES NATU, QUI ET BAPTIZANDI ET MANUM IMPONENDI ET ORDINANDI POSSIDENT POTESTATEM. *Majores natu dicit non solos Episcopos, sed unâ quoque cum iis Presbyteros propriè sic dictos.*

Respondeo, quòd si Prebyter idem sit cum Episcopo, Dallæus incassùm nititur conficere Cyprianum loco allato

non loqui de nostrâ Confirmatione, eò quòd loquitur de Præpositis Ecclesiæ tanquam de Ministris Confirmationis, quo nomine intelliguntur Presbyteri æque ac Episcopi: nam juxta hanc sententiam, Presbyter est æque Minister Confirmationis ac est Episcopus. Quòd si Presbyter ab Episcopo distinguitur, haud ratiocinatur ille felicius. Eâ namque suppositâ sententiâ, Presbyteri communi consilio sic regebant cum Episcopis, ut regerent sub Episcopis: adeoque Præpositi simpliciter dici non debent, sed sic appellari proprium est Episcoporum. Unde Presbyteri dicuntur ab Augustino lib. de Fide & Operib. c. XVII. *Inferioris Ordinis Ecclesiæ Præpositi*, non *Præpositi* simpliciter. Quod Dallæus subjungit Cyprianum de iisdem loqui, de quibus Firmilianus loco illo quem laudat, concedo. Sed Firmilianus loquitur de Episcopis, non de Presbyteris: quia loquitur *de majoribus natu, qui ordinandi possident potestatem*; quæ potestas residet penès Episcopos, non penès simplices Presbyteros, juxta doctrinam S. Hieronymi Epist. LXXXV. ad Evagrium: *Quid enim facit Episcopus, quod non facit Presbyter, exceptâ Ordinatione?*

Urget II. Dallæus. *Etiamsi Præpositos de solis hic Episcopis acceperis, non ideo tamen sequitur Presbyteris nefas fuisse manus baptizatis imponere. Nam quod ait Cyprianus;* QUI IN ECCLESIA BAPTIZANTUR: *id non absolutè de omnibus omnino qui Baptismo initiabantur accipiendum est (nam qui vel à Presbyteris, vel ab ipsis Episcopis tincti erant, eos certè Præpositis baptizatos offerri nihil necesse erat, quòd ij unâ cum Baptismo, manûs quoque impositionem statim susceperant:) sed relatè ad præsentem causam, de iis qui vel à Presbyteris in Ecclesiâ cùm adesset Episcopus baptizati erant (ij enim honoris causâ manûs impositionem ab Episcopo ultimùm accepisse, postquam cætera à Presbytero habuissent, videntur,) vel in necessitate aliquâ positi Baptismum aut à viro laïco, aut si fortè à Diacono receperant, ut à Philippo Samaritani. Istos intelligit Cyprianus, quòd eorum Baptismo aliquid defuisset ne solemnis ac legitimus videri ac censeri posset; offerri Ecclesiæ Præpositis consuevisse, ut horum oratione atque manûs impositione Baptismus ipsorum firmatus, ratus, ac validus esset, proque verè Ecclesiastico censeretur.* Ejusdem est rationis observatio Spalat. lib. V. c. V. num. XIV. concepta in hunc modum. *Et verba illa:* QUOD DEERAT: *&*: CONSUMMENTUR: *exprimunt satis manûs impositionem fuisse in vero*

Ecclesiastico Baptismo partem cæremonialem, & ultimum ritum, quo Baptismi Sacramentum consummaretur, ultimumque acciperet complementum.

Respondeo, non absolutè quidem illud Cypriani accipiendum esse de omnibus omnino qui Baptismo initiabantur; quia non de baptizatis ab Episcopo: sed accipiendum est de baptizatis omnino ab aliis præter Episcopum, sive Presbyteris & Diaconis penès quos erat facultas administrandi Baptismi solemnis, sive cæteris etiam laïcis. Porrò Cyprianus non dicit de baptizatis per alium quàm per Episcopum, quòd eorum Baptismo aliquid deest: sed dicit, *quòd deest illis aliquid, quemadmodum deerat aliquid Samaritanis per Philippum Diaconum legitimo & Ecclesiastico Baptismo baptizatis.* Cum ergo nihil deesset Baptismo Samaritanorum, ut pote *legitimo atque Ecclesiastico*, deesset tamen illis Samaritanis Spiritus sanctus ad robur; ita nihil deest Baptismo quando suscipitur sejunctim à Confirmatione, deest tamen ità baptizatis Spiritus sanctus ad robur: neque manûs impositio, quâ Spiritus advocatur super baptizatos, magìs est necessaria hujusmodi Baptismo, ut censeatur legitimus & Ecclesiasticus, quàm impositio manuum Apostolica necessaria fuerit, ut Baptismus à Philippo Diacono collatus Samaritanis legitimus esset atque Ecclesiasticus. Verba Cypriani sunt perspicua. *Illi enim*, inquit, *qui in Samariâ crediderant, fide verâ crediderant, & intùs in Ecclesiâ, quæ una est, & cui soli gratiam Baptismi dare & peccata solvere permissum est, à Philippo Diacono, quem idem Apostoli miserant, baptizati erant: Et idcirco quia legitimum & Ecclesiasticum Baptismum consecuti fuerant, baptizari eos ultrà non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, & manu imposita, invocaretur & infunderetur super eos Spiritus sanctus.* Vides illos legitimum atque Ecclesiasticum Baptisma fuisse consecutos, atque collatum ab Apostolis id quod deerat non Baptismo, *sed Baptismum legitimum atque Ecclesiasticum consecutis.* Ad id quod Spalat. vim facit in particula (*consummentur*,) respondeo Confirmationem esse consummationem seu complementum Baptismi, quia perfectos facit quos Baptismus facit infantes Christianos. Sed de eo suo loco fusius.

Alter locus apud Cyprianum è quo probatur Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis propriè dictum, petitur

ex Epist. LXX. Cypriani & Conc. Carthag. ad Januarium cæterosque Episcopos Numidas, de baptizandis hæreticis. *Ungi*, inquit, *necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur oleum, in altari sanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habet, nec Ecclesiam. Unde nec unctio spiritualis apud Hæreticos potest esse, quando constet oleum sanctificari & Eucharistiam fieri apud illos omninò non posse.* Et postea. *Sed & baptizato quam precem facere potest Sacerdos sacrilegus & peccator? Quis autem potest dare quod ipse non habeat? aut quomodo potest spiritalia agere, qui ipse amiserit Spiritum sanctum? Et idcirco baptizandus est & innovandus qui ad Ecclesiam rudis venit, ut intùs per sanctos sanctificetur.* Ex quibus verbis, si unctio de qua agitur, sit confirmatoria, quod Spalatensis admittit lib. V. c. V. num. XIV. eò quòd Cyprianus illi det peculiarem effectum gratiæ Christi, sequitur Confirmationem esse Sacramentum, quia est productiva gratiæ. Quòd si quis contenderit unctionem Baptismalem hìc commemorari; fateatur saltem necesse est Confirmationem describi per hæc verba: *Sed & baptizato quam precem facere potest Sacerdos &c.* Adeoque eam esse Sacramentum, quia est collativa Spiritus sancti, ex Cypriano.

Dallæus lib. II. c. VIII. multis conatur ostendere post Spalatensem suprà, textum hunc esse de unctione & manûs impositione, Baptismi cæremoniis, ejusque appendice, non de altero Sacramento, his maximè rationibus.

Prima est. *Non de unctione vel manûs impositione confirmatoria, sed de Baptismo solo errasse, vel cum Stephano Romano Episcopo litigasse dicitur Cyprianus. Ergo, quas hic urget unctionem & manûs impositionem, eas fuisse necesse est Baptismi appendices, à quarum velut Baptismalis administrationis partium natura atque ingenio ad ipsum Baptismum pro sua sententia argumentatur, ex iis concludens baptizandum & innovandum, qui ad Ecclesiam ab hæreticis venit.*

Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Cyprianus urget unctionem & manûs impositionem confirmatoriam, ut inferat Baptismum valere solùm in Ecclesia Catholicâ, quasi sic argumentetur. Apud quos neque valet unctio, neque manûs impositio confirmatoria, apud eos

non valet ipſe Baptiſmus; quia eadem eſt trium iſtorum ratio. Sed unctio confirmatoria non valet apud hæreticos: quia oleum unde unguntur baptizati ſanctificari neceſſe eſt in altari, non ſecus ac Euchariſtia: ſanctificare autem non poteſt olei creaturam, qui nec altare habet nec Eccleſiam: Hæretici non habent. Non valet etiam apud Hæreticos manûs impoſitio, quæ eſt oratio ſuper baptizatum: quia baptizato precem facere non poteſt Sacerdos ſacrilegus & peccator, cum ſcriptum ſit: *Deus peccatorem non audit.* Ergo neque Baptiſmus valet apud eos. Confirmatur noſtra reſponſio: quia modus loquendi Cypriani ſupponit baptizatos jam eſſe, & ungendos & quibus manus eſt imponenda. *Vngi quoque neceſſe eſt*, inquit, *eum qui baptizatus ſit.* Et; *Sed & baptizato quam precem facere poteſt Sacerdos?* quo nomine ſignificatur ille qui baptizatus fuit juxta ritus atque cæremonias Eccleſiæ. Ergo ritus unctionis & manûs impoſitionis alij ſunt à ritu Baptiſmi.

At inquit, Spalatenſis, *Hæc profectò unctio eſt pars Baptiſmi apud Cyprianum: quia enim talem unctionem inefficacem eſſe probat, ſi ab Hæretico fiat, inde colligit Baptiſmum ipſum eſſe inefficacem. Ab invaliditate unius Sacramenti non licet colligere invaliditatem alterius: laicus enim invalidè conſecrabit, at validè baptizabit.*

Reſpondeo, non inferri ab invaliditate unius Sacramenti invaliditatem alterius, niſi ratio communis ſit utrique: communis verò utrique Sacramento putabatur eſſe ratio ad arguendam invaliditatem, videlicet quòd unctio ab hæreticis facta, non ſit collativa Spiritus ſancti, ſicut nec Baptiſmus eorum.

Secunda ratio Dallæi procedit in hunc modum. *Ipſa diſputationis Cyprianæ ſeries oſtendit ibi unctionem & manûs impoſitionem ad Baptiſmum pertinuiſſe. Poſtquam enim ab ipſa lotione, quæ in Baptiſmi adminiſtratione fuit, & quâ propriè Sacramentum conſtat, & ab interrogatione de fide argumentatus eſt, ita progreditur:* UNGI QUOQUE NECESSE EST EUM QUI BAPTIZATUS SIT, *ideſt, lotus: ubi particula* (QUOQUE) *unctionem cum lotione velut partem vel appendicem ejuſdem Baptiſmalis myſterij connectit. Quaſi dicat, Baptiſmum qui ab Hæreticis datur, nihil valere, non ſolùm lotio, ſed & unctio ipſa, quæ Eccleſiaſtico ritu lotionem excipit, clarè demonſtrat. Itidem mox*

de manûs impositione: SED ET BAPTIZATO, *inquit,* QUAM PRECEM *&c.*

Respondeo seriem disputationis Cypriani non id ostendere. Probare conatur sanctus Martyr Baptisma Hæreticorum nullum esse. Rationes ejus istæ sunt. I. Unum Baptisma est in sanctâ Ecclesiâ constitutum: ergo Baptisma non est extra Ecclesiam. II. Oportet mundari & sanctificari aquam prius à Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata baptizandi abluere: atqui mundare & sanctificare aquam non potest immundus, & apud quem Spiritus sanctus non est: tales sunt Hæretici. III. In Baptismo fit remissio peccatorum: Hæreticus verò remittere peccata non potest alterius: tum quia nec sua propria deponere potest extra Ecclesiam: tum etiam quia remissio peccatorum non datur nisi in Ecclesia, cujus veritatis ipsa interrogatio quæ fit in Baptismo, testis est locupletissima: *Credis in vitam æternam & remissionem peccatorum per sanctam Ecclesiam?* IV. Nec unctio confirmatoria, nec impositio manuum valet apud Hæreticos, quia scilicet, non est sanctificatio, non est Spiritus sanctus in hæresi: ergo Baptismus est invalidus apud eosdem. Neque verò particula (*quoque*) connectit unctionem cum lotione, tanquam partem vel appendicem ejus; sed connectit rationem hanc cum præcedentibus ad stabilimentum propositionis ejusdem. Et certè, qui ungendus est, jam supponitur baptizatus, nedum quoad essentialia Sacramenti, sed etiam quoad integritatem ipsius & appendices omnes: sermo quippe est de Ecclesiastico legitimoque Baptismate ablutis.

Tertia est. *Cyprianus non balsami, sed solius meminit olei: at unctio simplicis olei non est confirmatoria.*

Respondeo argumentum istud spectare ad controversiam de materiâ Confirmationis, neque impetere naturam ipsius Sacramenti. Nullius est ponderis apud eos quibus admixtio balsami non est de necessitate Sacramenti: multò minùs apud alios, quibus ne quidem ipsa unctio est essentialis, sed integrans tantum, seu accidentalis, atque ad expressionem significatuum instituta: cùm existiment totam esse collocatam ejus essentiam in manûs impositione. Tangit eos solos qui putant balsamum commiscendum esse de necessitate Sacramenti: qui quidem facilè respondent Cyprianum usum fuisse nomine olei, non ad exclusionem balsami, sicut non exclu-

dit aquam à materia calicis qui vini meminit, & de aquâ silet: quamvis calix Domini non sit vinum solum, neque aqua sola, sed vinum cui aliquid aquæ admisceatur. Olei porrò meminit subticendo de balsamo, quia oleum obtinet præcipuum locum in materia Confirmationis.

Quarta est. *Cyprianus oleo ideo inungi ait baptizatum, ut unctus Dei esse possit; id est, regii Sacerdotii compos in Christo fieri: quod ad Baptismi ipsius, non ad Confirmationis Latinæ effecta pertinet.*

Respondeo I. Si audiatur Kemnitius in examine (audiendus tamen minimè videtur) Cyprianum existimasse post Tertullianum Magistrum suum, Baptisma homini peccata delere; unctionem verò confirmatoriam dare gratiam seu Spiritum sanctum. Quâ positâ Kemnitii doctrinâ, funditus ruit objectio Dallæi. II. Ungi milites ad pugnam, quemadmodum Sacerdotes unguntur ad Sacrificium. Confirmatio facit nos milites & perfectè Christianos, hoc est Sacerdotes, Sacerdotio communi & generali, de quo Princeps Apostolorum: *Gens sancta, populus acquisitionis, regale Sacerdotium.* III. Si genus istud argumentandi Dallæi arriserit, nihil video cur ille vereatur Eucharistiam inter Baptismi ritus annumerare: quia quemadmodum effectus Baptismi est suscipientes efficere regii Sacerdotij compotes, sic effectus Baptismi est nos reddere membra Christi, dare vitam animæ, Christo nos induere; quæ tamen omnia tribuuntur interdum Eucharistiæ, cujus Neophyti fiunt participes. Unde Jesse Ambian. Epist. de Baptismo: *Novissimè Corpore & Sanguine Domini confirmatur infans, ut ejus possit esse membrum, qui pro eo passus est & resurrexit.* Et Theodulphus Aurelian. lib. de Ordine Baptismi c. XVIII. *Propter hanc vitam adipiscendam & baptizamur & ejus carne pascimur.* Et Alcuinus Epist. ad Odovinum: *Sic Corpore & Sanguine Dominico confirmatur, ut illius sit capitis membrum, qui pro ipso passus est & resurrexit.* Et Amalarius Epist. ad Carolum Magnum. *Confirmatur postea Corpore & Sanguine Domini, ut sciat per talia mysteria diabolum expulsum ab ejus corde, ac Christum inhabitare: ita ut confidenter dicamus illis; Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis,* Et Rabanus Maurus lib. I. de Instit. Clericorum c. XXIX. *Deinde Corpore & Sanguine Dominico omne precedens Sacramentum in eo confirmatur, quia hac ideo accipere debet,*

ut Deum habere mereatur in se habitatorem, & illius sit capitis membrum, qui passus est & resurrexit pro nobis. Ergo si bene infertur Confirmationem esse Baptismi ritum, quia regij Sacerdotij compotes in Christo fieri (quod est effectus Baptismi) Confirmationi quoque tribuitur : poterit pari modo inferri Eucharistiam esse ritum atque cæremoniam Baptismi, quia effectus illius ab authoribus citatis allati, ad Baptismum quoque referuntur. Uno verbo omnia illa Sacramenta considerantur tanquam unius ejusdemque totalis effectûs causæ.



DISSERTATIO.

De manûs impositione, per quam conversi ab hæresi recipiebantur in Ecclesiâ.

NONNULLI sentiunt probari luculentissim Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis à Baptismo distinctum ex Epist. LXXII. Cypriani, ubi sanctus Doctor suo atque Africanorum Episcoporum nomine scribit Stephano Rom. Pontifici, Hæreticos revertentes ad Ecclesiam extra quam suscepere Baptismum, baptizari oportere. *Eo quòd*, inquit, *parùm sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum. Tunc enim demum plenè sanctificari & esse filij Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur.* Ejusdem est generis quod Nemesianus Episcopus Tubunensis in Syn. Africana de Hæreticis baptizandis pronunciavit in hæc verba: *Neque enim Spiritus sinè aquâ operari potest, neque aqua sine Spiritu. Malè ergo sibi quidam interpretantur, ut dicant, quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum accipiant, & sic recipiantur: cùm manifestum sit utroque Sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica.*

Qui ita sentiunt, ad duas classes meritò revocantur. 1ª est asserentium quoslibet Hæreticos revertentes ad Ecclesiam recipi solitos per manûs impositionem confirmatoriam, seu per Sacramentum Confirmationis, quod illis tùm cùm revertebantur, conferebatur. Ita Sirmondus Antirr. II. c. V. Altera distinguit inter baptizatos *in Ecclesia* & baptizatos *in hæresi.* Fatetur baptizatos in Ecclesia redeuntes ab hæresi re-

cipi consuevisse, non per Confirmationem, sed per manûs impositionem in pœnitentiam: contenditque baptizatos in hæresi, admissos fuisse per manûs impositionem confirmatoriam, non per manûs impositionem in pœnitentiam. Hi negant iterari proinde Confirmationem, quia sentiunt Sacramentum istud administrari in hæresi invalidè, seu Confirmationem non esse validam apud Hæreticos. Sustinent quoque Confirmationem dedisse primam gratiam redeuntibus, ita ut non necesse fuerit illos per pœnitentiam & absolutionem secretam purgari. Ita Maldonatus lib. I. de Sacram. in fine I. q. de Confirm. & q. II. Morinus lib. IX. de Pœnit. c. XI. Goarius Euchol. pag. DCCCLXXXVIII.

Petrus Aurelius rejicit utramque. Existimat Hæreticos, sive qui in Ecclesia, sive qui extra Ecclesiam baptizati fuerant, cùm revertebantur, non receptos per confirmatoriam manûs impositionem, sed per meram cæremoniam, institutionis purè Ecclesiasticæ, quæ tamen eodem modo Presbyteris interdiceretur, quo reconciliatio pœnitentium interdicitur.

Iª sit propositio. Impositio manuum per quam Hæretici baptizati in Ecclesia redeuntes ad illam recipiebantur, non est confirmatoria. Probatur: quia aliàs Confirmatio iterata fuisset: nam statim cum Baptismo, vel saltem primâ datâ occasione administrabatur in Ecclesiâ: sed Confirmatio iterari nequit, quia imprimit characterem, ut infrà docebimus.

IIª propositio. Revertentes ab hæresi ad Ecclesiam in quâ baptizati fuerant, recipiebantur per manûs impositionem in pœnitentiam. Probatur ex Cypriano Epist. LXXI. ad Quintum his verbis. *Et dicunt se in hoc veterem consuetudinem sequi: quando apud veteres, hæreseos & schismatum prima adhuc fuerunt initia, ut hi illic essent, qui de Ecclesia recedebant, & hîc baptizati priùs fuerant: quos tunc tamen ad Ecclesiam revertentes, & pœnitentiam agentes necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, & à nobis ad Hæreticos transisse, si postmodùm peccato suo cognito & errore digesto, ad veritatem & matricem redeant, satis sit* IN POENITENTIAM MANUM IMPONERE: *ut quia ovis jam fuerat, hanc ovem obalienatam & errabundam in ovile suum pastor recipiat.* Et Epist. LXXIV. ad Pompeïum. *Observatur itaque à nobis & tenetur, frater charissime, exploratâ & per-*

spectâ veritate, ut omnes qui ex quacumque haresi ad Ecclesiam convertuntur, Ecclesiæ unico legitimo Baptismo baptizentur: exceptis his, qui baptizati in Ecclesia priùs fuerant, & sic ad Hæreticos transierant: hos enim opportet cùm redeunt, ACTA POENITENTIA, PER MANÛS IMPOSITIONEM SOLAM RECIPI, *& in ovile, unde erraverant, à pastore restitui.* Augustinus lib. III. de Baptismo c. XI. *Cyprianus cum cæteris statuit, ut si ab hæresibus redirent in Ecclesiam, quicumque fuerant in ea baptizati, non jam per Baptismum, sed* PER POENITENTIAM *reciperentur.* Ita etiam Crescens à Cirta in Synodo Africana. Et favet ratio: quia duplex tantùm impositio manûs statui potest per quam illi reciperentur, confirmatoria, & manûs impositio in pœnitentiam. Sed baptizati in Ecclesia redeuntes ab hæresi non recipiebantur per Confirmationem, quæ est Sacramentum initerabile, & quam receperunt in Ecclesiâ unà cum Baptismate, vel paulò pòst. Ergo recipiebantur per manûs impositionem in pœnitentiam.

IIIª propositio. Hæretici extra Ecclesiam baptizati reconciliabantur per manûs impositionem in pœnitentiam, & non per manûs impositionem confirmatoriam, seu per Sacramentum Confirmationis. Probatur I. ex verbis expressis Stephani Rom. *Si quis ergo à quâcunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur* IN POENITENTIAM. Quæ verba S. Cyprianus considerans Epist. LXXIV. pronunciat esse approbativa Baptismatis Hæreticorum. *A quacumque*, inquit, *hæresi venientem baptizari in Ecclesia vetuit, id est, omnium Hæreticorum Baptismata justa esse & legitima judicavit.* Subjungit verò eundem Stephanum sensisse, quòd sic baptizati ab Hæreticis essent recipiendi per manûs impositionem in pœnitentiam: *Sed tantùm manus illis imponatur* in pœnitentiam. Et infrà. *Ut Hæretico tantùm manus imponantur in* POENITENTIAM.

Probatur II. ex Epist. cit. ad Quintum, in qua Cyprianus conatur refellere Stephanum Romanum, qui prohibendo ne baptizati ab Hæreticis baptizarentur, & præcipiendo ut reciperentur per manûs impositionem, declaraverat se in eo veterem consuetudinem fuisse secutum. Contendit ibi Cyprianus, veterem consuetudinem illam, qua Stephanus nitebatur, respicere Hæreticos baptizatos in Ecclesia, non respicere baptizatos extra Ecclesiam. Illis dicit satis esse in pœnitentiam

pœnitentiam manus imponere, cæteris non esse satis, sed præterea baptizandos esse ut oves fiant; & Epist. sequenti, quæ est ad eundem Stephanum, idem habet: *Eo quòd*, inquit, *parùm sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ Baptismum.* Inde sic ratiocinor. Quod Stephanus statuit generaliter pro reconciliandis Hæreticis, Cyprianus ex parte tantùm approbat, respectu videlicet revertentium qui baptizati fuerant in Ecclesia, non respectu baptizatorum extra Ecclesiam; quibus recipiendis existimat non sufficere manûs impositionem, sed necessarium esse Baptismum. Ergo Stephanus eandem quâ utrique reciperentur, præscripserat manûs impositionem. Præscripserat verò recipiendis ab hæresi redeuntibus qui baptizati fuerant in Ecclesia, manûs impositionem in pœnitentiam: ergo præscripserat, ut eadem manûs impositione reconciliarentur qui baptizati fuerant extra Ecclesiam.

Probatur III. Confirmatio non potest iterari, & valet suscepta in hæresi: ab ea itaque redeuntes ubi Confirmationem susceperant, non reconciliabantur per manûs impositionem confirmatoriam. Quòd Confirmatio valeat suscepta in hæresi; Probo I. ex S. August. lib. V. de Baptis. contra Donat. c. XX. expendente doctrinam Cypriani Epist. LXX. ad Januarium, contendentis Baptisma non valere apud Hæreticos, quia Confirmatio non valet apud eos, quod probabat in hunc modum. *Vngi quoque necesse est eum qui baptizatus sit. Porrò autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificatur. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Ecclesiam. Vndè nec unctio spiritalis apud Hæreticos potest esse: quandò constet oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse. Scire autem & meminisse debemus scriptum esse:* OLEUM PECCATORIS NON UNGAT CAPUT MEUM. Sic autem Augustinus: *Quomodo aquam mundat & sanctificat homicida? quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem Deus adest Sacramentis & verbis suis, per qualeslibet administrentur, & Sacramenta Dei ubique recta sunt, & mali homines quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt.* Et posteà. *Cur autem ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus oleum sanctificare, & in altari quod posuerunt Hæretici non possit, nescio.* Et postea. *Si ergo adhuc valet quod dictum est in Evangelio;* DEUS PECCATOREM NON AUDIT:

ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur? quæ omnia tamen & fiunt & valent etiam per homicidas, Inde dico. Cypriano pronunciante Confirmationem non valere apud Hæreticos, quia Hæretici non possunt sanctificare olei creaturam, & quia scriptum est; *Oleum peccatoris non ungat caput meum:* Augustinus opponit, peccatores, ipsosque homicidas posse benedicere oleum. Quare non posse improbari Confirmationem Hæreticorum, ex eo quòd scriptum est: *Oleum peccatoris &c.* II. Cùm Petilianus contenderet Baptisma non valere apud Hæreticos, quia unctio non valet apud illos, de qua unctione scriptum est Psal. CXXXII. *Sicut unguentum in capite &c.* S. Doctor lib. II. contra litteras Petil. c. CIV. ita loquitur. *Et in hoc unguento Sacramentum Chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacro-sanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse & in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, & regnum cælorum non possessuris; & ideo nec ad barbam Aaron, nec ad oram vestimenti eius, nec ad ullam contextionem vestis Sacerdotalis pertinentibus.* Et infrà. *Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum quod esse & in bonis & in malis potest, illis ad præmium, illis ad judicium; ab invisibili unctione charitatis, quæ propria bonorum est.* Inde dico. Si Augustinus existimasset Confirmationem non valere apud Hæreticos, respondisset Petiliano, Confirmationem valere in Ecclesia datam à peccatore, & non valere celebratam extra Ecclesiam; neque supposuisset eandem esse rationem Confirmationis traditæ à Catholico peccatore, & traditæ ab Hæretico, sicuti hâc suâ responsione supposuit. Ergo sentit Confirmationem collatam ab Hæretico valere, sicuti sensit valere eam quam peccator homicida contulerit. Probo III. ex eod. August. Serm. V. & XI. in Appendice, ubi respondens Donatistis abutentibus verbis Psalmi laudatis: *Oleum autem peccatoris &c.* ad probandum Confirmationem non valere in hæresi; sic loquitur. *Ergo oleum tuum est? Si tuum est, nolo. Si tuum est, malum est. Si autem Dei est, & per te malum bonum est. Cœnum non inquinat solis radium, & tu inquinas Dei oleum? Ideo autem malo tuo habes, quia quod bonum est malus habes: quod Dei est, malè accepisti, quia separatus non collegisti, sed*

ſparſiſti. Ex quo loco evidens eſt, Auguſtino viſum fuiſſe, quòd Confirmatio in hæreſi celebrata eſt oleum Dei, & non eſt oleum hominis peccatoris; ſicque quòd valet in hæreſi ſuſcepta, ſicut valet ſuſcepta in Eccleſiâ per Miniſtrum peccatorem. Probo IV. quia ratio nulla eſt dicendi, quòd Eccleſia quæ ſemper cenſuit validum eſſe Baptiſma, validam quoque eſſe ordinationem ſuſceptam in hæreſi, ſenſerit non valere Confirmationem ſuſceptam in hæreſi. Probo V. ex eo quòd Cyprianus ſuæque partis homines invictiſſimè aliàs fuiſſent argumentati contra Decretum Stephani Romani, ut & ipſi Donatiſtæ adverſus Auguſtinum: oſtendendo eandem eſſe rationem Confirmationis quæ Baptiſmi, in quo verè datur Spiritus ſanctus, ſicut datur in Confirmatione: quare ſi Confirmatio non valet ſuſcepta extra Eccleſiam, ex mente Stephani & Auguſtini, ſeu Eccleſiæ Romanæ, non valere ſuſceptum Baptiſma extra Eccleſiam. Probo VI. ex Optato lib. VII. ubi reſpondens Parmeniano de parte Donatiſtarum ſcribit. *Nunquid nos exterminamus oleum veſtrum, ut meritò nos muſcas morituras appelletis? Quod veſtrum eſt, apud vos eſt. Et ſi à vobis ad nos aliquis tranſitum fecerit, ſic à nobis ſervatur, quomodo à vobis dimittitur: quomodo dicitis quia nos ſumus muſcæ morituræ ſuavitatem olei corrumpentes, cùm poſt vos nihil tale fecerimus?* Et poſtea. *Si nos exterminaremus à vobis confectum oleum, meritò nos muſcas morituras appellare poſſetis: ſed dum, quod à vobis unctum eſt, tale ſervamus, quale ſuſcipimus, muſcæ morituræ eſſe non poſſumus.* Verba hæc non egent expoſitione, aperta ſunt, docent Confirmationem ſuſceptam extra Eccleſiam ratam eſſe. Probo VIII. Theodoretus lib. III. Hæreticarum fabularum tit. de Novato, obſervat, proprium fuiſſe Novatianorum, ut cùm reconciliarentur Eccleſiæ, ſacro Chriſmate inungerentur, quia baptizati apud eos non ſignabantur ſacro Chriſmate. Inde dico. Si locus ille intelligitur de unctione confirmatoria, quod videtur probabilius, ex eo conficitur Eccleſiam cenſuiſſe validam Confirmationem ſuſceptam in hæreſi, aliàs non proprium id Novatianorum, ſed commune illis fuiſſet cum cæteris Hæreticis converſis ab hæreſi. Probo VIII. ex Alcimo Avito Epiſt. XXIV. quæ eſt ad Stephanum Lugdunenſem, ubi vult recipi revertentes ab hæreſi per manûs impoſitionem, neque vult confirmari, quia ſicut baptizati ſunt in ſchiſmate; ita

confirmati sunt in schismate. *Manûs impositionem*, inquit, *personæ de qua scribitis adhibete, quam constat, si revera in supradicti schismatis professione versata est, cum ministerio Baptismatis etiam Chrismate consignatam.* Hinc sequitur, revertentes ab hæresi in qua confirmati fuerant, non magis iteratò fuisse confirmatos quàm rebaptizatos.

At inquies, Nihil vetat agnoscere, quòd Confirmatio suscepta extra Ecclesiam valeret, & quòd tamen iterabatur quando revertebantur ad Ecclesiam.

Respondeo istud vetare constantissimam Ecclesiæ doctrinam de Confirmationis charactere. Si enim Confirmatio imprimit characterem, sicuti definitum est à Conc. Trident. iterari nullâ ratione potest. Neque verò diceretur impunè Concilium definivisse Confirmationem iterari non posse adversùs sensum veteris Ecclesiæ, apud quam, si verum est quod supponit objectio, Confirmatio iterata fuisset.

Probatur IV. nostra propositio. Confirmatio, ex dicendis, non potest, etiam in necessitate conferri per alium ab Episcopo: sed conversi ab hæresi poterant reconciliari per Presbyterum, absente Episcopo, ex Conc. Arausf. I. Can. I. & Epoonensi c. XVI.

Probatur V. Manûs impositio confirmatoria, est manûs impositio in Spiritum sanctum, tanquam causa per se Spiritus sancti, hoc est charitatis: quia Sacramenta novæ Legis sunt causæ per se gratiæ sanctificantis. Sed manus impositio reconciliatoria revertentium ab hæresi, est causa per accidens duntaxat, non causa per se gratiæ sanctificantis seu charitatis & Spiritus sancti. Ergo manùs impositio reconciliatoria non est confirmatoria. Minor probatur. Manûs impositio reconciliatoria dicta est in Spiritum sanctum, quia ad illam datur Spiritus sanctus revertenti ab hæresi, per quem ipsius peccata remittuntur. Sed Spiritus sanctus per quem remittuntur peccata ei qui baptizatus est in hæresi est à manûs impositione reconciliatoriâ, tanquam à causa per accidens duntaxat, & est à Baptismo ipso in hæresi suscepto, tanquam à causa per se. Ergo &c. Major probatur ex modo loquendi Cypriani Epist. LXXVI. quæ est ad Magnum. *Qui*, inquit, *Hæreticis sive Schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, habeantne Spiritum sanctum, an non habeant? Si habent, cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus imponitur ad acci-*

piendum Spiritum sanctum, cùm jam utique illic acceptus sit, ubi si fuit dari potuit. Si autem foris cuncti Hæretici & Schismatici non habent Spiritum sanctum, & ideo apud nos manus imponitur, ut hîc accipiatur, quod illic neque est, nec dari potest; manifestum est nec remissionem peccatorum dari per eos posse, quos constet Spiritum sanctum non habere. Et Epist. ad Jubaïanum: *Si secundùm pravam fidem baptizari aliquis foris & remissam peccatorum consequi potuit, secundùm eandem fidem consequi & Spiritum sanctum potuit: aut utrumque enim fides foris potuit, aut neutrum eorum, qui foris fuerat, accepit. Manifestum est autem, ubi, & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in Baptismo scilicet datur. Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit & ostendit, potestatem illam dedit, ut id solveretur in cælis, quod ille solvisset in terris. Et post resurrectionem quoque ad Apostolos loquitur dicens:* SICUT MISIT ME PATER, ET EGO MITTO VOS. HOC CÙM DIXISSET, INSPIRAVIT ET AIT ILLIS: ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM. SI CUJUS REMISERITIS PECCATA *&c.* Quibus locis constat quòd manus imponebatur ab Ecclesia, revertentibus ab hæresi, ut per eam reciperent Spiritum sanctum, quem non receperant in hæresi: aliàs consecuti fuissent in hæresi suorum remissam peccatorum, quia Spiritus sanctus peccata dimittit. Minor verò probatur, videlicet quòd manûs impositio reconciliatoria est causa per accidens duntaxat gratiæ sanctificantis, cùm causa per se sit ipse Baptismus in hæresi susceptus. Probatur, inquam, ex S. Augustino, primùm asserente eandem esse rationem remissionis peccatorum, respectu ejus qui baptizatus est in hæresi, quæ est respectu illius qui cum conscientia peccati mortalis, vel cum fictione ad Baptismum accessit: quare quemadmodum illi per pœnitentiam & per depositionem fictionis, tanquam per causam per accidens, & per Baptismum tanquam causam per se consequuntur Spiritum sanctum per quem remissam obtinent peccatorum; ita baptizati in hæresi consequuntur Spiritum sanctum per Baptismum tanquam per causam per se, & per manûs impositionem reconciliatoriam, tanquam per causam per accidens. Augustinus lib. III. de Baptismo contra Donat. c. XVIII. expendens verba superiùs relata Epist. Cypr. ad Jubaïanum: *Ergo*, inquit, *si* (Apostoli) *personam gerebant Ecclesiæ, & sic eis dictum est, tanquam*

ipsi Ecclesiæ diceretur : pax Ecclesiæ dimittit peccata, & ab Ecclesiæ pace alienatio tenet peccata, non secundùm arbitrium hominum, sed secundùm arbitrium Dei & orationes sanctorum spiritualium &c. Petra enim tenet, Petra dimittit : columba tenet, columba dimittit : unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem hujus unitatis in solis bonis est, vel jam spiritalibus, vel ad spiritalia concordi obedientia proficientibus. In malis autem non est, sive foris tumultuentur, sive intus cum gemitu tolerentur, & baptizent, & baptizentur. Sicut autem isti qui intùs cum gemitu tolerantur; tamen si corrigantur, & se pessimos ad Baptismum accessisse fateantur, non rebaptizantur, sed incipiunt ad columbam pertinere, per cujus gemitus peccata solvuntur, à cujus pace alienati tenebantur : sic & qui apertiùs foris sunt, si eadem Sacramenta sumpserunt, cùm correcti ad Ecclesiæ veniunt unitatem, non iterato Baptismo, sed eâdem charitatis lege, & unitatis vinculo liberantur. At enim qui cum peccati mortalis conscientiâ susceperunt Baptismum in Ecclesia, per pœnitentiam, tanquam per causam per accidens, & per Baptismum tanquam causam per se, recipiunt Spiritum sanctum, per quem eorum peccata solvuntur. Quia igitur, Augustino teste, eadem est ratio eorum qui pessimi ad Ecclesiam accesserunt, quæ est baptizatorum extra Ecclesiam, quoad Spiritus sancti consecutionem; manifestum est Spiritum sanctum non dari per manûs impositionem reconciliatoriam, nisi tanquam per causam per accidens. Et lib. I. de Baptis. contra Donatis. c. XII. comparando baptizatum in hæresi, cum eo qui ficto animo Baptismum recepit in Ecclesia, scribit : *Sicut enim in illo qui fictus accesserat fit, ut non denuo baptizetur, sed ipsâ piâ correctione & veraci confessione purgetur, ut quod antè datum est, tunc valere incipiat ad salutem, cùm illa fictio veraci confessione recesserit : sic etiam iste, qui Baptisma Christi, quod non amiserunt qui se separaverunt, inimicus charitatis & pacis Christi in aliquâ hæresi aut schismate accepit, quo sacrilego scelere peccata ejus non dimittebantur, cùm se correxerit, & ad Ecclesiæ societatem unitatemque venerit, non iterum baptizandus est. Quia ipsâ reconciliatione ac pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam prodesse incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Et lib. III. c. XIII. de eodem argumento hæc habet. *Si autem quamvis apud Hæreticos vel Schismaticos idem sit Baptismus Christi, non tamen*

ibi operatur remiſſionem peccatorum, propter eandem diſcordiæ fœditatem, & diſſenſionis iniquitatem; tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cùm ad Eccleſiæ pacem venerint: non ut jam dimiſſa non retineantur, neque ut ille Baptiſmus quaſi alienus aut alius improbetur, ut alter tradatur: ſed ut idem ipſe, qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intùs operetur ſalutem. Et lib. VI. c. V. *Et ideo ſi ab illa perverſitate correctus, & à ſeparatione converſus venerit ad Catholicam pacem, ſub eodem Baptiſmate quod acceperat, peccata dimittuntur propter vinculum charitatis, ſub quo Baptiſmate peccata ejus tenebantur propter ſacrilegium diviſionis.* Inde dico, Ei qui ficto animo ad Baptiſmum acceſſit datur Spiritus ſanctus, & peccata remittuntur per Baptiſmum, tanquam per cauſam per ſe, & per manûs impoſitionem reconciliatoriam, tanquam per cauſam per accidens, ſeu removens prohibens. Ergo pariter baptizatis in hæreſi datur Spiritus ſanctus, per quem eorum peccata dimittuntur, per Baptiſmum tanquam cauſam per ſe, & per manûs impoſitionem reconciliatoriam tanquam cauſam per accidens, ſeu removens prohibens: adeoque manûs impoſitio reconciliatoria non dicitur manûs impoſitio in Spiritum ſanctum, quia cauſa per ſe eſt, ſed quia eſt cauſa per accidens præſentiæ Spiritus ſancti in animâ illius qui ab hæreſi revertitur in Eccleſiam. Hanc S. Auguſtini doctrinam S. Thom. III. p. q. LXIX. a. X. ad II. ſic expreſſit. *Fictio non removetur per Baptiſmum, ſed per pœnitentiam ſubſequentem, quâ remotâ, Baptiſmus aufert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo. Unde Auguſtinus dicit in lib. de Baptiſmo: Solvitur heſternus dies & quicquid supereſt, ſolvitur & ipſa hora momentumque ante Baptiſmum & in Baptiſmo: deinceps autem continuò reus eſſe incipit. Et ſic ad Baptiſmi effectum conſequendum concurrit Baptiſmus & Pœnitentia; ſed Baptiſmus, ſicut cauſa per ſe agens; Pœnitentia, ſicut cauſa per accidens, id eſt removens prohibens.*

Objicies 1. Videri mendum irrepſiſſe in verba Stephani Romani, & pro iſtis (*in pœnitentiam*) legendum eſſe (*in Spiritum ſanctum.*)

Reſpondeo, ne id dicatur, reclamare Codices MSS. optimæ notæ, quibus Rigaltius uſus eſt: reclamare Corbeïenſem annorum DCCC. reclamare etiam binam repetitionem

ejusdem vocis Epist. LXXIV. Dato tamen irrepsisse mendum: an ideo per has voces : *Manûs impositio in Spiritum sanctum:* intelligeretur confirmatio? Neutiquam. Quandoquidem Stephanus non distinguit ibi de baptizatis in, vel extra Ecclesiam : & constat baptizatos in Ecclesiâ, proindeque juxta legem ordinariam confirmatos, non fuisse reconciliari solitos per Confirmationem, ut pote Sacramentum quod non iteratur. Deinde manùs impositio confirmatoria est manùs impositio in Spiritum sanctum per se; manûs impositio reconciliatoria est manûs impositio in Spiritum sanctum per accidens duntaxat, & tanquam causa removens prohibens, id quod impediebat ne Baptismus in hæresi susceptus conferret Spiritum sanctum. Manûs impositio confirmatoria appellatur manûs impositio in Spiritum sanctum simpliciter, & non appellatur manùs impositio in pœnitentiam: sed manûs impositio reconciliatoria appellatur manùs impositio in Spiritum sanctum & in pœnitentiam simul. Unde in Synodo Africana, quod Crescens à Cirta intellexit per voces *manûs impositionis* IN POENITENTIAM, Secundinus à Carpis explicuit per manûs impositionem in Spiritum sanctum. *Unde*, inquit, *constat super filios alienos & soboles Antechristi* SPIRITUM SANCTUM PER MANUS IMPOSITIONEM *tantummodò non posse descendere, cùm manifestum sit Hæreticos Baptisma non habere.* Et Cassius à Macomadibus explicuit per voces manùs impositionis absque ullâ adjectione : *Eos* PER MANUS IMPOSITIONEM *recipiendos.*

Objicies II. Ratio Cypriani, quâ firmare contendit necessitatem Baptismi & insufficientiam manûs impositionis in Spiritum sanctum respectu baptizatorum extra Ecclesiam, videtur docere quòd ille de impositione manuum confirmatoriâ locutus fuerit. Eam proponit sub his verbis. *Tunc enim demùm plenè sanctificari & esse filii Dei possunt, si* SACRAMENTO UTROQUE *nascantur.* Nam nisi loquatur de manùs impositione confirmatoria, sensus erit : parum esse, si manus eis imponantur in pœnitentiam & non baptizentur; quia tunc demum plenè sanctificari & esse filij Dei possunt, *si utroque Sacramento* (Baptismi videlicet ac pœnitentiæ) nascantur, quod alienum à ratione est. Quandoquidem si Hæretici baptizati in Ecclesia essent baptizandi cùm revertuntur, non esset illis manus in pœnitentiam imponenda, sed

ab-

ab omnibus omninò peccatis emundarentur virtute Baptismi.

Respondeo Cyprianum per has voces (*utroque Sacramento*) intelligere aquam & Spiritum sanctum, ut sensus ejus iste sit: nos plenè sanctificari & esse filios Dei, si non aquâ solâ, non solo Spiritu sancto, sed aquâ & Spiritu sancto, simul renascamur. Ita enim ille Epist. LXXII. *Tunc enim demum plenè sanctificari & esse filij Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur, cùm scriptum sit:* NISI QUIS NATUS FUERIT EX AQUA ET SPIRITU, NON POTEST INTROIRE IN REGNUM DEI. Et Epist. LXXIII. *Ideo baptizari eos oportet qui de hæresi ad Ecclesiam veniunt, ut qui legitimo & vero, atque unico sanctæ Ecclesiæ Baptismo ad regnum Dei regeneratione divinâ præparantur, Sacramento utroque nascantur, quia scriptum est:* NISI QUIS RENATUS FUERIT EX AQUA ET SPIRITU, NON POTEST INTRARE IN REGNUM DEI. Et in Synodo Afric. Nemesianus à Thubunis: *Christus locutus est:* NISI QUIS RENATUS FUERIT EX AQUA ET SPIRITU, NON POTEST INTRARE IN REGNUM DEI. *Hic est Spiritus qui ab initio ferebatur super aquam. Neque enim Spiritus sinè aquâ operari potest, neque aquâ sinè Spiritu. Malè ergo sibi quidam interpretantur ut dicant, quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum accipiant, & sic recipiantur, cùm manifestum sit utroque Sacramento debere eos renasci in Ecclesia Catholica.* Hac itaque ratione Cyprianus voluit Baptismum non valere apud Hæreticos, quia Spiritus sanctus non est apud illos: est autem Baptismus non aqua sola, sed aqua & Spiritus sanctus simul, hoc est utrumque Sacramentum. Subscribit isti solutioni Spalatensis lib. V. de Repub. Eccles. c. V. num. XLIX.

Objicies III. Firmilianus Epist. LXXV. apud Cyprianum æquiparat manûs impositionem, de qua tùm agebatur, Baptismo; & infert verum Baptisma non esse apud Hæreticos, quia manûs impositio in Spiritum sanctum non est apud illos. Nonnunquam etiam Cyprianus sic argumentatur: videnturque omnes semper ex utriusque partis consensu dictis suis supponere, Sacramentum Confirmationis non valere apud Hæreticos: atque hoc facto fundamento, in alterum decertare atque argumentari.

Respondeo Firmilianum equidem atque Cyprianum æqui-

paraſſe manûs impoſitionem, de qua tùm agebatur, Baptiſmo. Intulerunt illi quoque Baptiſmum non eſſe apud Hæreticos, ex eo quòd manus impoſitio non eſt apud illos. Sed quando dicebant manûs impoſitionem non eſſe apud Hæreticos, vel ſenſus eorum erat, quòd manûs impoſitio validè non poteſt fieri in hæreſi, quod eſt falſum : vel ſenſus erat, quòd non licet Hæreticis manus imponere, quod verum eſt. Malè tamen Firmilianus & Cyprianus ratiocinabantur : ſiquidem ex eo quòd non licet Hæreticis manus imponere, neque ordinare, inferebant non valere Baptiſmum collatum ab Hæreticis, cùm inferre debuiſſent duntaxat, Hæreticis non licere baptizare, aut ab Hæreticis baptizari extra caſum neceſſitatis : quà de re S. Auguſt. lib. 1. de Bapt. c. 11. *Si quem fortè coegerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum per quem acceperit, non invenerit, & in animo, pace Catholicâ cuſtoditâ, per aliquem extra unitatem Catholicam poſitum acceperit, quod erat in ipſa Catholica unitate accepturus; ſi ſtatim etiam de hac vita migraverit, non eum niſi Catholicum deputamus.* Jam verò ſi quæras, utrùm Firmilianus & Cyprianus dicendo, manuum impoſitionem in Spiritum ſanctum non eſſe apud Hæreticos, loquerentur de valido, an tantùm de licito? Reſpondeo locutos fuiſſe duntaxat de licito, ita tamen ut concluderent non valere Sacramentum quod datur illicitè. Audiatur Firmilianus Epiſt. cit. *Cæteri*, inquit, *quique Hæretici ſi ſe ab Eccleſia Dei ſciderint, nihil habere poteſtatis aut gratiæ poſſunt : quandò omnis poteſtas & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi & manum imponendi & ordinandi poſſident poteſtatem. Hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec manum imponere; ita nec baptizare, nec quicquam ſanctè nec ſpiritaliter gerere, quandò alienus ſit à ſpiritali & Deifica ſanctitate.* Vides I. Firmilianum ſupponere eandem eſſe rationem manûs impoſitionis atque ordinationis Hæreticorum : at verò nunquam revocata eſt in dubium validitas ordinationis factæ per Hæreticos, ut conſtat ex Auguſtini libris contra Donatiſtas. Vides II. Firmilianum uti verbo (LICET) *Hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec manum imponere.* Audiatur quoque Cyprianus Epiſt. ad Jubaïanum. *Foris poſiti*, inquit, *& extra Eccleſiam conſtituti vindicant ſibi rem nec juris ſui nec poteſtatis, quod nos nec ratum poſſumus nec legitimum judicare, quandò hoc apud eos conſtet eſſe*

illicitum. Vides Cyprianum pronunciantem tantùm Baptiſma quod Hæretici conferunt eſſe illicitum, & ex eo quòd ſit illicitum, concludere, neque ratum eſſe, neque legitimum. Illuſtrat hoc ipſum Auguſtinus lib. III. de Baptiſmo c. X. ubi hunc Cypriani locum ſibi proponit, examinat atque diſſolvit. *Scribit*, inquit, *ad Jubaïanum Cyprianus de Hæreticorum Baptiſmo, qui videntur ei foris poſiti, & extra Eccleſiam conſtituti, vindicare ſibi rem nec juris ſui nec poteſtatis: Quod nos, inquit, nec ratum poſſumus, nec legitimum putare, quandò hoc apud eos conſtet eſſe illicitum. Nec nos abnuimus eum, qui apud Hæreticos, vel in aliquo ſchiſmate extra communionem Eccleſiæ baptizatur, non ei prodeſſe, in quantum Hæreticorum & Schiſmaticorum pravitati conſentit: nec illos qui baptizant, quamvis & ipſum & verum dent Baptiſmi Sacramentum, rectè tamen facere, extra Eccleſiam colligere, & contra Eccleſiam ſentire. Sed aliud eſt non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicitè uſurpare.* Apparet quòd Cyprianus inferebat Baptiſma Hæreticorum invalidum eſſe, quia illicitum eſt: & quòd Auguſtinus pronunciabat pro ſolutione argumenti Cyprianæi: *Aliud eſſe non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicitè uſurpare.*

Objicies IV. Epiſcopalis manûs impoſitio, per quam fidelis ſeptiformis Spiritûs virtutem conſequitur, eſt propriè loquendo confirmatoria. Talis eſt manus impoſitio quâ recipiuntur converſi ab hæreſi in quâ baptizati fuerant, teſte Siricio ad Himerium c. IV. dum vetat Arrianos baptizari: *Quos*, inquit, *nos cum Novatianis aliiſque Hæreticis, ſicut in Synodo conſtitutum eſt, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritûs, Epiſcopalis manûs impoſitione, Catholicorum conventui ſociamus, quod etiam totus Oriens, Occidenſque cuſtodit.* Concilium illud quod citat, eſt Arelat. I. in cujus Canone VIII. cavetur, ut Hæreticis, qui in Trinitate baptizati ſunt ab hæreſi redeuntibus, manus tantùm imponatur, ut accipiant Spiritum ſanctum. Concinit Leo Magnus Epiſt. XXXVII. c. II. his verbis: *Quod ibi defuit conferatur, ut per Epiſcopalem manûs impoſitionem, virtutem ſancti Spiritus conſequatur.*

Reſpondeo manûs Epiſcopalis impoſitionem, per quam fidelis virtutem Spiritus ſancti conſequitur tanquam per cauſam per ſe, eſſe confirmatoriam, non verò ſi per eam conſequatur, tanquam per cauſam per accidens & removens pro-

hibens. Siricius loquitur de manûs impositione quæ est in Spiritum sanctum, tanquam causâ per accidens, non per se. Nam agit de Arrianis quorum Confirmatio nunquam revocata est in dubium, & Confirmatio valida iterari nequit: Ergo agit de manûs impositione quæ alia est à confirmatoria. Præterea, non distinguit inter Hæreticos qui in Ecclesia, aut qui extra Ecclesiam baptizati sunt. Sed constat baptizatos in Ecclesia conversos ab hæresi non fuisse reconciliatos per Confirmationem, quæ est initerabile Sacramentum. Nec juvant hæc verba sequentia: *Quos cum Novatianis aliisque Hæreticis &c.* Nam sensus Siricij est; non esse rebaptizandos Arrianos, sicut neque Novatiani cæterique Hæretici rebaptizantur: sensus ejus non est, quòd Arriani recipiendi sunt per confirmatoriam manus impositionem, sicut Novatiani recipiuntur per confirmatoriam manûs impositionem: tum quia Siricius loquitur de eo quod *totus Oriens Occidensque custodit:* atqui Oriens Occidensque non custodiebant ritum communem impositionis manuum in reconciliatione Hæreticorum: nam in Oriente alij recipiebantur per unctionem, alij per solam fidei professionem: tum etiam quia Novatiani non reconciliabantur per Sacramentum Confirmationis, sed per manûs impositionem in pœnitentiam, quâ factâ postea confirmabantur. Adhibenda est eadem solutio Canoni VIII. Conc. Arelat. I. Et Leoni Magno.

Objicies V. in Concilio Constantinopolitano I. Can. VII. & in Quinisexto Can. LXXXIX. ubi explicatur ritus recipiendi Hæreticos conversos, jubentur recipi per Sacramentum Confirmationis: nam materia & forma illius exprimuntur distinctè, nimirum Chrismatio sub hac verborum formula: *Signaculum donationis Spiritus sancti.*

Respondeo I. Concilia illa loqui de redeuntibus ab hæresi in genere, neque distinguere inter Hæreticos, qui in Ecclesia & qui extra Ecclesiam baptizati fuerunt: quare cùm baptizati in Ecclesia non reconciliarentur per Sacramentum Confirmationis, aliàs iteratum fuisset; Concilia illa non sunt intelligenda de Confirmatione. 2°. Nego his verbis contineri formam essentialem Sacramenti Confirmationis, & Chrismationem quoque esse materiam ejus essentialem.

Objicies VI. Ex August. lib. III. de Baptismo c. XVI. *Manûs impositio non sicut Baptismus repeti non potest:* quo in loco

nomine *manûs impositionis* intelligitur confirmatoria, quam certum est à Catholicis susceptam repeti non posse. Quare cùm aliqua, ex hoc loco, repeti possit, ea certè repeti potest quæ in hæresi suscepta est.

Respondeo, ex dicendis B. Augustinum non loqui hoc loco de Confirmatione. Nam constanter docet Confirmationem sicut Baptisma iterari non posse, Expositione Epist. ad Rom.

Objicies VII. in Epistola quæ nomine Eusebij Papæ circumfertur, manûs impositio confirmatoria & reconciliatoria pro una eademque re usurpantur.

Respondeo in hac Epistolâ de duplici genere manûs impositionis sermonem institui, 1° de reconciliatoria, 2° & postea de confirmatoria.

Objicies VIII. Quæ unctioni & manûs impositioni conversorum ab hæresi tribuuntur nomina & elogia, eandem planè fuisse evincunt cum confirmatoria, seu unctione seu manûs impositione. Illam enim perinde atque hanc & Chrismationem, & Benedictionem & Manus impositionem, & Sanctum Chrisma, & Chrisma simpliciter vocant. Dicunt manum ab hæresi conversis, æque ac Neophytis imponi ut accipiant Spiritum sanctum. Illos æque ac hos, vel manûs impositione seorsum, vel hac conjunctim cum Chrismate consignari, confirmari, communiri, ad ingressum sanctæ Ecclesiæ reformari, Eucharistiæ recipiendæ idoneos fieri. Hanc denique utrorumque Confirmationem ab Episcopo petendam, postquam ita in Ecclesia institutum fuit, ut Chrismatis administratio penès hunc unum ordinem esset. Ita Dallæus.

Respondeo plura esse communia utrique manûs impositioni, non omnia. Manus imponitur Neophytis in Ecclesia, ut recipiant plenitudinem Spiritus sancti : manus imponitur baptizatis in hæresi, ut Baptismus ponat in illis Spiritum sanctum ad emundationem peccatorum, qui effectus poni prohibebatur per vitium hæresis. Minister Confirmationis nemo, etiam in necessitate præter Episcopum : minister reconciliatoriæ manûs impositionis erat etiam Presbyter, absente Episcopo & periculo mortis imminente. Conc. Arauf. 1. Can. 1. *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum Chrismate & benedictione consignari placuit.* Conc. Epaonense Can. XVI. *Presby-*

teros propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis & decumbentibus hæreticis, si conversionem subitam petant, Chrismate petimus subvenire: quod omnes conversuri, si sani sunt, ab Episcopo noverint expetendum.

Objicies IX. Aliter qui ab Ecclesia defecerant, aliter qui extra Ecclesiam loti fuerant reconciliabantur: quod constat ex Cypriano Epist. LXXI. Augustino l. II. contra Cresconium c. XVI. Innocentio I. Epist. XXII. c. IV. & V. Leone Magno Epist. LXXIX. c. VI. & VII. Vigilio Papa Epist. II. ad Eutherium, & ante illos ex Siricio Epist. IV. c. VIII.

Respondeo concedendo Cyprianum statuere aliquod discrimen inter reconciliationem conversorum ab hæresi qui in Ecclesia loti fuerant, & eos qui extra Ecclesiam: & hoc quidem in eo positum, quòd vellet redeuntes ad Ecclesiam in quâ baptizati fuerant, recipi per manus impositionem in pœnitentiam, cæteros cùm revertuntur, baptizari: quâ quidem in re lapsus est gravissimè.

Augustinus dicit faciliori veniâ & aliter recipi qui ad Ecclesiam primitus veniunt, quàm qui Ecclesiam reliquerunt. Sed hæc facilior venia non consistebat in eo, quòd suscipe-rentur per Confirmationem: consistebat in eo quòd pœnitentia eorum longè mitior esset, atque *imago* potiùs *pœnitentiæ*, quàm pœnitentia propriè dicta. Explicat se sanctus Pater lib. V. de Baptismo c. XXIII. *Manûs*, inquit, *impositio si non adhiberetur ab hæresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sinè quo non valent ad salutem quæcunque alia sancta in homine fuerint, manus hæreticis correctis imponitur.* Et lib. de unico Baptismo c. XII. *Nec illud sinè distinctione præterimus, ut humiliorem agant pœnitentiam, qui jam fideles Ecclesiam Catholicam deseruerunt, quàm qui in illa nondum fuerunt.*

Innocentius I. testatur venientes ab hæresi in qua loti sunt, recipi per manùs impositionem; & alios, qui ab Ecclesia Catholica defecerunt, non suscipi nisi per pœnitentiam. Dicet aliquis: Opponit manùs impositionem pœnitentiæ: ergo manus hæc impositio non est manùs impositio in pœnitentiam. Ergo est manûs impositio confirmatoria. Ego verò dico: Opponit manùs impositionem pœnitentiæ propriè dictæ. Ergo hæc manus impositio est in pœnitentiam non propriè

dictam. Id probo ex verbis ipsis loci qui objicitur. *Nostræ*, inquit, *lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæresi, qui tamen illic baptizati sint, per manûs impositionem laïcam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatûs honorem vel exiguum subrogare. At verò hi qui à Catholica ad hæresim transierunt, quos non aliter oportet, nisi per pœnitentiam suscipi &c.* Est enim manûs impositio per quam laïca communio duntaxat conceditur, pœnitentiæ quoddam genus. Quando itaque hæc manûs impositio opponitur pœnitentiæ, per hoc nomen (*pœnitentia*) intelligitur durior atque austerior duntaxat pœnitentia. Probo etiam ex c. III. Epist. XVIII. ejusdem Pontificis, ubi sic loquitur: *Arrianos præterea cæterasque hujusmodi pestes, quia eorum laïcos conversos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manûs impositionem suscipimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotij aut Ministerij cujuspiam suscipi dignitate.* Et postea. *Quorum laïcos imperfectos ad sancti Spiritus percipiendam gratiam, cum pœnitentiæ imagine recipiamus.* Audis laïcos qui apud Hæreticos baptizati fuerant, suscipi per manûs impositionem sub imagine pœnitentiæ. Manûs impositio *sub imagine pœnitentiæ* neque est confirmatoria, neque pœnitentia propriè dicta. Quòd enim Innocentius ibi loqueretur de baptizatis apud Hæreticos, apertè sequentia immediatè ista verba declarant: *Quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus, quod utique in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti perficitur, nec Spiritum sanctum eos habere ex illo Baptismate, illisque mysteriis arbitramur.*

Leo Magnus non comparat reconciliationem baptizatorum ab hæreticis cum reconciliatione baptizatorum in Ecclesia: sed distinguit inter denuò baptizatos, quos subjicit laboriosæ pœnitentiæ, & baptizatos ab Hæreticis non rebaptizatos, quos solâ invocatione Spiritus sancti confirmandos esse decernit per manuum impositionem. De baptizatis in Ecclesia à qua defecerunt & in hæresi non rebaptizatis, silet omnino. At, inquies, utitur voce *confirmandos*. Ergo putat baptizatos in hæresi recipiendos per Confirmationem. Respondeo, Pontificem eâ voce non intelligere Sacramentum Confirmationis, sed ritum quo reconciliantur Ecclesiæ & confirmantur in fide Catholicâ qui ab hæresi convertuntur. Confirmari dicuntur fideles per Eucharistiam ab Ordine

Romano & apud Alcuinum, Rabbanum, authorem libri de divinis Officiis: an ideo Eucharistia est Sacramentum Confirmationis? Probandum est adversariis ante omnia quòd Ecclesia vetus existimaverit omnes Hæreticorum Confirmationes esse invalidas, quod probari non potest. Illustrat hanc nostram responsionem locus Epist. XXXVII. cap. II. *Quòd*, inquit, *si ab Hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenùs Sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantùm quod ibi defuit conferatur, ut per Episcopalem manûs impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur.* Observa voces istas (*quod ibi defuit*) hoc est quod defuit Baptismo Hæreticorum. Defuit autem illi non virtus Spiritus sancti quæ traditur in Confirmatione, sed virtus Spiritus sancti quæ datur in Baptismo, quæque data non est in Baptismo Hæreticorum, propter vitium discordiæ atque schismatis, sed incipit dari remoto illo obice discordiæ atquæ schismatis. Sed quid clarius verbis istis loci qui objicitur: *Quia formam Baptismi sinè sanctificationis virtute sumpserunt.* Et: *Ut quod ab Hæreticis nemo accipit, à Catholicis Sacerdotibus consequatur.*

Vigilius quoque loquitur de Catholicis qui ab Arrianis ad quos defecerant denuò baptizati sunt. Vult eos graviori subjacere pœnitentiæ, neque reconciliari per illam manûs impositionem. *Quæ*, inquit, *per invocationem sancti Spiritus fit, sed per illam, quâ pœnitentiæ fructus requiritur, & sanctæ Communionis restitutio perficitur:* hoc est, non per impositionem manuum sub imagine pœnitentiæ, quomodo recipiebantur qui non fuerant desertores, aut etiam non rebaptizati; sed per impositionem manuum propriè dictam, & non umbratilem. Vigilius ibi profitetur se prædecessores suos in eâ definitione sequi: quare nihil vult, nisi quod voluere Leo, Innocentius, Siricius... Mitto quòd ille Pseudo-Pontifex erat quando scripsit hanc Epistolam ad Eutherium.

Siricius denique decernit, ut venientes à Novatianis vel Montensibus per manûs impositionem suscipiantur, præter eos quos rebaptizant. Quia scilicet rebaptizatos ab Hæreticis subjicit pœnitentiæ, cæteros sive in hæresi baptizatos, sive lotos in Ecclesia non subjicit pœnitentiæ, vultque tantùm recipi per manûs impositionem reconciliatoriam, hoc est sub imagine pœnitentiæ, & non confirmatoriam, ut contendunt adversarij.

Sic

Sic itaque res tota ſe habuit. Stephanus prohibuit denuo baptizari revertentes ab hæreſi, voluitque ſive deſertores, ſive baptizatos extra Eccleſiam recipi per manûs impoſitionem in pœnitentiam. Siricius decrevit Arrianos cæteroſque Hæreticos eſſe recipiendos per ſolam manuum impoſitionem, Epiſt. I. & IV. non ſic tamen recipiendos qui à Novatianis & Montenſibus denuo loti ſunt, Ep. IV. quia ſcilicet ſubjiciendi erant publicæ atque duriori pœnitentiæ, propter crimen iteratò ſuſcepti Baptiſmatis. Innocentius Ep. II. idem ſanxit quod Siricius de Novatianis & Montenſibus, & clarè de rebaptizatis apud illos in hæc verba pronunciavit : *Hi ſi redire voluerint, ſub longâ pænitentiæ ſatisfactione admittendi ſunt.* Et Epiſt. XVIII. de Arrianis cæteriſque Hæreticis ſtatuit, illos recipi *ſub imagine pænitentiæ* ac ſancti Spiritus ſanctificatione, per manûs impoſitionem, quem Spiritum ſanctum non habent ex ſuo Baptiſmate, & conſequuntur cùm ſub pœnitentiæ imagine recipiuntur : Clericos verò eorum non ſuſcipiendos eſſe cum Sacerdotij aut Miniſterij cujuſpiam dignitate. Et Epiſt. XXII. legem eſſe Eccleſiæ Romanæ, venientibus ab Hæreticis, qui tamen illic baptizati ſunt, per manûs impoſitionem, laïcam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatûs honorem vel exiguum ſubrogare, præter Novatianos de quibus pronunciavit favorabiliter Nicæna Synodus : *Et ſic in Clero maneant.* Sed qui à Catholicâ ad hæreſim tranſierunt, non aliter oportere, niſi per pœnitentiam ſuſcipi. Leo Epiſt. LXXIX. rebaptizatos in hæreſi ad pœnitentiam agendam obſtringit, baptizatos ab Hæreticis ſolâ manûs impoſitione reconciliari decernit. Vigilius denique Epiſt. II. idem quod ſui prædeceſſores ordinat de rebaptizatis in hæreſi. *Quorum*, inquit, *reconciliatio, non per illam impoſitionem manûs, quæ per invocationem ſancti Spiritus fit, operatur : ſed per illam, quâ pænitentiæ fructus acquiritur, ac ſanctæ Communionis reſtitutio perficitur.*

Unde liquet manûs impoſitionem quâ reconciliantur converſi ab hæreſi, non deſertores, non rebaptizati, non eſſe confirmatoriam. I. quia Stephano appellatur manûs impoſitio *in Pœnitentiam.* II. quia dicuntur illi recipi *ſub imagine Pænitentiæ* ab Innoc. I. quam imaginem pœnitentiæ opponit longæ pœnitentiæ ſatisfactioni. III. quia per hanc manûs impoſitionem gratia Spiritus ſancti quam reverſi conſequun-

tur est virtus Baptismi, quam non sunt consecuti quando formam illius susceperunt: sed gratia confirmatoria non est gratia Baptismi.

IV^a propositio. A VI. sæculo, conversi ab hæresi reconciliati sunt in Ecclesia variis modis apud Occidentales; quidam per simplicem manuum impositionem, alii per unctionem simplicem, nonnulli per manûs impositionem & unctionem simul, cæteri denique per fidei professionem. Probatur ex Gregor. Magno lib. IX. Epist. LXI. quæ est ad Quirinum, his verbis. *Studuistis inquirere, Sacerdotes ac plebes quæ Nestorianæ hæreseos errore confusæ sunt, cùm ad matrem electorum omnium Catholicam Ecclesiam revertuntur, utrùm baptizari debeant, an certè solius veræ fidei confessione ejusdem matris Ecclesiæ visceribus adjungi? Et quidem ab antiquâ Patrum institutione didicimus, ut quilibet qui apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cùm ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut* UNCTIONE CHRISMATIS, *aut* IMPOSITIONE MANÛS, *aut* SOLA PROFESSIONE FIDEI *ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arrianos per* IMPOSITIONEM MANUUM *Occidens: per* UNCTIONEM *verò sancti Chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Oriens reformat. Monophysitas verò & alios ex* SOLA VERA CONFESSIONE *recipit: quia sanctum Baptisma quod sunt apud Hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis accipit, cùm vel illi per* IMPOSITIONEM MANÛS *Spiritum sanctum acceperint; vel isti per* PROFESSIONEM VERÆ FIDEI, *sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti.* Probatur quoque ex Alcimo Avito, Epist. XXIV. suprà citato, docente Donatistas esse suscipiendos per *manûs impositionem.* Ac denique ex Gregorio Turon. lib. II. Historiæ Franc. c. XXXI. scribente Lantildem Clodovæi Regis sororem ex hæresi Arrianâ conversam, *Chrismatam* fuisse, idem de Brunichilde & Goswinta sororibus lib. IV. c. XXVII. & XXVIII. Idem de Hermenichildo Rege Gothorum in Hispania, lib. V. c. XXXIX. Et de Charrarico Rege Galliciæ lib. I. de miraculis S. Martini c. XI.

V^a propositio. In Oriente redeuntes ab hæresi reconciliabantur aut per unctionem aut per fidei professionem. Probatur istud ex S. Basilio Epist. ad Amphilochium c. II. ex Concil. Constantinop. I. c. VII. ex Quinisexto c. XCV. & ex Theodoro Studita Epist. ad Naucration filium.

FIRMILIANUS.

Hic Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, qui Synodo Antiochenæ adversùs Novatianum celebratæ interfuit, ut & alteri congregatæ in eâdem urbe contra Paulum Samoſatenum ſub Dionyſio, in Epiſtola illa celebri, quâ Cypriano, cui ſcribebat, adhæret adversus Stephanum Romanum Pontificem, inter Cyprianæas Epiſt. LXXV. loquitur de Confirmatione, quam nomine *manûs impoſitionis* exprimit, tanquam de Sacramento diſtincto à Baptiſmate atque ab ordinatione. *Quandò*, inquit, *omnis poteſtas à gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi &* MANUM IMPONENDI, *& ordinandi poſſident poteſtatem. Hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec* MANUM IMPONERE, *ita nec baptizare &c.* Et paulò pòſt ſignificat ibi ſe loqui de Confirmatione, ſcribendo ſe de ea loqui manûs impoſitione, quam Paulus impoſuit iis quos Joannis baptiſmate tinctos ipſe baptizaverat. *Baptizavit*, inquit, *denuo ſpiritali Baptiſmo, & ſic eis* MANUM IMPOSUIT, *ut acciperent Spiritum ſanctum.*

CONCILIUM ELIBERITANUM.

Ex antiquo iſto Concilio Hiſpaniæ, celebrato circiter annum Chriſti CCCV. vel fortè anteà, proferuntur duo Canones XXXVIII. & LXXVII. Primus ſic habet. *Peregre navigantes, aut ſi Eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem (qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus) baptizare in neceſſitate infirmitatis poſitum Cathecumenum, ita ut, ſi ſupervixerit, ad Epiſcopum eum perducat, ut per* MANÛS IMPOSITIONEM *perfici poſſit.* Alter habet. *Si quis Diaconus regens plebem ſinè Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos per* BENEDICTIONEM *perficere debebit. Quòd ſi antè de ſæculo receſſerit, ſub fide quâ quis crediderit, poterit eſſe juſtus.* Garcias legit: *Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit &c.* Agitur ibi de Confirmatione, quia manûs impoſitio, quæ fit ab Epiſcopo ſuper Neophytum eſt confirmatoria, & id ultrò conceditur ab omnibus: hanc autem eſſe Sacramentum novæ Legis ex eo evincitur, quòd ſignum ſenſibile collativum gratiæ ſanctificantis eſt Sacramentum novæ Legis. At, ex locis iſtis,

Confirmatio est manûs impositio, adeoque signum sensibile, & confert gratiam sanctificantem, quia confert perfectionem.

Ante omnia Dallæus lib. II. c. IX. præmittit, Tertulliani temporibus Episcopum, Presbyterum, Diaconum, imò & laïcum Ministros fuisse unctionis nostræ atque manus impositionis: sed Novatiani Historiam & locum Cypriani ad Jubaïanum innuere, videri aliquid mutatum, datumque ordinis honori, ut id Presbyteris solis liceret, tametsi fas esset laïcis in necessitate positum Baptismo abluere: indeque institutum, quod habet Canon XXXVIII. Eliberitanus, quodque jam Cornelii & Cypriani tempore obtinuisse videtur, ut si quos laïci in hujusmodi rerum articulo baptizassent, eos, si superessent, ad Episcopum perducerent manus impositione perficiendos.

Quæ observatio Dallæi supponit inprimis falsum, videlicet Tertulliano visum fuisse, inesse potestatem laïcis ungendi & manus imponendi, quando in necessitate constitutum aquâ perfundebant. Diximus suprà Tertullianum fuisse locutum de Ministro Baptismi, de Ministro Confirmationis nihil penitus asseruisse: neque verò quod ille dixit de Ministro Baptismi, dictum antè putari potest de Ministro Confirmationis, quin ostensum fuerit Confirmationem pertinere ad Baptismum, tanquam simplicem illius ritum. Supponit II. Dallæi hæc observatio, Novatiani historiam docere consignationem potuisse fieri à Presbyteris: & tamen solius Episcopi mentio fit in ea historia. III. Supponit Cyprianum citatâ Epistolâ sub nomine *Præpositorum* inclusisse *Presbyteros*: quem tamen ostendimus eâ voce comprehendisse solos Episcopos. IV. Quod habet Dallæus inde institutum à Concil. Eliberitano ut baptizati à laïcis in necessitate ducerentur perficiendi ad Episcopum, minimè consequens esse videtur ex suppositis à se: quia si Cornelius & Cyprianus senserunt unctionem & manûs impositionem fieri posse à Presbyteris; cur Eliberitani Patres juberent perduci ad Episcopos qui ita baptizati sunt, & non etiam ad Presbyteros, penès quos supponeretur inesse potestas ungendi atque manûs imponendi? rectè verò consequitur, si Cornelius & Cyprianus docuerint eam potestatem spectare ad solos Episcopos. Quòd si Concilium Eliberitanum celebratum est anterioribus temporibus (quod

non caret probabilitate ;) obſervatio Dallæi concidit ex ſeipsâ.

Dallæus hâc ſuâ præmiſsâ obſervatione reſpondet I. *Confirmationem eſſe ritum ultimum Baptiſmi, quem qui non ſuſceperat, plenè initiatus ac perfectè baptiʒatus non erat, quia deerat ei aliquid eorum quæ ad Baptiſmum ſunt requiſita. Perficere enim eſt ultimam manum ac veluti culmen & faſtigium alicui rei addere.*

Contrà I. Si Canone XXXVIII. decerneretur de ſimplici quodam ritu atque cæremoniâ Baptiſmi, Patres æque decreviſſent alias ejuſdem Sacramenti cæremonias adhiberi, exorciſmos videlicet, exſufflationes, tactum aurium & narium, unctionem olei, abrenunciationem ſatanæ, operibus & pompis ejus, redditionem ſymboli & orationis Dominicæ, lactis & mellis prægustationem, & his ſimilia, quæ religioſè tunc temporis obſervabantur. Cur enim ultimam, ſpretis aliis non minus antiquis, non minùs ſanctis, non minùs ſignificantibus adhiberi præcepiſſent ? Aut omnes certè, aut nullam, neque unicam duntaxat, eamque poſtremam, æquum eſt, quem laïcus in neceſſitate baptizaverit, ab eo cujus intereſt recipere. II. Illud nequit annumerari inter Baptiſmi ritus, quod non recipitur niſi poſt ſolemnem Baptiſmum ſuſceptum à legitimo & Eccleſiaſtico Miniſtro : quia Baptiſmus ſolemnis ille dicitur, qui cum omnibus ritibus & cæremoniis Eccleſiaſticis confertur à Miniſtro qui baptizandi jus habet. Atqui impoſitio illa manûs, de quâ Canon LXXVII. pronunciat, decernitur adhibenda poſt Baptiſmum ſolemnem à Diacono regente plebem, adeoque legitimo & Eccleſiaſtico Miniſtro celebratum : quòd enim Diaconi ſunt Miniſtri Baptiſmi ſolemnis docent Tertullianus lib. de Baptiſmo & Hieronymus Dialogo adversùs Luciferianos. III. Quod poſtulat Miniſtrum alium ab eo qui etiam ſolemniter baptizandi jus habet, non poteſt cenſeri ritus illius Sacramenti quod ſolemniter confertur à tali Miniſtro ; & ad ſupplendas cæremonias alicujus Sacramenti idoneus eſt quilibet cui ſolemnis illius adminiſtratio incumbit ex officio. Sed, ex Canonibus iſtis, ejuſmodi manûs impoſitio poſtulat alium à Diacono & Preſbytero, qui ſunt ordinarii Miniſtri Baptiſmi ſolemnis, Epiſcopum videlicet, tanquam ſui Miniſtrum. IV. Ritus atque cæremoniæ Eccleſiaſticæ Sacramentorum non producunt, ſed ſignifi-

cant duntaxat effectum ejus Sacramenti cujus sunt ritus. Atqui Confirmatio non significat duntaxat effectum Baptismi, qui est infantia Christiana, sed significat plenitudinem ætatis, robur atque vigorem Christianum, quod significando producit, & non est effectus Baptismi.

Respondet II. *Neophytum perfici per Confirmationem, quæ perfectio tota* AD ECCLESIÆ ORDINEM ATQUE DISCIPLINAM ET JUDICIUM SPECTABAT, NON AD INTERIOREM ANIMI STATUM: *ante hujus siquidem Confirmationis susceptionem, baptizati simpliciter quidem &* APUD DEUM *perfecti reputabantur, sed* NON APUD ECCLESIAM, *quæ non nisi post ejusmodi manûs impositionem admittebat eos ad participationem Eucharistiæ, omnium mysteriorum summæ atque divinissimæ.*

Contrà I. Etiamsi regulariter & ordinariè loquendo, suppetente copiâ Episcopi, nemo ad participationem Eucharistiæ admitteretur absque prævia manûs impositione confirmatoria, tamen quia usus obtinuerat ut Baptismus solemnis à Presbytero vel à Diacono conferretur, rarissimè copiâ Episcopi suppetente; hinc invaluerat ut Eucharistia traderetur recèns baptizato ante manûs impositionem confirmatoriam. Illi tamen non erant perfecti. Ergo perfectio confirmatoria tota non spectat ad ordinem Ecclesiæ, sed pertinet ad interiorem animi statum. II. Perfectio hæc pertinet ad interiorem animi statum, si eadem sit de qua Tertull. lib. de Baptismo: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum.* Et lib. de Resurr. carnis. *Caro manûs impositione adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.* De quâ Cornelius Rom. *Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* De quâ Cyprianus ad Jubaïanum: *Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem ac manuum impositionem Spiritum sanctum consequantur, & sigillo Dominico consummentur.* Nam descensus Spiritus sancti in animam quam inhabitat, illuminat atque consummat, spectat ad interiorem animæ statum. Sed idem significatur à Concilio Eliberit. per hanc vocem (perfici) quod significatur à Tertulliano per istas: *Advocans & invitans Spiritum sanctum*: & ; *Ut anima Spiritu illuminetur*: quod à Cornelio per istas; *Spiritum sanctum accipere*: quod à Cypriano; *Spiritum sanctum consequi & consummari.* III. Indignum est judicio Ecclesiæ reputari perfectum fidelem er-

ga quem nudam illa adhibuerit à ſe inſtitutam cæremoniam; & reputari imperfectum, qui Sacramentum Baptiſmi receperit, in quo tamen tota, ex hypotheſi perfectio Chriſtiani viri contineretur.

Objicit I. Dallæus: *Vana eſſe atque inutilia quæ ex Concilio Eliberitano afferuntur: quia non meminit* UNCTIONIS, *ſoliuſque* MANUS IMPOSITIONIS *mentionem fecit.*

Reſpondeo, ſaltem in ſententiâ quæ vult impoſitionem manûs eſſe totam eſſentialem materiam Confirmationis, argumentum eſſe validiſſimum. In aliâ opinione reſpondent, manûs impoſitionem adjunctam ſemper fuiſſe unctioni: unde Tertullianus & Cyprianus æquè meminerunt *unctionis* & *manûs impoſitionis*; & ſubintelligi *unctionem*, quando *manûs impoſitio* commemoratur: quemadmodum Cornelius Rom. ſubintellexit *manûs impoſitionem*, quando ſolam explicitè commemoravit *conſignationem*. Deinde uſu receptum eſt, ut Sacramenta aliquando à materia vel à forma, aliquando à ritu quodam & cæremonia cognominentur: quare qui unius ritûs nomen uſurpat ad ſignificandum Sacramentum, non excludit cæteros ritus atque cæremonias: ſicuti non excludit formam qui utitur voce ſignificante materiam. Sic non excluditur iis Canonibus forma confirmatoria, etiamſi ſola manûs impoſitio commemoraretur. Sic animus non fuit Cornelio Rom. excludere *manûs impoſitionem*, quando cognominavit Confirmationem nomine *ſignaculi Dominici*.

Objicit II. *Qui baptizatus à Diacono migrat ex hac vita antequam ſibi manus imponatur ab Epiſcopo, ille in juſtorum numero atque ordine cenſetur, & nomen ejus commemoratur in altari; hoc enim volunt iſtæ voces Can.* LXXVII. SUB FIDE QUA QUIS CREDIDERIT, POTERIT ESSE JUSTUS. *Eum verò nunquam talem cenſendum fuiſſe decreviſſent Patres Eliberitani, ſi interiori fidei ac pietatis perfectione carere putaſſent. Ergo perfectio confirmatoria non pertinet ad interiorem animæ ſtatum.*

Reſpondeo, Canonem Eliberitanum non ſupponere morientes poſt Baptiſmum, & ante Confirmationis ſuſceptionem, habere interiorem perfectionem fidei & pietatis. Supponit duntaxat quòd deceſſerunt in gratiâ, & filii Dei atque Eccleſiæ; his quippe licèt conſtitutis in infantia Chriſtiana, nedumque viris perfectis debetur ſalus æterna, debentur Eccleſiæ ſuffragia. Obſerva ſermonem hìc eſſe de per-

fectione *augmenti*, non de perfectione *essentiali*, quam ultrò fateor inesse singulis vi sui Baptismi.

Objicit III. *De eâ manûs impositione Can.* LXXVII. *agitur, quæ cùm à Diacono fieri non posset, à Presbytero tamen atque ab Episcopo fieri poterat. Sed Confirmationis Minister non est nisi Episcopus.*

Respondeo (præmisso quòd argumentum istud respiciat Ministrum Confirmationis) negando majorem. Jubetur baptizatus à Diacono *perfici*, id est, confirmari per Episcopum. Sic enim habet editio Garsiæ; *Episcopus eos per benedictionem perficere debebit*: & quamvis altera editio non exprimat Ministrum, tamen quòd non alius ille sit ab Episcopo colligitur ex XXXVIII. Canone, in quo baptizatus per laïcum in necessitate, jubetur adduci *ad Episcopum* manûs impositione perficiendus. Et favet adhuc ratio: quia subintelligi necesse est Ministrum quem penès erat manuum impositio temporibus istis: hunc autem fuisse solum Episcopum docemur ex Cornelio suprà, ubi de Novatiano; ex Cypriano, Epist. ad Jubaïanum; & secutis temporibus ex Hieron. Dial. adversus Luciferianos: quibus nihil contrarium Tertullianus lib. *de Baptismo* scripsit: ibi quippe de solo Ministro Baptismi loquitur.

Instabit *Clarum esse ex Canonibus istis jus tùm fuisse Presbyteris, imò & Diaconis, ut quos tingerent, iis manus imponerent. Nam si aliter fuit, cur in priori Canone non alium quàm à laïcis collatum Baptismum ab Episcopo perficiendum decernunt Patres? Cur non & à Presbyteris vel certè à Diaconis ministratum eadem manûs impositione perfici ab Episcopo jubent? Sed alter Canon multò etiam est in eam rem clarior Presbyteros manum tinctis imposuisse ex eo manifestum est:* SI QUIS DIACONUS REGENS PLEBEM SINE EPISCOPO VEL PRESBYTERO ALIQUOS BAPTIZAVERIT, II PER BENEDICTIONEM PERFICIANTUR. *Ergo ubi vel Episcopus, vel Presbyter erat, nulla ibi fuit hujusmodi necessitas: quia scilicet qui vel ab Episcopo vel à Presbytero baptizabantur, iisdem manus imponebatur: non fuisset autem imposita, si Presbyter imponendæ jus nullum habuit.*

Respondeo nihil decerni Can. XXXVIII. de manûs impositione facienda super baptizatos à Presbyteris vel à Diaconis, quia de Baptismo tantummodo agebatur, quem laïcus

in

in necessitate contulerat; de cujus validitate Patres ibi pronunciant; statuendo ut ille ab Episcopo confirmetur, qui per laïcum tinctus in necessitate fuerit. Neque verò difficile est retorquere argumentum in adversarios, & contendere jus tùm Diaconis & Presbyteris minimè fuisse manuum imponendarum iis quos aquis Baptismalibus emundassent. Nam dico: Si aliter fuit; cur à laïco baptizatum Canon remittit ad Episcopum, & non remittit æque ad Presbyteros ac Diaconos, quibus Dallæus supponit jus tum fuisse manus imponendi super baptizatos? Dico amplius: Si quia Canon XXXVIII. loquitur solummodo de Baptismo collato per laïcum homini in necessitate constituto, sequitur penès Presbyterum quoque esse ungere & manus imponere; ob eandem rationem concludendum erit hanc potestatem pertinere ad Diaconos, quia scilicet non agitur eo Canone de Baptismo collato per Diaconos: quòd si ita est, Canon ille pugnabit cum Canone LXXVII. quo expressè statuitur baptizatum à Diacono non perfici à Diacono, sed ab alio, hoc est ab Episcopo. Ergo non sequitur jus tùm fuisse Presbyteris, ut quos intingerent iis manus imponerent, ex eo quòd Canon XXXVIII. non alterius quàm collati Baptismatis per laïcum mentionem facere conspicitur. Canon LXXVII. legitur duobus modis. I. sic: *Si quis Diaconus regens plebem sinè Episcopo vel Presbytero, aliquos baptizaverit, eos per benedictionem perficere debebit.* Ita 1ª editio. II. sic cum Garsia: *Si quis Diaconus regens plebem, sinè Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, Episcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Juxta primam editionem, in qua virgula ponitur solummodo post vocem, *Presbytero*, sensus est iste: si quis Diaconus cui regendi plebem, in locis in quibus non resìdet Episcopus vel Presbyter, munus committitur, aliquos baptizaverit, ratum & licitum sit Baptisma quod administraverit, & ab eo baptizatus confirmetur per manûs impositionem Episcopalem, utpote baptizatus Baptismo solemni per Ministrum legitimum. Quod quid juvet ad astruendum Presbyterum ungere atque manus imponere posse, fateor me non satìs intelligere. Juxta alteram editionem in qua conspicitur virgula post vocem, *plebem*, & non post vocem, *Presbytero*, sensus est iste: si quis Diaconus regens plebem aliquos baptizaverit, non petitâ veniâ ab Episcopo, neque à Presbytero; Baptismus quem ita

contulerit non ideo reputetur illicitus. Ita voces istæ (*sinè Episcopo vel Presbytero*) significant idem ac (*sinè jussione Episcopi vel Presbyteri:*) conformiter ad doctrinam Tertulliani lib. de Baptismo; *Dandi Baptismi jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen sinè Episcopi authoritate, propter Ecclesiæ honorem*: & Hieronymi Dialogo adversùs Lucifer. *Inde venit, ut sinè Episcopi jussione neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant Baptismi.* Jubet Episcopus immediatè Presbytero, & per Presbyterum Diacono secundùm ordinem Hierarchiæ, ita ut nihil liceat Diaconis, nisi ab eis honore prius exhibito Presbyteris. Unde Canon XVIII. Arelat. I. *De Diaconibus urbicis, ut non aliquid per se præsumant, sed honor Presbyteris reservetur.* Seu, ut legit Sirmondus. *De Diaconibus urbicis, ut non sibi tantùm præsumant, sed honorem Presbyteris reservent, ut sinè conscientia ipsorum nihil tale faciant.* Juxta priorem interpretationem, declaratur eo Canone, Diaconis regentibus plebem, in locis in quibus illi sine Presbytero & Episcopo commorantur, potestas inesse conferendi Baptismi solemnis, neque tamen declarantur immunes à petenda venia. Juxta posteriorem interpretationem, declaratur inesse Diaconis regentibus plebem eadem facultas, etiam non petitâ veniâ ab Episcopo vel à Presbytero. Sed neque hæc interpretatio magis juvat ad astruendum prædictam potestatem esse quoque penès Presbyteros: quia quòd Diaconi regentes plebem conferre valeant Baptisma solemne, hoc per accidens omnino se habet ad Ministerium unctionis & manûs impositionis.

Spalatensis lib. V. c. V. num. XVI. aliam prorsus viam init ad conficiendum ex Can. XXXVIII. Concilii Eliberitani Confirmationem esse Baptismi partem. Vim facit in verbis istis (*Qui lavacrum integrum habet.*) At, inquit, quomodo potest esse lavacrum non integrum? Ubi videlicet quis baptizatus est, sed Episcopalem manûs impositionem confirmatoriam non habuit. Ad integritatem ergo Baptismi additur cæremonia Confirmationis, quæ perficit Baptismum, ut est in eodem Canone. Si perficit Baptismum, integrum profectò facit lavacrum. Illa ergo est pars Sacramenti, & non Sacramentum seorsum.

Inanitatem observationis istius Dallæus dubio procul animadvertit: quippe qui probè norat, edoctus ab Illustrissimo

Albaſpinæo, eâ loquendi ratione ſignificari hominem, qui nondum pœnitentiam exoleverit; eaque de causâ, quia nemo qui pœnitentiam egiſſet ad Sacerdotium magìs eligi poterat quàm bigamus: quas duas conditiones, ſcilicet ut neque pœnitens neque bigamus fuerit, Canon ille poſtulat in laïco qui baptizat, quia baptizando implet Sacerdotii partes. Poteſt & dici Canon explicandus de Clinicis, qui ubi convaluerint non ſuſcepere Baptiſmi cæremonias: vel, ſi lubet exponere de Confirmatione, dicendum Baptiſmum ſinè illa eo ſenſu cenſeri non eſſe integrum, quia gratia Sacramenti Confirmationis eſt perfectio & complementum gratiæ Baptiſmalis; & non quia Confirmatio eſt nuda ſimplexque Baptiſmi cæremonia. Ex his patet quid ſit reſpondendum alteri, quæ eſt ejuſdem generis, Spalatenſis obſervationi circa Can. LXXVII.

CONCILIUM ARELATENSE PRIMUM.

Celebratum eſt anno Chriſti CCCXIV. Canone VIII. ita ſtatuitur. *De Afris* (ſic lege, non, *de Arrianis*, qui nondum eo anno exorti fuerant) *quòd propriâ lege ſuâ utuntur, placuit, ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum ſymbolum. Et ſi perviderint eum in Patre & Filio & Spiritu ſancto eſſe baptizatum*, MANUS EI TANTÙM IMPONATUR, UT ACCIPIAT SPIRITUM SANCTUM. *Quòd ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.*

Contendunt nonnulli Catholicorum, manûs impoſitionem iſtam in Spiritum ſanctum eſſe confirmatoriam. Ex qua eorum ſententia Dallæus lib. II. c. X. conſequens eſſe ſcribit Confirmationem non eſſe Sacramentum, *Quia*, inquit, *ſi Sacramentum eſt, imprimit characterem & non iteratur.* Sed manûs impoſitio quâ recipiuntur converſi ab hæreſi, iteratur, ut pote ejuſdem ſpeciei cum Confirmatione, & jam confirmatis adhibetur, cùm Hæreticorum plurimi ritum Confirmationis uſurparent, ut de ipſis Marcionitis teſtis eſt Tertullianus lib. I. contra Marcionem, & de pleriſque aliis. Citat verò authorem reſponſionum ad Orthodoxos apud Juſtinum, Conc. Laodic. Can. VII. Baſilium ad Amphiloch. c. I. & XLVII. Conſtantinop. I. c. VII. Siricium Epiſt. I. ad Himmerium Tarrac. c. I. Auguſt. lib. V. de Baptiſ. c.

XXIII. Conc. I. Arauſ. c. I. Arelat. II. Can. XVII. Gennadium Maſſil. de dogmat. Eccl. cap. LII. Conc. Epaon. c. XVI. Gregor. Magnum lib. IX. Epiſt. LXI. Iſidor. Hiſpal. lib. I. de Officiis c. XXIV. Walafridum Strabonem, de rebus Eccleſiaſticis c. XXVI.

Ex dictis, ubi de Cypriano, manûs impoſitio quâ recipiebantur olim converſi ab hæreſi, eſt manûs impoſitio *in pœnitentiam*, & non confirmatoria: quare neque Theologis iſtis aſſentior probantibus Confirmationem eſſe Sacramentum ex eo Canone Concilii I. Arelatenſis, neque ſubſcribo Dallæo volenti eam eſſe ejuſdem rationis atque ſpeciei cum ipſa Confirmatione Neophytorum.

CONCILIUM LAODICENUM.

Laodicææ in Phrygia celebrata Synodus circa annum CCCLXIII, producitur ad probandam Confirmationem eſſe Sacramentum novæ Legis. Hujus duo ſunt Canones VII. & XLVIII. Prior extra propoſitum, quia eſt de reconciliatione converſorum ex Novatianis & Teſſeradecatidis facienda per ſacri Chriſmatis unctionem. Poſterior eſt præſentis inſtituti, ſub his terminis conceptus, juxta editionem Dionyſii exigui. *Quòd oportet eos qui illuminantur, poſt Baptiſmum inungi ſuper cœleſti Chriſmate & eſſe regni Chriſti participes.* Quem Canonem quia nemo inficiatur conditum fuiſſe adversùs Novatianos, qui frequentes erant in regionibus iſtis; & negabant Chriſmationem confirmatoriam, conſequens eſt eam ſtabiliri quam ibi negabant. Sed ambigitur an illa ſtabiliatur ibi tanquam Sacramentum collativum gratiæ ſanctificantis? Negant Spalatenſis, Dallæus, cæterique Novatores.

Probatur à nobis affirmans I. quia unctio confirmatoria appellatur *cœleſtis*: quam vocem Zonaras ad hunc Canonem ſic interpretatus eſt. *Cœleſte Chriſma appellavit, quippe quod & ſacris precationibus, & ſancti Spiritus invocatione ſanctificatum ſit, & qui eo inunguntur ſanctos ac regni cum Chriſto participes, niſi ad ejus regni poſſeſſionem noſtris ipſi ſceleribus aditum præcluſimus, efficiat.* Balſamon ibi idem penitùs habet. II. quia tribuitur unctioni confirmatoriæ reddere atque efficere participes regni cœleſtis: quorum poſtremorum verborum ſenſus duplex eſſe poteſt, ſcilicet vel iſte; Unctionis cœleſtis

quâ baptizati unguntur, est nos reddere participes justitiæ, quæ regnum Christi est, juxta illud Apostoli Rom. XIV. *Non est enim regnum Dei esca & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto*; vel iste: Oportet eos qui baptizantur, post Baptismum inungi Chrismate cœlesti, & Eucharistiæ quæ regnum Christi est participes fieri: sic enim aliquando nuncupatur apud Patres, propter Christum qui in ea continetur, qui quidem Christus est regnum & panis simul in hoc sæculo, quemadmodum erit suo modo panis & regnum in futuro. Juxta illud sancti Paulini Epist. IX. *Si igitur* (Christus) *in hoc domus & mens nostra fundetur, & digna tanto fundamento superædificetur operatio, erit nobis in aditum civitatis suæ porta ipse qui reget nos in sæcula, & in loco pascuæ collocabit nos, quos jam per aquam refectionis sibi genuit, & nutrit epulis salutaribus in eam mensam quam præparavit nobis adversùs eos qui tribulant nos. de qua dicit: Beatus qui manducabit panem in regno Dei: quia Christus idem & regnum & panis est quo nos saginamur.* Nam si verba hæc (*regni cœlestis*) exponantur juxta priorem sensum de justitia Christiana, Confirmatio est Sacramentum novæ Legis cùm sit collativa justitiæ & sanctitatis, & non est purus putusque ritus Baptismi solemnis. Si verò verba hæc reducantur ad sensum posteriorem, ità ut *regnum cœleste* significet ibi Eucharistiam; quia Confirmatio hîc media inter duo Sacramenta propriè dicta collocatur, Baptismum videlicet atque Eucharistiam; quid causæ sit cur à numero Sacramentorum amoveatur, in quorum ordine collocatur, quæ cœlestis quoque titulo gaudet, planè non video.

Quod enim Dallæus subjicit Chrisma *cœleste* vocari, quia ad rem cœlestem & divinam adhibetur, quæ res divina suscipitur per Sacramentum Baptismi & non per unctionem, utpote nudè significativam & non practicam; refellitur authoritate Balsamonis & Zonaræ, docentium ibi unctionem confirmatoriam esse practicam & non purè speculativam.

Opponit Dallæus lib. II. c. XII. *Ex eo quod Canon habet,* QUI ILLUMINANTUR *non,* QUI ILLUMINATI SUNT; *doceri unctionem pertinere ad Baptismum tanquam ejus ritum atque cæremoniam.*

Respondeo id eo Canone minimè doceri. Non habet ille simpliciter: *Oportet eos qui illuminantur* ungi; sed habet: *Opor-*

tet eos qui illuminantur, post Baptismum ungi. Quo significatur Confirmationem non pertinere ad Baptismum tanquam ejus ritum, cùm sit quid Baptismo posterius. Quanquam si non haberetur hæc vox (*post Baptismum*) non esset inde consequens Confirmationem pertinere ad Baptismum, sicut non sequeretur Eucharistiam esse Baptismi ritum ex hac loquendi ratione: *Oportet eos qui illuminantur Eucharistiâ communicare:* quod etiam Canon ille voluit, si nomine regni cœlestis ibi Eucharistia intelligitur. Præsens tempus (*qui illuminantur*) usurpari dici potest, quia Baptismus & Confirmatio & Eucharistia continenter administrabantur.

At, inquit Dallæus, *nomen* BAPTISMI *usurpatur ibi pro* SOLA MERSIONE *& non pro* INTEGRA ABLUTIONE *constante ex omnibus suis ritibus & solemnibus cæremoniis; alioqui Patres non dixissent:* QUI INITIANTUR; *sed:* QUI INITIATI SUNT.

Respondeo non sumi pro sola mersione. Sumitur pro integro Baptismo. Ita enim Zonaras & Balsamon sumi docent, quorum posterioris ea loquendi ratio est observanda. *Rectè Baptismi tempore*, inquit, *ii qui illuminantur Chrismate inunguntur.* Eâ siquidem constat Confirmationem non alia ratione pertinere ibi censeri ad Baptismum, quàm quia eodem quo Baptismus tempore celebratur.

OPTATUS MILEVITANUS.

Hic Milevitanam Ecclesiam in Africâ rexit, teste Hieron. de Script. Eccl. & *scripsit sub Valentiniano & Valentino Principibus* (hoc est circa annum CCCLXX.) *adversùs Donatianæ partis calumniam libros* VI. *in quibus asserit crimen Donatianorum in nos falsò retorqueri.* Nunc habemus VII. Et quidem de VI. primis conveniunt omnes. Difficultas est de VII. his maxime de causis. I. quia Optatus ipse initio primi libri proponit se scripturum tantùm VI. libros. II. quia Hieronymus modò citatus testatur Optatum VI. libros edidisse. III. quia author hujus, qui dicitur VII^us^ scribit se in libro IV. manifestè explicuisse verba hæc I^æ^ Joannis. *Si dixerimus quia peccatum non habemus &c.* quæ Optatus in IV. libro non explicuit, imò nec meminit. Alii tamen asserunt VII^um^ quoque esse Optati. Ita Balduinus in hanc sententiam adductus pro-

pter fidem MSS. exemplarium, maximéque ſtyli & rei convenientiam. Subjungit tamen ſcriptum illum eſſe ſeparatim ab aliis, quâ in re differt à Bellarmino conjiciente Hieronymum corrigendum eſſe, ut pro VI. legatur VII. Quod etſi fortè dici poſſet, ſi de unico Hieronymi contextu ageretur, certè dici non poteſt: quia agitur etiam de partitione facta ab authore initio ipſo operis. Si vera ſit Balduini ſententia, non habemus librum IV. integrum: quia in eo qui extat præ manibus, deſideratur expoſitio verborum illorum S. Joannis, quæ dicuntur VII. expoſita fuiſſe in IV. His prænotatis,

Optatus meminit Confirmationis duobus locis. Lib. IV. ubi de Baptiſmo Chriſti, quem proponit tanquam exemplar noſtri Baptiſmi. *Deſcendit*, inquit, *in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, ſed* VENTURUM OLEUM AQUA DEBET ANTECEDERE, *ad myſteria initianda & ordinanda & implenda Baptiſmatis. Lotus cùm in Joannis manibus haberetur, ſecutus eſt ordo myſterii, & complevit Pater quod rogaverat Filius, & quod nunciaverat Spiritus ſanctus. Apertum eſt cælum Deo Patre ungente. Spiritale oleum ſtatim in imagine columbæ deſcendit & inſedit capiti ejus, & perfudit eum, unde cœpit dici Chriſtus, quando unctus eſt à Deo Patre. Cui ne* MANÛS IMPOSITIO *defuiſſe videretur, vox audita eſt Dei de nube dicentis:* HIC EST FILIUS MEUS *&c.*

Et lib. VII. OLEUM *nominant, illum ſcilicet liquorem qui ex nomine Chriſti conditur, quod* CHRISMA, *poſtquam conditum eſt, nominatur. Antequam fiat, adhuc oleum eſt: naturâ ſimplex ſit & ſuave, dum de nomine Chriſti conditur.* Et poſtea. OLEUM *antequam à nobis conficiatur, tale eſt quale natum eſt: confectum, ſuavitatem ex nomine Chriſti accipere poteſt.* Et iterum. OLEUM *enim ſimplex eſt, & nomen ſuum unum & proprium habet: confectum jam* CHRISMA *vocatur, in quo eſt ſuavitas quæ cutem conſcientiæ mollit excluſâ duritiæ peccatorum: quæ animum innovat lenem: quæ ſedem Spiritui ſancto parat, ut invitatus illic aſperitate fugatâ libenter inhabitare dignetur.* Et poſtea. *Quod à vobis* UNCTUM EST, *tale ſervamus.* Et iterum. *Seduxiſtis homines, rebaptizaſtis, iterum* UNXISTIS.

Ex locis iſtis non tantùm perſpicuè infertur & antiquitas Confirmationis, & conſecratio olei, & quòd Confirmatio non magis quàm Baptiſmus iteratur: ſed infertur etiam ma-

ximè eam esse collativam gratiæ sanctificantis, in quantum dicitur *cutem conscientiæ mollire, animam innovare, & efficere ut in ea Spiritus sanctus inhabitare dignetur:* unde sequitur quòd sit Sacramentum novæ Legis à Baptismo distinctum.

Dallæus lib. II. c. XXI. concedit antiquitatem Confirmationis inferri ex hoc primo loco: sed contendit tum Chrismationem, tum etiam manûs impositionem Optato Baptismi partes atque ritus esse. Quia *utramque*, inquit, *censet* (author) *inter ea quæ à Domino in Baptismo suo initiata, ordinata & impleta sunt. Initiata autem, ordinata & impleta & tunt à Domino fuisse Optatus dicit mysteria Baptismatis.*

Contrà. Quando Optatus refert unctionem & manûs impositionem confirmatoriam ad mysteria Baptismatis, per has voces (*mysteria Baptismatis*) non significat unctionem & manûs impositionem ad Baptismum pertinere tanquam partes & ritus illius; sed vel considerat Baptismum non præcisè secundùm se, sed secundùm quod tunc temporis administrari solebat, videlicet conjunctim cum Confirmatione, tanquam altero Sacramento, ita ut Baptismatis mysteria censeantur non solùm ea quæ sunt de ratione intrinseca Baptismi, sed etiam illa quæ unà cum Baptismo solebant administrari: vel sub eo nomine Confirmationem involvit; quia Confirmatio est complementum & perfectio Sacramenti Baptismatis hoc sensu, quòd effectus Baptismi perficitur per Confirmationem, quod significare Optatus voluit utendo vocibus istis: *Impleta sunt*, &: *Complevit Pater quod rogaverat.* Atque id ostendo: tum quia, quod attribuit unctioni lib. VII. videlicet esse collativam gratiæ sanctificantis, non convenit puro putoque ritui ac cæremoniæ ab hominibus excogitatæ, propriùmque est Sacramenti: tum etiam quia Optatus ibi loquitur de unctione tanquam de aliquo condistincto à Baptismate: *Rebaptizastis, iterum unxistis.* Quod apertius adhuc evadet, si verba hæc comparentur cum aliis libri IV. ubi de Exorcismo, qui Baptismi ritus est agitur. *Vos*, inquit, *rebaptizando exorcizatis hominem fidelem*: quibus certè significatur Exorcismum pertinere ad Baptisma, cùm ex præcedentibus è contrà constet unctionem non pertinere ad Baptismum.

Opponit Dallæus I. *Optatum more Patrum solemni id signis tribuere, quod illa non quidem operantur, sed tamen significant, dum ait:* CHRISMA ANIMUM INNOVARE LENEM; ET

ASPE-

ASPERITATEM FUGARE. *Hoc enim ipsius Baptismi verè effectum est. Sed quæ Baptismus efficit simul ac semel, eorum ordinem ac dispositionem rituum, quibus illa effecta adumbrantur & significantur, ordo ostendit: nimirum primò peccata dilui, tum hujus gratiæ dono animum lævigari & leniri, denique cælestia Spiritûs Charismata accipi.*

Respondeo, Patres docere signa speculativa significare & non operari, signis verò practicis tribuere quòd significent, & simul operentur. Unctio & manus impositio sunt signa practica Optato: quia loquitur de illis eodem modo quo loquitur de aquâ Baptismali, cui emundationem attribuit delictorum, quam significat & facit. Dallæus subjungit. *Baptismi effectum esse animum innovare lenem & dare charismata cælestia.* Sed probare deberet ita visum fuisse Optato, neque verò existimasse Baptismum remittere peccata, & Confirmationem lævigare animam, eique Charismata tribuere, quod Tertullianus nonnullique alij cum eo voluisse videntur. Dato tamen quòd alia sit mens Optati*, velitque ille conferri gratias & Charismata per lavacrum, dico alias per lavacrum, & alias conferri per Sacramentum Confirmationis. Jam verò quod idem Optatus adstruxit, *animam lævigari & leniri per unctionem & Spiritum sanctum, descendere in animam lenem per manûs impositionem*; juxta sententiam quæ agnoscit solam manuum impositionem tanquam materiam essentialem Confirmationis, dicendum est, unctionem lævigare & lenem reddere animam *dispositivè* & *præparatoriè*: sed juxta aliam opinionem quæ censet materiam essentialem coalescere ex hac utrâque: Respondendum, unctionis effectum esse eundem qui manûs impositionis, ita tamen ut aliquid illius uni attribuatur, & aliquid alteri, per quandam appropriationem, sicuti sancti Patres attribuebant *immersioni* Baptismali, quòd baptizatus peccato moritur, & *emersioni*, quòd in novitatem vitæ exurgit. Chrysost. in caput Joan. III. *In aqua tanquam in sepulchro quopiam, caput immergentibus nobis, vetus homo sepelitur, ac demersus totus inferiùs occultatur. Deinde nobis emergentibus novus inde exurgit.*

Opponit II. *Chrismationem, quam alii Patres vel ad mysticum Sacerdotium regnumque, ut Tertullianus; vel ad eorum quæ in Baptismo pacta sunt confirmationem, ut author Constitutionum Apostolicarum; vel ad sepulturæ Dominicæ recordationem, ut*

author qq. apud Justinum referunt : Optatum eò velle pertinere, ut animum lenem efficiat. Quæ tam multiplex interpretationis varietas clamat non divini, sed humani esse instituti.

Respondeo inprimis, argumentum nullum esse apud eos, quibus sola manùs impositio est essentialis materia Confirmationis. II. Unius ejusdemque rei à Christo institutæ plures posse reddi mysticas rationes, ut patet de calice Eucharistico, de aquâ Baptismali & aliis.

Opponit Spalatensis, num. XVII. Optatus retorquet in Donatistas id quod ipsi Catholicis opponebant, eos esse muscas morituras quæ corrumpunt unguenti suavitatem : & ostendit ipsis Donatistis id convenire, dum ad eos ex Catholicis venientes rebaptizarent, & consequenter denuo ungerent. Si autem unctio hæc distincta esset à Baptismo, sat fuisset Donatistis objicere, eos corrumpere unguentum, quia denuo Chrismate ungerent, quasi fœtidam & corruptam censentes unctionem, quæ apud Catholicos daretur. At verò rebaptizationem sumpsit, quia unctio erat quasi pars Baptismi, & qui Baptismum repetebant, necesse erat, ut etiam unctionem repeterent, utique partem Baptismi.

Respondeo, Optatum ostendere Donatistas corrumpere unguentum quando denuo chrismant ad se venientes ab Ecclesia, meminit verò rebaptizationis : *Vos exterminastis in rebaptizatione suavitatem olei :* quia continenter ungebant quos rebaptizabant, non quia unctio confirmatoria erat pars Baptismi.

CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS.

Theodosio imperante obiit. Catecheses in adolescentiâ sua scripsit, cujus tertia Mystagogica tota est de Confirmatione, quemadmodum duæ antecedentes totæ sunt de Baptismo, & aliæ duæ sequentes sunt de Eucharistia. Dubitatur, utrùm quæ leguntur in ea tertia Catechesi probent Confirmationem esse nudum Baptismi ritum atque cæremoniam, vel potiùs speciale Sacramentum novæ Legis?

Statuo adversùs Dallæum lib. II. c. XIII. ea docere Confirmationem esse Sacramentum propriè dictum. I. enim Cyrillus ait nos Christos seu unctos fieri, postquam Chrisma quod est imago Spiritus sancti suscepimus. II. quòd quemad-

modum Spiritus sanctus descendit super Christum, postquam baptizatus est in Jordane; ita postquam baptizati sumus, datum est Chrisma, hoc est Spiritus sanctus. III. quòd sicut Christus crucifixus est, sepultus ac resurrexit; ita nos per Baptismum in similitudine quadam crucifixi & sepulti, resurgimus in Chrismate, quod uncti eo unguento sumus participes & consortes Christi. IV. quòd quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem non est panis communis, sed est Corpus Christi; ita & unguentum consecratum efficit præsentiam Divinitatis, quando Corpore inuncto, anima sancto Spiritu sanctificatur. V. quòd quemadmodum Christus post Baptisma susceptum & descensum Spiritus sancti pugnavit cum dæmone quem devicit; ita & nos post Baptisma & Chrismatis unctionem, muniti Spiritu sancto pugnamus viriliter ac superamus. VI. denique, quòd meritò nuncupamur Christiani post unctionem istam, cùm antea, dum sola esset regeneratio, non essemus propriè digni eo nomine.

Quæ quisquis attentè consideraverit, facilè deprehendet Cyrillum agnovisse omnia requisita ad rationem Sacramenti novæ Legis in Confirmatione. Nam signum sensibile quod efficit in nobis Spiritum sanctum, & operatur in anima nostra præsentiam Divinitatis, est Sacramentum propriè dictum. Talis autem est unctio confirmatoria. CHRISTI, inquit, *facti estis posteaquam* SANCTI SPIRITUS IMAGINEM *recepistis.* Et postea. *Ac ille quidem cùm in flumine Jordanis lavisset corpus in quo Divinitas inhabitabat, aquis tradidit, ascenditque ex illis, & Spiritus sanctus substantialiter super eum descendit, requiescens super sui similem. Et vobis postquam similiter ex aquis sacri lavacri ascendistis datum est* CHRISMA, *quod imaginem gerit illius quo unctus est Christus, hoc autem est Spiritus sanctus.* Et postea. *Et sicut Christus verè crucifixus & sepultus est atque resuscitatus; vos verò per Baptismum in similitudine quâdam, una crucifigi, consepeliri, simulque secum voluit resurgere: ita fit & in hoc* CHRISMATE. *Ille spiritali oleo exultationis unctus est, hoc est, Spiritu sancto, qui idcirco oleum exultationis vocatur, quia est author & causa exultationis: vos verò uncti estis* UNGUENTO, *facti participes & consortes Christi.* Et postea. *Quemadmodum panis Eucharistiæ post sancti Spiritus invocationem non ampliùs est panis communis, sed est Corpus Christi; sic & sanctum hoc*

UNGUENTUM *non ampliùs est unguentum nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune, postquam jam consecratum est; sed est* CHRISMA, *quod Christi & Spiritus sancti Divinitatis ejus præsentiam efficit. Quo frons & alii sensus corporis tui symbolicè inunguntur: & corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.* Et postea. *Ut enim Salvator post Baptismum & illum Spiritus sancti adventum, egressus in prælium devicit adversarium: sic & vos post sacrum Baptisma &* CHRISMA MYSTICUM *induti armis Spiritus sancti, adversùs vobis oppositam potestatem consistatis & præliamini dicentes:* OMNIA POSSUM IN EO QUI ME CONFORTAT CHRISTO. Ac denique. *Hujus* CHRISMATIS *dono accepto, meritò appellamini* CHRISTIANI, *veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione. Antè enim quàm hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eò usque progressi estis ut efficeremini Christiani.*

Respondet Dallæus. *Quæcunque dicuntur à Patribus vim habere sanctificandi, ea non esse Sacramenta propriè dicta. Nam & Augustinum lib.* II. *de Pecc. meritis c.* XXVI. *dicere* CATECHUMENOS SECUNDUM QUENDAM MODUM SUUM SANCTIFICARI PER SIGNUM CRUCIS ET ORATIONEM MANÛS IMPOSITIONIS; ATQUE ETIAM PER SAL. *In Ordine quoque Romano* VIM SANCTIFICANDI *tribui* CINERI.

Contrà. Quæ vim habent sanctificandi *simpliciter*, ea sunt Sacramenta propriè dicta; licèt alia sit eorum ratio quæ habent vim sanctificandi *secundùm quid* duntaxat. Sed modus loquendi Cyrilli significat Confirmationem habere vim sanctificandi *simpliciter*. Quæ Augustinus de *consignatione*, *manûs impositione* ac *sale* Catechumenorum, & quæ Ordo Romanus de *cinere* scribunt, ea significant inesse illis vim sanctificandi *secundùm quid* duntaxat. Unde Augustinus utitur vocibus istis: *Secundùm quendam modum suum:* quæ ibi diminuunt loquendo de sale Catechumenorum.

Respondet II. *Cyrillum non dicere animam sanctificari per Chrismatis unctionem, sed dicere tantùm animam Spiritu sancto sanctificari, quod fit in Baptismo: & corpus Chrismate visibili inungi.*

Contrà. Cyrillus ait: *Quòd Christi facti sumus postcaquam Spiritus sancti imaginem recepimus:* quòd *in unctione resurgimus:* quòd *uncti unguento facti sumus participes & consortes*

Christi: quòd *unguentum istud Divinitatis in anima nostra præsentiam efficit*: quòd *post Chrisma & Baptisma induti armis sancti Spiritus præliamur.* Quæ omnia significant gratiam exhiberi per Chrisma, non secus ac gratia exhibetur in Baptismo per aquam.

Respondet III. *Quòd ut Christus Spiritum sanctum, non in novo aliquo Sacramento à Baptismo diverso, sed in ipso Baptismo vix ex Jordane egressus accepit: ita quoque secundùm Cyrillum, Neophytis in ipso Baptismo Spiritum sanctum per Chrisma conferri; adeoque illud esse Baptismi ritum.*

Contrà I. Descensus Spiritus sancti super Christum non erat pars Baptismi Joannis quo Christus baptizatus est, sed consecutus est ad Baptismum tanquam quid ab eo penitus distinctum. II. Cyrillus significat verbis relatis unctionem hanc Chrismatis fieri post Baptismum. *Vobis*, inquit, *postquam similiter ex aquis sacri lavacri ascendistis, datum est Chrisma.* Et infrà. *Ut enim Salvator post Baptismum, & illum Spiritus sancti adventum, egressus in prælium devicit adversarium; sic & vos post sacrum Baptisma & Chrisma mysticum induti armis sancti Spiritus, adversùs vobis oppositam potestatem consistatis.* III. In bono sensu concedi potest quòd Spiritus sanctus conferebatur per Baptismum: quia Confirmatio administrabatur continenter cum Baptismo. Unde ubi authores IX. sæculi scripserunt *de ordine Baptismi*, meminere Confirmationis: sed eodem quoque modo meminere Sacramenti Corporis Christi: quare cùm Eucharistia Sacramentum sit, & non purus putusque Baptismi ritus, quamvis illa cum Baptismo administraretur; non sequitur Confirmationem esse Baptismi cæremoniam, ex eo quòd in ipso Baptismo Neophytis conferri soleret.

Respondet IV. *Inauditum esse, ut qui verè baptizatus est, is propriè Christiani nomine sit indignus: & ipsum Cyrillum id fateri, qui hoc nomen à regeneratione pendere & ei verè respondere hic dicit. Unde conficitur Chrismationem Baptismi ritum esse. Quia non aliter verè dici posset Neophytos hoc accepto Chrismate Christianos tùm demùm vel esse vel appellari, quod scilicet per regenerationis Sacramentum & sunt & appellantur.* Ita quoque Spalat. num. XXIV.

Contrà. Cyrillus utrumque pronunciat, videlicet nos in Baptismo esse Christianos, & tamen hanc nuncupationem

Christiani, quæ à regeneratione est, non propriè dici de nobis nisi post unctionem sacri Chrismatis. Neque in eo major est species contradictionis, quàm cum dicitur, quòd recèns editus in lucem verè homo est, qui tamen non est propriè dignus eo nomine, donec pervenerit ad ætatem perfectam. Neque sequitur hominem habere à Baptismo quòd cognominetur propriè Christianus; sicut non sequitur hominem habere à nativitate quòd propriè cognominetur homo. Paritas utrobique est: quia adipiscimur infantiam Christianam per Baptismum, & assequimur per Confirmationem plenitudinem Christianismi, à qua propriè Christiani denominamur. Deinde ab authoribus IX. sæculi suprà citatis dicuntur Neophyti *effici per Eucharistiæ participationem, membra Christi, vitam habere, Christo indui, habere in se inhabitantem Deum*: quæ omnia in bono sensu conveniunt Baptismo, etiamsi propria sint speciali modo Sacramenti Eucharistiæ. Similiter quæ pertinent ad Baptismum dici possunt de Confirmatione, tanquam de aliquo Sacramento specie distincto ab illo.

Objicit I. Dallæus. *Eadem est ratio unctionis ex oleo quæ adhibetur ante mersionem Baptismalem, & ipsius Chrismationis quæ adhibetur ex aquis sacri lavacri egressis. Ergo Chrismatio hæc est Baptismi ritus sicut unctio.*

Respondeo negando antecedens. Unctio ex oleo est de institutione Ecclesiæ, nec producit gratiam ex opere operato. At verò confirmatoriæ Chrismationi convenit esse ex institutione Christi & conferre gratiam ex opere operato.

Objicit II. *Cyrillus ipse palam testatur quo loco Chrismationem hanc censuerit: sic enim orationem, quam de ea dixit exorditur.* IN CHRISTUM BAPTIZATI ET CHRISTUM INDUTI CONFORMES FACTI ESTIS FILII DEI. DEUS ENIM NOS QUOS PRÆDESTINAVIT IN ADOPTIONEM FILIORUM, CONFORMES FECIT CORPORI GLORIÆ CHRISTI. PARTICIPES ERGO CHRISTI EFFECTI MERITÒ CHRISTI, ID EST, UNCTI VOCAMINI: ET DEUS DIXIT DE VOBIS: NOLITE TANGERE UNCTOS MEOS. CHRISTI VERÒ FACTI ESTIS, CÙM SANCTI SPIRITUS ANTITYPUM, ID EST FIGURAM SUSCEPISTIS. *In his Cyrillus, quicquid isti hactenus susceperant, uno vocabulo initio complectitur, dum eos dicit baptizatos esse. Ergo & Baptismi pars est ea Chrismatio quam acceperant.*

Reſpondeo, Cyrillum non complecti hoc uno vocabulo (*in Chriſtum baptizati*) quicquid Neophyti hactenus ſuſceperant: ſed ea voce ſignificare tantùm, quòd qui baptizati ſunt, poſt Baptiſma ſuſceptum atque perfectum Chriſmantur, à qua Chriſmatione denominantur Chriſti ſeu uncti. Sic potuiſſet ſcribere: *In Chriſtum baptizati & Chriſtum induti, unum Corpus cum eo facti eſtis, cùm Corpori ejus in Euchariſtia communicaſtis.* Neque tamen rectè quis inferret ex his verbis: Ergo & Baptiſmi pars eſt ea Euchariſtia quam acceperunt. Et quod Cyrillus exiſtimaverit Chriſmationem eſſe aliquod Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum, ſequentibus verbis iſtis oſtendit. *Hujus ſancti Chriſmatis dono accepto, meritò appellamini Chriſtiani, veram efficientes appellationem in ipſa regeneratione. Antè enim quàm hæc gratia vobis donata eſſet, non eratis propriè digni eo nomine, ſed pergentes eò uſque progreſſi eſtis, ut efficeremini Chriſtiani.* Cùm etenim dicat ibi Chriſtianos nuncupari in Baptiſmo, & *non eſſe propriè dignos eo nomine* niſi qui Chriſmantur, conſiderat Chriſmationem & Baptiſmum tanquam duo penitus à ſe invicem diſtincta.

Objicit III. *Quicquid eſt, quod per Chriſmationem ſive factum ſive ſignificatum fuerat, illud omne Baptiſmo Cyrillus deputat, dum dicit iſtos, quòd baptizati eſſent & Chriſtum induiſſent, conformes factos fuiſſe Filio Dei, ejuſque participes & Chriſtos denique. Ut ergo Baptiſmi eſt, non aliûs ſeorſum Sacramenti, quòd Chriſtum induimus, quòd ei conformes ejuſque participes ſimus; ita & Baptiſmi eſſe neceſſariò ex Cyrillo fatendum eſt, quòd Chriſti, id eſt uncti ſumus.*

Reſpondeo. Imò Cyrillum expreſsè habere Neophytos fieri unctos ſeu Chriſtos, cùm Spiritus ſancti figuram, hoc eſt, *manûs impoſitionem* ſeu *unctionem* ſuſcipiunt. Ergo tribuit hunc effectum Chriſmationi: neque verò dicit eam ad Baptiſmum pertinere. Unde *indui Chriſtum, conformes fieri Filio Dei, ejuſdemque participes eſſe* convenit Baptiſmati tanquam cauſæ, & Chriſmati tanquam à Baptiſmo diſtinctæ convenit reddere Neophytos *propriè dignos nomine Chriſti ſeu uncti.*

Opponit IV. *Idem quoque firmat ea comparatio, quam ſtatim inſtituit Cyrillus, noſtri Baptiſmi cum Chriſti Baptiſmo. Ut enim in Chriſtum in Jordane ablutum, & ex eo aſcendentem deſcendit Spiritus ſanctus:* SIC VOBIS, *inquit*, SIMILITER EX SACRIS LAVACRI AQUIS ASCENDENTIBUS DATUM EST

CHRISMA, EJUS QUO CHRISTUS UNCTUS EST *antitypum. Hoc autem* (QUO SCILICET CHRISTUS UNCTUS EST) *Spiritus sanctus est. Ad Christi Baptismum pertinuit Spiritus sancti in eum descensus, & ipsius Christi ex eo unctio. Ergo, si bene instituta est comparatio, ad Neophytorum quoque Baptismum pertinere necesse est eam, quam ex lavacro ascendentes accipiebant Chrismationem. Quod & ipsa Cyrilli verba præ se ferunt. Ait enim datum esse Chrisma* E LAVACRO ASCENDENTIBUS, *vel, ut dixerat Tertullianus,* EGRESSIS. *Nimirùm, ut unum erat mysterium, ita continenter, nullo spatio interposito, totum ministrabatur.*

Respondeo comparationem esse duntaxat in eo, quòd quemadmodum Baptismum quem Christus suscepit, secutus est Spiritus sancti descensus; ita nostrum Baptisma consequitur adventus Spiritus sancti, quando post hunc sequitur manûs impositio seu Chrismatio confirmatoria. Sed & Christus Baptismo Joannis ablutus est, cujus pars non erat Spiritus sancti descensus. Baptismus à Christo susceptus completus erat, quando Spiritus sanctus descendit in ipsum; hoc enim factum est eo *ascendente ex aqua*: sic & nos postquam ascendimus ex aqua, sive, ut loquitur Tertullianus, *egressi ex aquis* Spiritum sanctum suscipimus. Adde quòd, si comparatio valeret in singulis, quemadmodum Spiritus sanctus non descendit super Christum in Baptismate ut eum inhabitaret cùm antè non maneret in eo; ita Spiritus sanctus non cœperit habitare in nobis per Baptismum. Descensus Spiritus sancti non pertinuit ad Baptismum Christi nisi consequenter; sic pertinet consequenter ad nostrum. Descensus Spiritus sancti super Christum ad fluenta Jordanis non fuit adjunctus infusioni novæ gratiæ sanctificantis: nostra verò Confirmatio habet pro effectu gratiam sanctificantem. Denique etiamsi descensus Spiritus sancti in Christum fuerit essentialis Baptismo quo Christus ablutus est, ita ut nova illi supervenerit gratia & comparatio instituta fuerit quoad omnia: rectè adhuc ea stare intelligitur, dicendo quòd comparatio instituitur Baptismatis Christi cum nostro, non seorsim, sed spectato cum altero Sacramento, quod continenter cum eo celebrabatur.

S. PACIANUS BARCINONENSIS.

Qui, referente S. Hieronymo lib. de Script. Eccl. *sub Theodosio Principe ultimâ senectute mortuus est.* Hic Epist. 1. ad Sympro-

Sympronianum Novatianum ſtabilit ineſſe Epiſcopis poteſtatem ligandi & ſolvendi, quia cùm Apoſtolis dictum eſt: *Quæ ligaveritis &c.* Epiſcopis quoque dictum eſt: aliàs ſolis Apoſtolis eſſet facultas baptizandi & confirmandi, cùm illis ſolis imperatum fuerit, ut baptizarent, & Spiritum ſanctum traderent. *Nunquam*, inquit, *Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum eſt. Sed quod per Sacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Nam quid eſt illud quod Apoſtolis dicit:* QUÆ LIGAVERITIS *&c. Cur hoc, ſi ligare hominibus ac ſolvere non licebat? An tantùm hoc ſolis Apoſtolis licet? Ergo & baptizare ſolis licet, & Spiritum ſanctum dare ſolis, & ſolis gentium peccata purgare: quia totum hoc non aliis quàm Apoſtolis imperatum eſt.* Et poſtea. *Si ergo & lavacri & Chriſmatis poteſtas, majorum longè Chariſmatum ad Epiſcopos inde deſcendit, & ligandi quoque jus adfuit atque ſolvendi.*

Et Serm. ad fideles & Catech. de Baptiſmo. *Hæ ſunt*, inquit, *nuptiæ Domini uni carni conjunctæ, ut ſecundùm illud magnum Sacramentum fierent duo in carne una, Chriſtus & Eccleſia. Ex his nuptiis Chriſtiana plebs naſcitur, veniente deſuper Spiritu Domini, noſtrarumque animarum ſubſtantiæ ſuperfuſo & admixto protinus ſemente cœleſti, viſceribus matris inoleſcimus, alvoque ejus effuſi vivificamur in Chriſto..... Sic generat Chriſtus in Eccleſia per ſuos Sacerdotes, ut idem Apoſtolus:* IN CHRISTO AUTEM EGO VOS GENUI. *Atque ita Chriſti ſemen, id eſt, Dei Spiritus, novum hominem, alvo matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus Sacerdotis effundit, fide tamen pronubâ. Neque enim aut inſertus in Eccleſiam videbitur qui non credidit, aut genitus à Chriſto qui Spiritum ipſe non recepit. Credendum eſt igitur poſſe nos naſci. Sic enim ait Philippus:* SI CREDIS, POTES. *Recipiendus eſt Chriſtus ut generet: quia ſic Joannes Apoſtolus dicit;* QUOTQUOT EUM RECEPERUNT, DEDIT EIS POTESTATEM FILIOS DEI FIERI. *Hæc autem compleri aliàs nequeunt, niſi lavacri, & Chriſmatis & Antiſtitis Sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, Chriſmate Spiritus ſanctus ſuperfunditur, utraque verò iſta manu & ore Antiſtitis impetramus: atque ita totus homo renaſcitur & renovatur in Chriſto;* UT SICUT RESURREXIT CHRISTUS A MORTUIS, SIC ET NOS IN NOVITATE VITÆ AMBULEMUS.

Ex priore loco ſic argumentor. Pacianus ibi meminit Bap-

tiſmi, Confirmationis & Pœnitentiæ, concluditque poteſtatem abſolvendi eſſe in Eccleſia, quia Eccleſia habet poteſtatem baptizandi & confirmandi, quam poteſtatem confirmandi penès Epiſcopos eſſe declarat, & pronunciat per eam poteſtatem dari Spiritum ſanctum & majora longè conferri Chariſmata. Sed ſignum ſenſibile collativum Spiritus ſancti ſeu majorum Chariſmatum, quod ab Epiſcopo confertur, eſt Sacramentum novæ Legis. Ergo Paciano Confirmatio referenda eſt in numerum Sacramentorum novæ Legis.

Ex poſteriore loco ſic inſtituo meam probationem. Signum ſenſibile, quo Spiritus ſanctus ſuperfunditur, eſt Sacramentum novæ Legis. Sed ex Paciano, Spiritus ſanctus ſuperfunditur Chriſmate ſeu Confirmatione.

Anteaquam expendam momenta, quibus Dallæus lib. II. c. XXI. fulcitur ut probet Pacianum ſuum eſſe, operæ pretium videtur obſervare, ambigi, nec immeritò, utrùm Pacianus poſt Tertullianum voluerit baptizatos non habere vitam Chriſtianam per lavacrum ſolum, ſed lavacrum continere duntaxat vim purgandi, & Confirmationem conferre Spiritum ſanctum, juxta hæc illius verba: *Lavacro peccata purgantur, Chriſmate ſanctus Spiritus ſuperfunditur:* quæ videtur quoque mens fuiſſe Optati ſuprà, & Iſidori Hiſpal. ſuo loco referendi. Vel potius, utrùm ille voluerit baptizatos quidem per lavacrum habere initium quoddam vitæ Chriſtianæ, in quantùm ſcilicet homo non mundatur à peccatis, niſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis: unde Hieronymus Dial. adverſus Lucifer. c. III. *Quomodo antiquis ſordibus anima purgatur, quæ ſanctum non habet Spiritum? Neque enim aqua lavat animam, ſed priùs ipſa lavatur à Spiritu, ut alios lavare ſpiritualiter poſſit.* Cæterùm eoſdem baptizatos habere à Confirmatione augmentum & perfectionem vitæ Chriſtianæ, juxta alia iſta ejuſdem Paciani verba: *Hæc autem compleri alias nequeunt, niſi lavacri & Chriſmatis & Antiſtitis Sacramento:* quibus nimirùm ſignificari videtur complementum vitæ Chriſtianæ tradi per Confirmationem. Et antè. *Quid eſt gratia? Peccati remiſſio, id eſt, donum.* Ita tamen ut vita animæ tribuatur Confirmationi, ſimili modo quo eadem vita tribuitur Euchariſtiæ à Chriſto Domino & à SS. Patribus ejuſdem Sacramenti effectus proponentibus.

Si Pacianus fuit in priore ſententia, hoc eſt, ſi exiſtima-

vit proprium esse Baptismi mundare & præparare locum Spiritui sancto, sed proprium ejus non esse dare vitam seu Spiritum sanctum; nemo non videt juxta hanc sententiam, Confirmationem non esse nudum & simplicem Baptismi ritum accidentalem, sed hæc duo esse Sacramenta specie distincta.

Quòd si Pacianus posteriorem amplexatus est, sensitque lavacrum habere vim emundando vivificandi inchoatè duntaxat, quæ inchoata vivificatio debeat perfici complerique per Confirmationem; sensit quoque Confirmationem esse Sacramentum à Baptismo distinctum.

Objicit Dallæus suprà. *Pacianus* CHRISMATIONEM *ipse quoque* INTER SOLEMNES BAPTISMI RITUS *manifestè censet.* I. *id ipse Sermonis titulus qui de Baptismo est, clamat. Quorsùm enim hæc, si non pertinent ad Baptismum, in eo tractatu agitat, qui de Baptismo est? Tum ipse author idem in ipso limine præfatur:* APERIRE DESIDERO, *inquit*, QUALITER IN BAPTISMO NASCAMUR, ET QUALITER INNOVEMUR. *At Chrisma inter cætera censet, quibus adhibitis nascimur. Ergo & Chrisma Baptismi est, in quo scilicet, qualiter nascamur, dicturum se profitetur.*

Respondeo, incertum esse, an titulus ille præfixus fuerit Sermoni à Paciano, vel ab amanuensi, aut etiam à Typographo. Pacianus potuit hunc præfigere, quia ibi præcipuè de Baptismo loquebatur, quamvis ipsam quoque commemoraverit incidenter Confirmationem: sicuti Theodulphus Aurelian. Alcuinus & Amalarius sua opuscula inscripserunt, *De Baptismo, De ordine Baptismi, De cæremoniis Baptismi*: in quibus Eucharistiam attigère, simili modo quo Pacianus attingit Confirmationem in illo Sermone. Præfatur author se dicturum, *qualiter in Baptismo nascamur, & qualiter innovemur*: Quid inde? Ergo Chrisma pertinet ad Baptismum, quia Pacianus censet illud inter cætera quibus adhibitis nascimur. Nego consequentiam, si Pacianus in priore sententia fuerit: quia sordes peccati eluuntur per Baptismum, & per Confirmationem datur Spiritus sanctus, quo Deo nascimur. Eandem consequentiam nego, si Pacianus fuerit in posteriore sententia: quia, juxta hanc opinionem, non censet Chrismationem inter ea quibus adhibitis nascimur, quod est effectus proprius Baptismi; sed commemorat illam transeunter duntaxat, ubi dicit ex professo *de Baptismate.* Sic Theodulphus Aurel. in ipso limine opusculi sui, *De ordine Baptismi*

præfatur: *Præcepisti mihi, imò per te charitas præcepit, ut quibusdam quæstionibus* DE ORDINE BAPTISMI *à Domino Glorioso Imperatore Carolo tibi transmißis breviter & citò responderem.* Et in fine operis. *Ecce, Vir venerabilis, quod prudenter jussisti, humiliter implevi.* Qui tamen capite XVIII. quæsivit, *Cur infans Corpore & Sanguine Dominico confirmetur*: postquam quæsivit, *Cur ab Episcopo confirmatus, per manûs impositionem accipiat septiformis gratiæ Spiritum?* Aut certè utraque ritus Baptismi habeatur, si quid valet objectio Dallæi, aut si haberi non potest utraque pura putaque Baptismi cæremonia, necesse est objectionem Dallæi non valere. Sic Alcuinus Epist. ad Odovinum, quæ est, *de ordine Baptismi*, præfatur in hæc verba: *Ad cognoscendum rationabilem* SACRI BAPTISMATIS ORDINEM, *de ministeriis totius officii tibi breviter scribere volui*: Epistolam suam absolvit in hunc modum: *Sic Corpore & Sanguine Dominico confirmatur, ut illius sit capitis membrum, qui pro eo passus est & resurrexit. Novißimè, per* IMPOSITIONEM MANUUM *à summo Sacerdote, septiformis gratiæ Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in Baptismo per gratiam vitæ donatus æternæ.* Ex quo conficitur Confirmationem non magìs pertinere ad Baptismum, quàm Eucharistia ad Baptismum ipsum pertineat. Sic Amalarius Trevir. scribens Epistolam ad Carolum Magnum, *de cæremoniis Baptismi*; in ipso initio habet: *Misistis ad servulum vestrum inquisitiones secundùm vestram misericordiam*, DE SACRO BAPTISMATE *per ordinem interrogantes*: qui tamen ibidem ita locutus est de Eucharistia; *Confirmatur postea Corpore & Sanguine Domini, ut sciat per talia mysteria diabolum expulsum ab ejus corde, ac Christum inhabitare, ita ut confidenter dicamus illis: Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Si quæritur, unde Pacianus juxta posteriorem sententiam, Theodulphus, Alcuinus & Amalarius meminerint Confirmationis & Eucharistiæ, ubi de Baptismo fecere sermonem? Ratio hæc est, meo quidem judicio unica, quia videlicet utraque continenter cum Baptismo Neophytis administrabatur.

Objicit II. Dallæus. *Laudata Paciani verba luculentißimè docent Chrismationem confirmatoriam esse Baptismi ritum. Nam inprimis hoc illis verbis Pacianus constituit,* GENITUM A CHRISTO NON VIDERI, QUI SPIRITUM NON RECEPIT. *Et*

paulò antè dixerat. VENIENTE DESUPER SPIRITU DOMINI, NOSTRARUMQUE ANIMARUM SUBSTANTIÆ SUPERFUSO, ET ADMIXTO PROTINUS SEMENTE COELESTI, NOS VISCERIBUS MATRIS INOLESCERE, ALVOQUE EJUS EFFUSOS VIVIFICARI IN CHRISTO. *Tunc autem, ut patet, naſcimur, cùm alvo matris effundimur. Ergo cùm alvo Eccleſiæ tùm demum effundamur, cùm Spiritus in animis noſtris ſuperfuſus venit; clarum eſt iſtum nos non antè naſci putaſſe, quàm Spiritum acceperimus.* SPIRITUM PORRO CHRISMATE IN NOS SUPERFUNDI *ait. Ergo Chriſmari nos antequam naſci putavit. Nos autem per* BAPTISMUM *& in Baptiſmo naſci omnes confitentur.*

Reſpondeo, juxta priorem ſententiam, hominem præparari & diſponi in Baptiſmo, ut recipiat Spiritum ſanctum in Confirmatione, per quem in eâ, & non in Baptiſmo, naſcatur vivificeturque. Juxta poſteriorem ſententiam, locus ille eſt interpretandus de generatione & vivificatione completa, quam Neophytus conſequitur per Confirmationem, cujus initium quoddam duntaxat habuit per Sacramentum Baptiſmi.

Objicit III. verba iſta Paciani: HÆC AUTEM COMPLERI ALIAS NEQUEUNT, NISI LAVACRI ET CHRISMATIS ET ANTISTITIS SACRAMENTO: præmiſſoque *per hanc vocem* (ANTISTITIS) INTELLIGI MANÛS IMPOSITIONEM; ſic argumentatur. *Pacianus tria hæc unum Sacramentum eſſe ſignificat, qui in ſingulari numero, non in plurali de iis loquitur. Neque enim ſi diverſa eſſe cenſuiſſet, ita ſibi de iis loquendum putaſſet. Nam nemo ſanus dixerit, ſe Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcepiſſe. Rectum eſt dici Sacramenta, quæ non ſunt unum. Itaque qui lavacri & Chriſmatis & manûs impoſitionis non Sacramenta, ſed Sacramentum dicit, is profectò ſenſit tres hos ritus unum idemque Baptiſmi Sacramentum efficere ac conſtituere.*

Reſpondeo I. Pacianum eâ voce (ANTISTISTIS) non ſignificare *manuum impoſitionem*, ſed declarare duntaxat Antiſtitem eſſe Miniſtrum lavacri & Chriſmatis. Quod immediatè ſequentia verba ſignificant: *Lavacro enim peccata purgantur, Chriſmate ſanctus Spiritus ſuperfunditur, utraque verò iſta manu & ore Antiſtitis impetramus.* II. Etſi manûs impoſitio confirmatoria per hanc vocem intelligeretur, quis ignorat nomen *Sacramenti* & *Myſterii* modò in plurali & modò in ſin-

gulari usurpari ad significandum unum vel plura Sacramenta? Sic sæpius ista loquendi ratio, *Corporis & Sanguinis Christi mysteria*, legitur apud Patres: ut apud eosdem; *Baptismi Sacramenta.* Objectio vix digna Theologo. Plura Sacramenta sunt unum Sacramentum complexum. Mysteria dicitur in plurali non in singulari, si Latinè loqui amas.

Objicit IV. *Cùm Pacianus lavacro & Chrismate & Antistite ea compleri scribat de quibus dixerat; apertè significat hæc omnia Baptismi esse. Cùm enim hæc, quæ istis compleri dicit, non alia sint, quàm Christum & Spiritum sanctum ad hoc ut nascamur recipere: qui hæc istis compleri dicit, idem intelligit ac si dixisset, nos istis, id est lavacro & Chrismate & Antistitis manu nasci. Non alio autem Sacramento nascimur quàm Baptismo. Ergo hæc, quibus nasci nos significat, omnia unum Baptismi Sacramentum Pacianus esse putavit.*

Respondeo juxta priorem sententiam. Paciano lavacrum purgare nos atque præparare, ut in Confirmatione vivificemur, per adventum atque inhabitationem Spiritus sancti. Juxta posteriorem sententiam dico, Pacianum loqui de nativitate completa & perfecta, qualis habetur per Baptismum & Confirmationem simul, cùm Confirmatio sit perfectio & complementum Baptismi, nec loqui de nativitate inchoatè spectata. Favet solutioni verbum (COMPLERI) à Paciano ibi usurpatum.

Objicit V. *Postquam Pacianus quid istorum singula significent, & quò referantur exposuit*; LAVACRO PECCATA PURGARI, CHRISMATE SPIRITUM SUPERFUNDI: *tandem locum concludens:* ATQUE ITA, *inquit*, TOTUS HOMO RENASCITUR ET INNOVATUR IN CHRISTO. *Non potuit clariùs eloqui lavacro & Chrismate innovari renascique totum hominem. Totus verò homo in uno Baptismi Sacramento renascitur atque innovatur. Ergo &c.*

Respondeo ad hanc objectionem sicut ad immediatè præcedentem. Juxta priorem sententiam, negando hominem renasci atque innovari per aquam Baptismalem ut avulsam à Sacramento Confirmationis. Juxta posteriorem, dico, plenitudinem nativitatis & innovationis haberi per Confirmationem, cujus exordia debentur Baptismo. *Innovatio* attribuitur *Confirmationi* à Paciano, quomodo tribuitur *Eucharistiæ* ut efficiat nos *membra Christi*, ut *vitam donet*, ut *Christo*

nos induat, ut per illam habeamus ***Deum in nobis inhabitantem:*** quæ ſunt loquendi formulæ Jeſſe Ambianenſis, Theodulphi ſuprà, Amalarii, Rabbani: & eatenùs hæc vera ſunt, non quaſi non recipiamus vitam in Baptiſmo, non evadamus in Baptiſmo Chriſti membra, non induamus Chriſtum in illo, aut habeamus Deum in nobis inhabitantem; ſed quia hæc ſpeciali ratione attinent ad Euchariſtiam. Unde S. Thom. III. p. q. LXXIII. a. III. c. ***Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, Euchariſtia verò eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ.*** Sic innovatio quæ eſt Baptiſmi ſub aliquo ſenſu, eſt ſub alio ſenſu propria Confirmationis. Audiendus eſt idem Angelicus Doctor in c. VI. Epiſt. ad Hebræos, docens manus impoſitionem confirmatoriam eſſe ad renovationem: quem tamen S. Doctorem nemo negaverit exiſtimaſſe Confirmationem eſſe Sacramentum ſpecie diſtinctum à Baptiſmate. Ad hæc verba, ***Impoſitionis manuum***; præmittit aliam eſſe miracula facientem, & aliam eſſe Sacramentalem. ***Et hæc***, inquit, ***eſt duplex. Una in Sacramento ordinis*** I. ***Timoth.*** V. MANUS NEMINI CITÒ IMPOSUERIS. ***Alia eſt in Sacramento Confirmationis ad renovationem Tit.*** III. PER LAVACRUM REGENERATIONIS ET RENOVATIONIS SPIRITUS SANCTI. ***In Confirmatione enim datur Spiritus ſanctus ad robur.***

Objicit VI. ***Pacianus, ad deſcribendum totius iſtius ex lavacro & Chriſmate myſterii effectum, affert hæc Pauli verba:*** UT SICUT RESURREXIT CHRISTUS A MORTUIS, ITA ET NOS IN NOVITATE VITÆ AMBULEMUS. ***Cùm enim Paulus iis verbis nullius alterius Sacramenti, præterquam unius Baptiſmi vim & effectum expreſſerit, omninò fatendum eſt Pacianum vel Paulinis verbis abuti, vel certè exiſtimaſſe ejus, cui hoc Paulus tribuit, Baptiſmi partem quoque aliquam eſſe eam, ad quam illa verba partim accommodat, Chriſmationem.***

Reſpondeo Pacianum Apoſtoli verbis minimè abuti, neque tamen illa uſurpare, ut oſtendat Chriſmationem eſſe aliquam partem Baptiſmi: ſed ea uſurpare, ut doceat renatis atque renovatis in Chriſto eſſe in novitate vitæ ambulandum. Si *inchoatè* duntaxat per ſolum Baptiſmum renatis atque renovatis, multò magìs *plenè atque completè* vivificatis per Confirmationem, ut per ſe patet. Jam verò utrùm Baptiſmus ſolus habeat virtutem purgando innovandi, vel ſolummodo præparandi atque diſponendi ad innovationem, neque Pa-

cianus hoc expendit ibi, neque contendit astruere alterutrum ex Apostolo.

S. AMBROSIUS MEDIOLANENSIS.

Produxit vitam ad annum CCCXCVII. Multis locis expressit nostram doctrinam de Sacramento Confirmationis.

Libro de Salomone c. III. *Et Moyses inquit in Cantico Deuteronomii: Lactavit eos mel de petra, & oleum de solida petra, id est, quòd dulcem daturus is esset Evangelii suavitatem, aut* SPIRITUM SANCTUM PER CHRISMATIS INUNCTIONEM. Dari namque Spiritum sanctum per Chrismatis inunctionem, est idem ac confirmatoriam unctionem esse Sacramentum novæ Legis. Quòd Erasmus dubitaverit an ille liber sit Ambrosii, nos nullo pacto moratur: quia consensus omnium eruditorum in hoc obsistit Erasmo.

Dallæus lib. II. c. XXIII. respondet, Spiritum per Chrismatis unctionem dici hîc dari à Christo. I. quòd hic Spiritus Chrismate adumbraretur & significaretur in Baptismo. II. quòd in illo Baptismo detur à Christo, phrasi symbolicâ, non quòd ipsius Chrismatis vi & operatione (si propriè loquendum est) Spiritus conferatur.

Sed quia nemo non videt interpretationem hanc esse penitus alienam à verbis sancti Pontificis, spernendam esse censeo, non refellendam.

Idem S. Doctor lib. de initiandis c. VI. *Posthæc* (scilicet ablutionem Baptismalem) *utique ascendisti ad Sacerdotem. Considera quod secutum sit. Nonne illud quod ait David:* SICUT UNGUENTUM IN CAPITE, QUOD DESCENDIT IN BARBAM, BARBAM AARON? *Hoc est unguentum de quo & Salomon ait:* UNGUENTUM EXINANITUM *&c.* Et postea. *Ideo in barbam defluit, id est, in gratiam juventutis. Ideo in barbam Aaron, ut fias electum genus, Sacerdotale, pretiosum. Omnes enim in regnum Dei & in Sacerdotium ungimur gratiâ spirituali.* Et c. VII. *Repete, quia accepisti signaculum spiritale, Spiritum sapientiæ & intellectûs, Spiritum consilii atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum sancti timoris: & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritûs in corde tuo, sicut Apostolicâ lectione didicisti.*

Ut

Ut ſeſe Dallæus expediat ab hac authoritate, lib. II. cap. XXII. Audet poſt Robertum Cocum in cenſuræ ſuæ editione II. (ad quam remittit lectores ſui operis) aſſerere librum non eſſe Ambroſii, ſed adulterini ignoti authoris fœtum.

Ego vero Dallæo & Coco oppono Codices omnes MSS. reclamantes. Oppono omnes editiones à prima uſque ad ultimam. Oppono ex ſuis Blondellum, Falcarium & Albertinum libris de Euchariſtia, agnoſcentes fœtum eſſe genuinum Ambroſii, imò & Rivetum in Crittico ſacro lib. III. rejicientem libros *de Sacramentis* extra Catalogum Ambroſianorum, quia ſtylo differunt à libro *de Initiandis.* Oppono denique quotquot ab DCCC. annis ex hoc ipſo libro teſtimonia protulere Orthodoxos & Etherodoxos.

Subjungo teſtimonia deſumpta ex libris de Sacramentis, lib. II. C. VII. *Ergo merſiſti, veniſti ad Sacerdotem. Quid tibi dixit ?* DEUS, *inquit*, PATER OMNIPOTENS QUI TE REGENERAVIT EX AQUA ET SPIRITU SANCTO, CONCESSITQUE TIBI PECCATA TUA, IPSE TE UNGAT IN VITAM ÆTERNAM. Lib. III. C. I. *Accipis autem myſterium, hoc eſt unguentum, ſupra caput.* Et c. II. *Sequitur ſpiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi: quia poſt fontem ſupereſt ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur.*

Reſpondet Spalatenſis num. XIX. Ambroſium loqui de Confirmatione tanquam *de ultima cæremonia, & totius Baptiſmi conſummatione & perfectione*, lib. III. c. II. quod patet, quia poſt eam explicatam, adhuc pergit ipſum Baptiſmum conſiderare, lib. IV. c. I. & II.

Sed contrà. Author loquitur de Confirmatione tanquam de aliquo diſtincto à Baptiſmate, quemadmodum loquitur de Euchariſtia poſtquam locutus eſt de Confirmatione, tanquam de aliquo Sacramento diſtincto à Confirmatione : & ſicut ſermone abſoluto de Baptiſmate, c. 1um lib. tertii ſic inchoat (de 1° enim, in quo de unctione capitis, nihil dico, ne locum dem contentioni, ſi exponeretur à quibuſdam de unctione verticali:) *Sequitur ſpiritale ſignaculum &c.* ita eo ſignaculo ſpiritali expoſito ait : *Poſthæc quid ſequitur ? Venire habes ad altare.* Ergo ſicut nemo rectè dixerit Euchariſtiam pertinere ad Baptiſmum tanquam ultimam ejus cæremoniam ; ita rectè illud de Confirmatione dici non poteſt. Fateor ultro,

quòd post explicatam Confirmationem, author pergit adhuc considerare baptismum. Sed quid hoc, ad probandum Confirmationem esse ritum Baptismi conferat, sanè non video: aut si conferat aliquid, Eucharistia pariter est Baptismi ritus: quia jam cœperat quoque author verba facere de Eucharistia. Ut dicam quod rei est, præmittit aliqua de Baptismo per recapitulationem, & re altius petitâ, dicturus de Eucharistia toto libro quarto.

Dallæus ad authoritates istas aliud. Idem quippe censet de authore librorum istorum, quod libri de Initiandis: aliquo fateor innixus fundamento verisimiliori, nullo tamen invicto, ut olim ostendi tractatu de Eucharistia. Observare modò sufficiat illos libros de Sacramentis citari sub Ambrosij nomine à Gratiano, Magistro, Algero, Guitmundo, Hugone Lingonensi, Yvone Carnotensi, Deoduino Leodiensi, Durando Troarnensi, Berengario Hæresiarcha, Hincmaro Remensi, Paschasio Radberto, Ratramno Corbeïensi.

AMBROSIASTER.

Seu author Commentariorum in Epistolas Pauli, qui non sunt Ambrosij Mediolanensis, cujus tamen nomine circumferuntur, consentientibus in hoc omnibus eruditis: neque verò convenientibus inter se quis ille sit, quove tempore vixerit, nonnullis ad tempora Damasi, aliis longè inferiùs, ad IX. videlicet sæculum duntaxat collocantibus, quod Maldonato placuit, qui putavit fuisse Remigium Lugdunensem: aliis verò sentientibus cum Erasmo, quod certius, opus esse inepti cujusdam consarcinatoris. Quisquis tandem ille fuerit, ad hæc verba c. VI. ad Hebræos, *Impositionis quoque manuum*, scribit: *Impositionis manuum, per quam Spiritus sanctus accipi posse creditur: quod post Baptismum, ad Confirmationem unitatis, in Ecclesia Christi à Pontificibus fieri solet.* En Confirmationem descriptam, cujus materia designatur *manuum impositio*; effectus dicitur esse *Spiritus sancti collatio*; Minister, *Pontifex*; ac denique est quid distinctum à Sacramento Baptismi.

AURELIUS PRUDENTIUS.

Is sub Theodosio Seniore & filiis ejus emicuit. Psycoma-

chiæ (non *Cathemerinon*, ut habet Dallæus lib. II. c. XXIII.) ſect. VI. in qua pugnam *luxuriæ* & *ſobrietatis* exponit, ita canit.

Poſt inſcripta oleo fronti ſignacula, per quæ
Vngentum regale datum eſt, & Chriſma perenne.

Et Cathemerinon, ſeu rerum Divinarum libro, in quo continentur hymni ad Matutin. & Veſpertin. hymno VI. qui eſt ante ſomnum, versùs finem,

Cultor Dei memento
Te fontis & lavacri
Rorem ſubiiſſe ſanctum,
Te Chriſmate innotatum.

Dallæus ibidem corrigit cum nonnullis aliis poſteriorem hunc locum, & pro (*innotatum*,) quod, inquit, durum eſt & barbarum, legendum putat (*innovatum*.) Quâ correctione factâ, ſequi aſſerit Confirmationem ad Baptiſmum tanquam ejus ritum atque cæremoniam pertinere. Quandoquidem proprium ipſius eſt *innovare*, quod eſt effectus Baptiſmi.

Durum ſit atque barbarum, ut voluerit Dallæus, vocabulum hoc (*innotatum*,) eſt certè maximè ſignificativum & expreſſivum Confirmationis, in qua baptizati notantur atque ſignantur Chriſmate. *Nota* apud Grammaticos pro ſigno uſurpatur. *Notatus* idem ac ſignatus. Lege Feſtum. Quidni vox (*innotatus*) uſurparetur ad exprimendum, quòd homo ſignatur interiùs in Confirmatione, quando perungitur Chriſmate exteriùs ? Meminerint correctores Poëtam loqui, ſed Chriſtianum, & quidem de rebus Theologicis, in quibus barbaries nonnulla ſignificans expreſſiùs, præfertur meritò puriori latinitati minùs expreſsè ſignificanti.

Dato tamen, quòd locus ſit aliquis correctioni, an ideò Confirmatio Baptiſmi ritus ? Minimè. I. quia fortè Prudentius exiſtimavit proprium eſſe lavacri mundare à peccatis, & Confirmationis innovare. II. quia etiamſi Prudentius id minimè ſenſerit, optimè adhuc poteſt exponi de innovatione perfecta & completa, quæ eſt propria Confirmationis, cùm inchoata duntaxat innovatio pertineat ad Baptiſmum.

Solutiones istæ facilè intelliguntur ex dictis ad S. Pacianum.

SANCTUS HIERONYMUS.

Obiit Honorio imperante anno Domini ccccxx. cujus caput IV. Dialogi adversùs Luciferianos convincit omnem doceri volentem, quòd Confirmatio est Sacramentum novæ Legis. Nam ibi Luciferiano proponente Ecclesiarum hunc esse morem, eumque scriptum in Actis Apostolorum, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus: Orthodoxus cum quo ille contendit, ita respondet. *Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat.* Et postea. *Episcopus si imponit manum, iis imponit qui in rectâ fide baptizati sunt..... Arrianus verò..... quomodo Spiritum sanctum ab Ecclesia recipiet, qui necdum remissionem peccatorum consecutus est?* Et postea. *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero Baptismate tribui: disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum Domini, Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Et multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati antè dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.* Ex hoc enim loco sic conficitur argumentum. Signum sensibile collativum gratiæ sanctificantis est Sacramentum novæ Legis propriè dictum. Atqui manûs impositio confirmatoria, de qua ibi est sermo, confert gratiam sanctificantem, quod significatur per hæc verba. *Episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat*: &, *Quomodo Spiritum sanctum ab Ecclesia recipiet, qui necdum remissionem peccatorum consecutus est?* &, *Nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum.* Assentitur Calvinus ad c. XIX. Act. & lib. IV. Instit. c. XIX. §. IV. scribens Hieronymum in eo *hallucinari*, quòd putaverit ritum Confirmationis esse observationem Apostolicam. Refragantur Spalat. num. XVIII. Dallæus lib. II. c. XXII.

Ad pleniorem intelligentiam probationis iſtius, atque etiam ad reſpondendum facilius inſtantiis Dallæi; obſerva S. Hieronymum hoc Dialogo ſuſtinere, quòd ſi laïci venientes ab Arrianiſmo recipiendi ſunt, ut Epiſcopi quoque recipiantur ab eadem hæreſi nihil prohibere. Id ſtabilit ſub nomine Orthodoxi adversùs Luciferianos contendentes laïcum ab Arrianis venientem recipi debere pœnitentem, Clericum non debere: qua in re ſecuti ſunt Luciferum Caralitanum, cujus error præcipuus fuit, quòd ſe à communione eorum, qui Epiſcopos Arimini lapſos, etiam ſub ſatisfactione receperant, Antiochiæ ubi erat in exilio, ut ſcribit Sulpitius, ſeparavit. Luciferianus contendebat, quòd quamvis laïci pœnitentes recipiantur, non debebant tamen Epiſcopi recipi: quia non eſt Epiſcopi lacrymas fundere pro peccatis, & ad fratrum genua provolvi. Unde ille: *Si peccaſſe te pœnitet, officium depone Sacerdotis: ſi te non peccaſſe confidis, permane quod fuiſti.* Et poſtea: *Si erraſſe ſe confitetur, cur Epiſcopus perſeverat? Deponat Sacerdotium: concedo veniam petenti.* Orthodoxus verò aſſerebat eandem eſſe rationem Epiſcopi & laïci quoad hoc, & retorquendo argumentum in adverſarium ſuum inquiebat: *Si laïcus erraſſe ſe confitetur; quomodo laïcus perſeverat? Deponat Sacerdotium laïci, id eſt, Baptiſma: & ego dò veniam pœnitenti.* Et poſtea: *Qui pœnitentiam agit, priora condemnat. Si non licet Epiſcopo pœnitenti perſeverare quod fuerat, non licet & laïco pœnitenti permanere in eo propter quod pœnitentiam confitetur.* Pergit Luciferianus & ait: *Recipimus laïcos, quoniam nemo convertetur, ſi ſe ſcierit rebaptizandum: & ita fiet ut nos ſimus cauſa perditionis eorum, ſi repudientur.* Orthodoxus reponit, quòd recipiendo laïcum una ſalvatur anima; Epiſcopum, non tantùm unius civitatis populi, ſed & univerſa cui præeſt Eccleſia. Luciferianus multis contendit Epiſcopi qui lapſus eſt non poſſe probari ſacrificia: Orthodoxus reponit, ejuſdem eſſe conditionis Baptiſma quod adminiſtrat, cum ſacrificio quod offert: quare vel utrumque eſſe approbandum, vel utrumque reprobandum. Luciferianus occurrit in hæc verba: *Sed ego recipio laïcum pœnitentem per manûs impoſitionem & invocationem Spiritus ſancti, ſciens ab Hæreticis Spiritum ſanctum non poſſe conferri.* Ad quod Orthodoxus reponit: *Baptiſma non eſſe ſinè Spiritu ſancto. Igitur ſi Arrianus Spiritum ſanctum non poteſt dare, ne baptizare*

quidem potest. Et postea. *Aut baptizare eum debes, quia sinè Spiritu sancto non potuit baptizari : aut si est baptizatus in Spiritu, desine ei invocare Spiritum, quem tunc cùm baptizaretur, accepit.* Instat Luciferianus & probat Baptismum posse esse sinè Spiritu sancto, ex eo quod Act. XIX. scribitur de baptizatis à Joanne. Respondet Orthodoxus, Joannis Baptismum multùm differre à Baptismo Christi, de quo est quæstio, & qui à Joanne baptizati fuerant fuisse postea Christi Baptismate ablutos. Urget Luciferianus, Ecclesiarum hunc esse morem, atque id in Actibus Apostolorum reperiri, ut baptizatis Baptismo Christi postea manus imponatur, & ita invocetur Spiritus sanctus. Sed etsi non reperiretur, consensum orbis in eo vim præcepti habere. Orthodoxus admittit hanc esse Ecclesiarum consuetudinem; sed ait hoc non favere hæresi, servari tantùm respectu eorum qui baptizati sunt in recta fide, non respectu eorum qui in corpore baptizati, non sunt suorum consecuti remissionem peccatorum. *Porro id factitatum ad honorem potiùs Sacerdotij quàm ad legis necessitatem :* aliàs miseros fore, qui baptizati à Presbyteris, Diaconis, laïcis, antè ex hac vita discedunt, quàm Episcopus illis manus imposuerit. Cæterùm Baptisma Ecclesiæ non esse Baptismum Arrianorum, apud quos Luciferianis non est Ecclesia, sed Synagoga, quique non sunt Clerici Dei, sed creaturæ, atque idolorum cultores. Pergit Luciferianus, & dato quòd non sit Baptismus apud Arrianos, contendit ex eo sequi suum institutum : quia si laïcus apud Arrianos non est, multo minùs Episcopus est apud illos. Ad hoc Orthodoxus. *Ego non tam in præsenti Arrianos vel improbo vel defendo, quàm illam cursus mei metam circumeo, eâdem ratione à nobis Episcopum recipi, quâ laïcus à vobis recipitur.* Et infrà. *Quicquid dixeris, dicam : affirmabis, affirmabo : negabis, negabo. Arrianus baptizat : Ergo Episcopus est. Non baptizat : tu refuta laïcum, & ego non recipio Sacerdotem.* Et infrà, Luciferiano instante iterum in hæc verba. *Laïcus extra Ecclesiam fide baptizatus, pœnitens recipitur : Episcopus verò aut pœnitentiam non agit, & Sacerdos est; aut si pœnitentiam egerit, esse Episcopus desinit.* Orthodoxus respondet. *Neque enim hic modò quæritur, an Episcopus pœnitens esse non possit, & laïcus possit : sed Hæreticus Baptisma habeat : qui si, ut constat, non habet : quomodo potest esse pœnitens, antequam Christianus? Proba mihi ab Arrianis ve-*

mientem laïcum habere Baptiſmum, tunc ei pœnitentiam non negabo. Si verò Chriſtianus non eſt, ſi non habuerit Sacerdotem qui eum faceret Chriſtianum, quomodo aget pœnitentiam homo qui necdum credit. Ac denique recenſitis, quæ ad ἑρμήνιον ſpectant & ad Synodum Ariminenſem pertinere videbantur, concludit pro ſententia Stephani Romani Pontificis contra Cyprianum de Baptiſmo Hæreticorum, obſervatque à Julio, Malchio, Sylveſtro, cæteriſque veteribus Epiſcopis omnes Hæreticos ſuſceptos fuiſſe in pœnitentiam, ipſamque Synodum Nicænam omnes Hæreticos ſuſcepiſſe, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis; & quod his majus eſt, Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, Preſbyterii gradum ſervaſſe. His verò præmiſſis momenta Dallæi examinanda ſunt.

Ait inprimis: *Ex ipſo Hieronymi contextu liquere Spiritum ſanctum vi Baptiſmatis omnibus qui initiantur conferri: unde ſequitur, quidquid Baptiſmo additur, quo in genere ſunt unctio & manûs impoſitio confirmatoria; id ſi propriè loquendum eſt, nullam per ſe vim habere ad Spiritum conferendum, ſed ad ſignificandum duntaxat atque adumbrandum illum.*

Reſpondeo liquere ex ipſo contextu Spiritum ſanctum conferri omnibus qui initiantur, vi Baptiſmatis. Unde Hier. ibi. *Quomodo dicis ſinè adventu Spiritus ſancti apud Arrianos peccata poſſe dimitti? Quomodo antiquis ſordibus anima purgatur, quæ ſanctum non habet Spiritum? Neque enim aqua lavat animam, ſed priùs ipſa lavatur à Spiritu, ut alios lavare ſpiritaliter poſſit.* Et poſtea. *Ipſe Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui non tam mundatus eſt in lavacro, quàm lavacro ſuo univerſas aquas mundavit, ſtatim ut caput extulit de fluento, Spiritum ſanctum accepit: non quòd unquam ſinè Spiritu ſancto fuerit, quippe qui de Spiritu ſancto in carne natus eſt; ſed ut illud nobis monſtraretur, verum eſſe Baptiſma, quo Spiritus ſanctus adveniat.* Et adhuc. *Eccleſiæ Baptiſma ſinè Spiritu ſancto nullum eſt.* Et iterùm. *Cùm Baptiſma Chriſti ſinè Spiritu ſancto nullum ſit.* Ibi refellit Tertullianum, ut ſuprà obſervavimus. Et hoc quidem aſſerit adversùs Luciferianos contendentes baptizatos extra Eccleſiam laïcos pœnitentes recipi per manûs impoſitionem & invocationem Spiritus ſancti, quia ab Hæreticis Spiritus ſanctus non poteſt conferri. Ille verò probat, non eſſe verum Baptiſma, niſi quod eſt cum Spiritu ſancto. Cæterùm ex eodem etiam contextu manifeſtum eſt, Spiritum ſanctum con-

ferri baptizatis, ad robur videlicet, per Confirmationem, ex Act. XIX. ubi Joannis Baptismate perfusi recipiunt Spiritum sanctum, Paulo super eos manum imponente, postquam Baptismo Christi abluti sunt. Unde Hieron. sub finem c. III. *Si ergo baptizati sunt vero & legitimo Ecclesiæ Baptismate, & ita postea Spiritum sanctum consecuti sunt; & tu Apostolorum sequere authoritatem, & baptiza eos qui Christi non habent Baptisma, & poteris invocare Spiritum sanctum.* Item immediatè post ex Act. VIII. verbis initio relatis. Et adhuc. *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesiâ baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum &c.* &, *Si ad Episcopi tantùm deprecationem Spiritus sanctus defluit &c.*

Ait II. *Ex his verbis Hieronymi videre esse, quisquis ritè baptizatus est, eum verè esse Christianum, neque ut id nominis apud Deum consequatur, ullo alio ritu initiari necessario debere: adeoque Chrismationem & manûs impositionem non tam efficere ut homo Christianus verè nominetur, quàm firmare eum rite baptizatum esse. Atque ad hunc sensum revocandum esse, si quid Patres paulò licentiùs, ut eorum mos est, eâ de re per hyperbolem dixerint.*

Respondeo, Dallæum non potuisse verbis mollioribus fateri sanctos Patres sibi esse adversos, quàm dicendo eos de Confirmatione per hyperbolem fuisse locutos. Habemus fatentem. Pluribus haud esset opus, si contendere, non docere vellemus. Verè equidem quilibet ritè baptizatus est Christianus: sed non quilibet ritè baptizatus est perfectè Christianus. Ut sit Christianus, non indiget Chrismatione vel manus impositione: indiget, ut sit perfectè Christianus. Similiter baptizatus nec confirmatus sic nomen Christiani consequitur, ut tamen propriè dignus eo nomine solus ille censeatur, qui delibutus est unguento Confirmationis.

Ait III. *Ipsam Hieronymi contra Luciferianorum usum disputationem sibi mirabilem videri, neque satìs à se percipi, qui ita pugnet, ut & ministratum ab Arrianis Baptismum valere, & iis ad Ecclesiam venientibus manus imponendas negare videatur: Quod utrumque perpetuo totius veteris Ecclesiæ mori adversatur, apud quam Arriani neque baptizabantur conversi, & manûs impositione apud Romanos, Chrismate apud Græcos suscipiebantur: ut magnum Luciferiani interlocutoris stuporem fuisse oporteat, qui hæc nota & omnibus obvia in causæ suæ defensione prætermiserit.*

Respondeo,

Respondeo, Hieronymum non negare legitimo Baptismo tinctos ab Hæreticis qui convertuntur, esse per manus impositionem recipiendos. Sed negat esse recipiendos per eam manûs impositionem quâ consequantur Spiritum sanctum, quem Baptismus ab illis in hæresi susceptus conferre minimè potuerit. Totus est hoc Dialogo S. Doctor in retorquendis argumentis sui adversarij, atque in ratiocinationibus, quas vocant Ad hominem. Luciferianus dixerat: *Ego recipio laicum pœnitentem per manûs impositionem & invocationem Spiritus sancti, sciens ab Hæretico Spiritum sanctum non posse conferri.* Hieronymus contra hoc arguit, non esse verum Baptisma sinè Spiritu sancto: quare aut baptizandos esse Hæreticos conversos, ut pote baptizatos sinè Spiritu sancto, sicut habet Luciferianus; aut certè, si legitimè baptizati fuerint, recipiendos absque ea manûs impositione, quâ Spiritus sanctus conferatur illis, quem in Baptismate consequi non potuerunt. Quasi sic ratiocinaretur. Supposito, ut vis, quòd Spiritus sanctus non possit conferri ab Hæreticis, sequitur Baptismum non esse apud eos: quia Baptisma Christi sinè Spiritu sancto non est. Vel ergo dum conversi redeunt baptizandi sunt, vel manus illis imponenda non est ut accipiant Spiritum sanctum, qui recipi debet in Baptismo legitimo, cùm, stabilitâ veritate Baptismi collati ab Hæreticis, Spiritum sanctum susceperint, qualem fingitis per manûs impositionem illis conferri conversis. Nec opponas, quòd si ea mens esset Hieronymi, cæteris Patribus adversaretur, qui docent esse quidem Baptisma apud Hæreticos, sed non prodesse suscipientibus. Nam quando Patres dicunt Baptismum non prodesse apud Hæreticos, nolunt Baptismum administratum ab Hæreticis non habere vim conferendi Spiritum sanctum, sed volunt duntaxat, quòd impeditur ab illo suo effectu, quando qui sic baptizantur, *Hæreticorum & Schismaticorum perversitati consentiunt*, ut loquitur August. lib. III. de Baptismo c. x. ita ut, quemadmodum habet lib. VI. c. IX. *Venientibus ad Catholicam pacem prodesse incipiant quæ foris inerant, sed foris non proderant.* Unde ille lib. I. c. 2. pronunciat, quòd si quis in extrema necessitate constitutus, ubi Catholicum per quem baptizetur invenire non possit, & in animo pace Catholica custodito, baptizetur per Hæreticum, consequitur per Baptismum ita susceptum Spiritum sanctum. Volunt Patres eam-

dem esse rationem Baptismi ab Hæreticis collati, quæ ficto suscepti animo. Quare quemadmodum fictione recedente, Baptismus suum consequitur effectum: ita & hæresis perversitate cessante, atque voluntate schismatis deposita, Baptismum ponere suum effectum. Lege August. lib. I. de Baptismo cap. XII. & XV. lib. III. c. XIII. lib. V. c. VIII. Et Epist. CLXVI. in qua convenit Augustinus Hieronymo, etiam in eo quod spectat reconciliationem Clericorum & Episcoporum conversorum.

Ait IV. Dallæus. *Quòd quando Hieronymus scripsit hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati erant, Episcopus manum impositurus excurreret: significavit hanc esse consuetudinem quarumdam Ecclesiarum duntaxat, non omnium. Et certè non fuisse hanc Ecclesiæ Græcæ consuetudinem, ut apertum est: quia Orientales Episcopi non imponunt manus Neophytis. Neque etiam consuetudo ea erat omnium Ecclesiarum Occidentis: quandoquidem in Hispania, iis solis qui in morbo, aut periculo mortis, vel etiam à Diacono loti fuerunt imponebatur tempore Concilii Eliberit, hoc est* LXV. *annis circiter antequam Hieronymus Dialogum hunc conscriberet, qui se ipsum explicat verbis istis sequentibus:* MULTIS IN LOCIS (*non ergo in omnibus*) ID FACTITATUM REPERIMUS AD HONOREM POTIUS SACERDOTII QUAM AD LEGIS NECESSITATEM.

Respondeo, ex Patribus Græcis relatis referendisque constare de *manûs impositione* Episcopali usurpata in Confirmatione apud Orientales: ex Latinis verò citatis & citandis manifestum pariter esse quòd eadem fuerit in Occidentali Ecclesia consuetudo. Concilium Eliberitanum approbat Baptisma collatum à laïcis in necessitate, approbat quoque solemne administratum per Diaconum regentem plebem, definitque quòd necesse non sit ejusmodi Baptismata repeti, sed ita baptizatos confirmari debere. Hieronymi relata verba probant equidem in more tunc temporis fuisse apud quasdam Ecclesias, ut Episcopi excurrerent per minores urbes, ad confirmandos eos qui baptizati fuerant per Presbyteros & Diaconos: non probant quòd in quibusdam duntaxat Ecclesiis Confirmatio collata tunc fuerit Neophytis: quæ duo maximè distinguuntur. Potest enim administrari Sacramentum se se offerentibus ac petentibus, absque eo quòd Epis-

copi per minores urbes excurrant ad confirmandos Neophytos. Etsi verò probarent, quòd Confirmatio administrabatur ab Episcopis in quibusdam locis tantùm iis qui à Presbyteris vel à Diaconis baptizati fuerant; evincerent duntaxat neglectam tunc temporis fuisse Confirmationem summo abusu, cui postea consultum fuit per Canones & decreta statuentia non negligi, suscipique à Neophytis ubi id poterunt.

Ait v. *Ex Hieronymo constare Confirmationem esse juris duntaxat Ecclesiastici. Nam Luciferianus quidem interlocutor id scriptum esse in Actis Apostolorum dicit: sed falsum dicit, neque ex Actis quidquam ad id probandum adducit: neque sanè pedem in eo figit, sed hoc præsidio, velut ei diffidens, misso, Ecclesiasticam consuetudinem obtendit.* ETIAMSI, *inquit*, SCRIPTURÆ AUTHORITAS NON SUBESSET, TOTIUS ORBIS IN HANC PARTEM CONSENSUS INSTAR PRÆCEPTI OBTINERET. *Et Hieronymus satis ostendit id non à Christo, non ab Apostolis, sed ab Ecclesia institutum, neque in Scripturis præceptum, sed usu institutum.* I. *ubi docet* NULLA ID NECESSITATE FACTUM, *quasi qui rite loti essent, ij Spiritu sancto carerent, qui per Episcopalem manûs impositionem tradi dicebatur: quia nullum est verum Baptisma sinè Spiritu sancto, & qui post illud susceptum ante manum sibi per Episcopos impositam ex hac vita decedunt, non sunt salutis exortes.* II. *Cùm Luciferianus objecisset hunc esse Ecclesiarum morem qui pro lege esse debet, sicut pro lege sunt nonnullæ aliæ cæremoniæ Ecclesiasticæ; Hieronymus non modò non refutat, sed & ipse disertè eadem ponit, certiúsque confirmat. Nam eadem de re verba faciens,* CONSUETUDINEM ECCLESIARUM, *item* ECCLESIÆ LEGES *vocat; non Domini aut Apostolorum præceptum. Quin & hujus legis necessitatem esse rotundè negat, significatque Ecclesiam ad hunc inducendum morem ob oculos habuisse dignitatem Episcopalem.*

Respondeo I. Luciferianum disertè pronunciare, quòd Confirmatio est juris Divini, quando sic loquitur: *An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus Apostolorum.* Neque verò sequentibus istis: *Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret:* significavit se Divinarum Scripturarum præsidio diffidere, imò potiùs significavit hoc esse juris Divini & Ecclesiastici simul. Augu-

ſtinus uſus eſt phraſi ſimili lib. de cura pro Mortuis. c. 1. *In Machabæorum*, inquit, *libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſenſione claret, authoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* 11. S. Hieronymus apertè quoque fatetur Confirmationem eſſe juris Divini, dum ita loquitur. *Quòd ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero Baptiſmate tribui: diſce hanc obſervationem ex ea authoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit.* Et ſanè, quod confert Spiritum ſanctum (conferri autem per manûs impoſitionem docet non uno loco ibi Hieronymus) eſſe juris Divini neceſſe eſt. Quando pronunciat *nulla neceſſitate* factum eſſe, ut baptizato manus imponeretur *in Spiritum ſanctum*; loquitur de Spiritu ſancto qui detur *in remiſſionem peccatorum*, ut pote recepto in legitimo Baptiſmate; non loquitur de Spiritu ſancto qui conferatur *ad robur* legitimè baptizatis, adeoque jam donatis Spiritu ſancto & conſecutis per illum remiſſionem ſuorum peccatorum. Sic Apoſtoli cùm accepiſſent Spiritum ſanctum anteaquam Chriſtus aſcendiſſet in cœlum, iterum illum receperunt poſt Aſcenſionem. Sic baptizati Chriſti Baptiſmate; *quod*, ut ait Hieronymus, *non eſt ſinè Spiritu ſancto*; poſtea tamen conſecuti ſunt Spiritum ſanctum, Actor. XIX. Unde Hieronymus. *Si ergo Baptizati ſunt vero & legitimo Eccleſiæ Baptiſmate, & ita poſtea Spiritum ſanctum conſecuti ſunt: & tu Apoſtolorum ſequere authoritatem, & baptiza eos qui Chriſti non habent Baptiſma: & poteris invocare Spiritum ſanctum.* Et inter hanc duplicem Spiritus ſancti receptionem id occurrit diſcriminis, quòd prior eſt *in remiſſionem peccatorum* & ſimpliciter neceſſaria; poſterior eſt *ad robur*, neque eſt ſimpliciter neceſſaria. Quod enim Hieronymus pronunciando, *nullâ neceſſitate* fieri ut baptizatus recipiat Spiritum ſanctum, loquatur de Spiritu ſancto qui detur in *remiſſionem peccatorum*, non qui detur *ad robur*, patet ex ejus inſtituto, quod eſt refellere Luciferianum qui non improbabat Arrianorum Baptiſma, & dicebat Spiritum ſanctum ab iis non poſſe conferri, atque per impoſitionem manûs dum convertuntur, advo-

cari. Quando confirmat propoſitionem Luciferiani de lege Eccleſiaſtica, ſic eam confirmat, ut non neget Confirmationem eſſe ex Divina inſtitutione, imò ſupponat, ſicut Luciferianus ſupponebat. Quando negat eam eſſe neceſſariam, loquitur de neceſſitate medii vel præcepti Divini, hoc ſenſu, quòd qui eâ non ſuſceptâ, poſt Baptiſmum ex hac vita deceſſerit, exors ſit ſalutis. Docet ipſe contextus. *Et multis in locis*, inquit, *idem factitatum reperimus ad honorem potiùs Sacerdotii quàm ad legis neceſſitatem. Alioqui ſi ad Epiſcopi tantùm imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt qui in viculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati antè dormierunt, quàm ab Epiſcopis inviſerentur.* Quod etiam Dallæus ſubjungit, Hieronymum ſignificare Eccleſiam ad hunc inducendum morem ob oculos habuiſſe dignitatem Epiſcopalem, falſum eſt. Hieronymus ſignificat Epiſcopos eſſe Miniſtros jure Divino non Eccleſiaſtico duntaxat, quemadmodum Apoſtoli in Actis & non alii jure Divino erant Miniſtri manûs impoſitionis quâ Neophyti conſequebantur Spiritum ſanctum: quandoquidem hæc obſervatio noſtra deſcendit ab ea authoritate. Et ea verba, *Multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potiùs Sacerdotii quàm ad legis neceſſitatem*, ſenſum hunc habent: excurſum Epiſcoporum ad confirmandos eos qui longè in minoribus urbibus per Epiſcopos & Diaconos baptizati ſunt, non tam ideo fieri, quia baptizati nequeunt ſalutem conſequi ſinè manûs impoſitione confirmatoriâ, quod eſt, *ad legis neceſſitatem*; quàm quia hoc eſt de honore ſeu dignitate atque officio Epiſcopi, ut manus imponat ſuper baptizatos, quod eſt *ad honorem Sacerdotii.* Quod autem idem Hieronymus habet: *Sed quale eſt, ut leges Eccleſiæ ad hæreſim transferas?* non ideo ſcripſit, ut eâ loquendi ratione ſignificaret Confirmationem lege aliquâ Eccleſiaſticâ fuiſſe inſtitutam: ſed ſcripſit ut refelleret interlocutorem Luciferianum, qui præmiſerat orbis univerſi conſenſum in adhibenda manûs impoſitione Neophytis, inſtar præcepti obtinere; ad probandum Baptiſmum Chriſti poſſe eſſe ſinè Spiritu ſancto, etiamſi Scripturæ authoritas non ſubeſſet. Ait Hieronymus Eccleſiæ legem de excurrendo ad minores urbes Neophytorum confirmandorum causâ non probare Baptiſmum Chriſti ſinè Spiritu ſancto eſſe poſſe; quæ propoſitio eſt

hæretica : ſeu legem Eccleſiaſticam de Confirmatione per Epiſcopos excurrentes adminiſtranda , non favere hæreſi, quæ contendit Baptiſmum Chriſti poſſe eſſe ſinè Spiritu ſancto.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

Vivere deſiit anno Chriſti CCCCVII. Homilia XVIII. in Acta Apoſt. verbis ſuprà relatis diſp. II. a. I. ſubjicit iſta, quæ non parvam lucem afferunt , ad agnoſcendam rationem Sacramenti in Confirmatione. *Vides* (inquit ad hæc verba ; ORAVERUNT PRO IPSIS) *quòd non ſimpliciter hoc fit, ſed multâ opus eſt virtute ut detur Spiritus ſanctus. Non enim idem eſt aſſequi remiſſionem peccatorum , & accipere virtutem illam.* Nam quia gratia hæc eſt diſtincta à gratia remiſſionis peccatorum , non eſt eadem cum gratia Baptiſmali : neque etiam eſt gratia ſignorum , ut ibidem oſtendimus. Ergo eſt gratia ſpecialis Sacramentalis.

Item ad ea verba c. VI. Epiſt. ad Hebræos: IMPOSITIONIS QUOQUE MANUUM : ita loquitur : *Hoc enim fit in Baptiſmo, & confirmatur in confeſſione.* Dixerat autem immediatè antea : *Sic enim accipiebant Spiritum*, CÙM PAULUS EIS, *inquit*, IMPOSUISSET MANUS. Nam nomine *Spiritûs*, qui eſt effectus iſtius manûs impoſitionis factæ in Baptiſmate, non intelligitur gratia ſignorum. Ergo intelligitur gratia ſanctificans.

INNOCENTIUS PRIMUS.

Obiit anno Chriſti CCCCXVII. Epiſt. I. quæ eſt ad Decentium Eugubinum c. III. docet Confirmationem eſſe Sacramentum novæ Legis. Verba retuli diſp. II. a. I.

Dallæus lib. III. c. I. præmittit *à Doctis viris , neque ſanè abs re , fuiſſe dubitatum , utrùm Innocentii nec-ne ſit Epiſtola? Illud conſtare , cujuſcunque ſit , eam jampridem ſub Innocentii nomine non à recentioribus modò Canoniſtis, & multò vetuſtioribus ſacrorum rituum interpretibus Rabbano, Amalario, aliis ; ſed etiam ab ipſo Iſidoro Hiſpalenſi, qui Epiſcopus anno Domini* DC. *non omnino* CC. *poſt Innocentii mortem annis ordinatus eſt.*

Dallæi obſervationi Dallæum ipſum oppono, qui omni-

bus rite perpensis, agnoscit lib. II. de *Extrema-unctione* esse Innocentii, c. IX. Præiverat Blondellus lib. de Episcopis pag. CXLIV. & CCXI. Observat Dallæus eo loci sub Innocentii nomine fuisse laudatam à Synodis Wormatiensi, Meldensi, Hispalensi, ab Hincmaro, à Nicolao I. à Walafrido, Isidoro Hispal. Addit, à Cresconio in suo *Breviario* memoratam, atque à Dionysio Exiguo, circa initium VI. sæculi in suam collectionem fuisse relatam. Ego authoribus istis adjungo Jonam Aurelian. lib. I. de Institut. laïc. c. VII. & l. III. c. XIV. Amalar. l. I. c. XII. auth. lib. de Divinis offic. c. de Infirmis, Halitgarium Camerac. lib. III. c. XV. Crodogangum Metens. in Regula Canon. c. LXXI. Bedam in Epist. Can. S. Jacobi: qui omnes illam adscribunt Innocentio I. Ejusdem nomen præfert ea Epistola in vetustissimo Codice Corbeïensi, exarato temporibus vigilii Papæ, qui extat in Bibliotheca Sangermanensi.

Dallæus eo præmisso ait I. *Quòd ipsa Decentii Episcopi consultatio ostendit, nondum anno* CCCCXVI. *apud omnes Ecclesias receptum & indubitatum fuisse ut Episcopi soli Chrismarent. Hoc enim jus, si liquidò vel ab Apostolis constitutum, vel majorum saltem authoritate, vel denique Romani alicujus Episcopi, puta Sylvestri lege, apud omnes Christianos jam tùm receptum fuisset; id profectò Decentius, qui Episcopus erat, & quidem Eugubii, civitate Romæ vicinæ ac propemodum suburbanâ, nescire non poterat.*

Respondeo I. hanc objectionem esse de Ministro, de quo non disputatur modò. II. Innocentianæ responsionis verba declarant difficultatem à Decentio propositam esse solutu facillimam: cùm aperta sit ea de re Scripturæ authoritas, certa & fixa Ecclesiæ consuetudo. *De consignandis verò*, inquit, *infantibus manifestum est non ab alio, quàm ab Episcopo fieri debere.* Et postea. *Hæc autem Pontificibus solis deberi, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum.*

Ait II. *Hinc videri quàm exigua haberetur illis sæculis Papalium decretorum ratio, quámque angustis circumscripta esset finibus legum Romæ de Ecclesiasticis ritibus positarum authoritas. Nam quo tempore hæc quærebat ab Innocentio Decentius, anni jam erant elapsi centum, cùm ista, de quibus quærit, definiverat Sylvester. Ergo Sylvestri lex toto illo tot annorum spatio, ne in*

proximam quidem Umbriam, cujus erat Eugubium civitas, ereptare ex Urbe potuerat: nedum ut eam toto statim orbe promulgatam, pronoque omnium obsequio receptam veluti sacrosanctum communis Monarchæ edictum, vel oraculum fuisse putemus; quod est bellum sanè ac suave præsentium Latinorum de suis Papis somnium. Id Sirmondus pro sua eruditione vidit, & pro suo candore observavit his verbis. In Italia ipsa (inquit Antirrhet. II. c. VII. pag. LIII.) vix extra urbem vicinas Ecclesias institutum hoc (de signando à solis Episcopis fronte) tenuisse, illa Decentii Eugubini in Umbria Episcopi consultatio declarat.

Respondeo, consultatione *illa Decentii confici* quidem hisce temporibus decretum Sylvestri de signando à solis Episcopis fronte, non fuisse servatum Eugubii; cæterùm non conficitur, quod vult Sirmondus, in Italia ipsa, vix extra urbem, vicinas Ecclesias non tenuisse hoc institutum. Eâdem illâ consultatione conficitur quoque lex illa violata aut ignorata: sed non conficitur, quòd angustis finibus esset circumscripta (ut vult Dallæus) legum Romæ de Ecclesiasticis ritibus positarum authoritas. Pervenerat Sylvestri decretum Eugubium usque, sicut eò usque liber Actuum Apostolicorum pervenerat. Neque verò latere potuit Eugubinos Ecclesiastica consuetudo; *& quod longè* probabilius est, decretum istud per aliquod tempus Eugubii servatum fuerat. Et tamen contra Sylvestri decretum, contra consuetudinem Ecclesiasticam, contra manifestissima Scripturæ testimonia, nonnulli, ac fortè etiam quidam è Decentii prædecessoribus, passi fuerant, aut etiam statuerant alios ab Episcopo consignare Chrismate frontes baptizatorum. Decentius hinc suorum fortè prædecessorum exemplo, & nuperâ quorumdam praxi, aliqua ratione commotus, inde edoctus authoritate Scripturarum atque Romanæ Ecclesiæ consuetudine, interrogat Innocentium, qui responsurus in hæc verba præfatur. *Si instituta Ecclesiastica, ut sunt à beatis Apostolis tradita, integra vellent servare Domini Sacerdotes; nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus & consecrationibus haberetur. Sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit hoc æstimat esse tenendum; inde diversa in diversis locis vel Ecclesiis aut teneri aut celebrari videntur, ac fit scandalum populis, qui dum nesciunt traditiones antiquas, humanâ præ-*

sumptione

ſumptione corruptas putant ſibi aut Eccleſias non convenire, aut ab Apoſtolis vel ab Apoſtolicis viris contrarietatem inductam. Et infrà. *Sæpe dilectionem tuam ad Urbem veniſſe, ac nobiſcum in Eccleſia conveniſſe, & quem morem vel in conſecrandis myſteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognoviſſe dubium non eſt. Quod ſufficere ad informationem Eccleſiæ tuæ vel reformationem (ſi Prædeceſſores tui minùs aliquid aut aliter tenuerunt) ſatìs certum haberemus, niſi de aliquibus conſulendos nos eſſe duxiſſes. Quibus idcirco reſpondemus, non quòd te aliqua ignorare credamus; ſed ut majori authoritate vel tuos inſtituas, vel ſi qui à Romanæ Eccleſiæ inſtitutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas: ut ſcire valeamus, qui ſint qui aut novitates inducunt, aut alterius Eccleſiæ quàm Romanæ exiſtimant conſuetudinem eſſe ſervandam.* Ex quibus verbis colligitur Decentium ideo interrogaſſe de iſtis Innocentium, quia tanta corruptela mentes hominum occupaverat, ut unuſquiſque *non quod traditum*, ſed *quod ſibi viſum fuerat* æſtimaret eſſe tenendum, & nonnulli iſtis in rebus ab inſtitutionibus Eccleſiæ Romanæ penitus aberaſſe viderentur: cui abuſui neque meliùs neque validiùs Præſul ille obſiſti poſſe judicavit, quàm ſi fretus authoritate Romani Pontificis, cuncta revocaret ad traditionem Apoſtolicam, atque ad Eccleſiæ Romanæ inſtitutionem. Certè ſi conſultatio Decentii declarare videtur exiguam fuiſſe habitam illis ſæculis Papalium decretorum rationem: at reſponſio Innocentii planè convincit, non aliis exiguam fuiſſe habitam, quàm qui culpabili præſumptione ſequi detrectabant ſicuti debebant, Eccleſiæ Romanæ inſtitutiones. *Quis enim neſciat*, inquit Innoc. *aut non advertat, id quod à Principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, ab omnibus debere ſervari?* Si conſultatio Decentii declarare videtur, nondum ad Umbriam uſque perveniſſe Sylveſtri decretum ante centum annos editum: at reſponſio Innocentii ſignificat perveniſſe, imò & ſervatum fuiſſe, donec obſervari deſierit ab inducentibus novitates. Si conſultatio Decentii declarare videtur anguſtis finibus circumſcriptam fuiſſe Sylveſtri legem, ut pote quæ nec in Umbria ipsa vigeret: at reſponſio Innocentii oſtendit, aut ignoranter, aut certè non impunè limites iſtos ei legi fuiſſe præfixos. *Ut majori*, inquit, *authoritate tuos inſtituas, vel, ſi qui à Romanæ Eccleſiæ*

institutionibus errant, aut commoneas, aut indicare non differas: ut scire valeamus, qui sint qui aut novitates inducunt, aut alterius Ecclesiæ quàm Romanæ existimant consuetudinem esse servandam. Uno verbo, consultatio Decentii ostendit, quòd exigua nonnullis haberetur ratio decretorum Papalium: responsio Innocentii ostendit, quòd maxima deberet haberi. Consultatio ostendit quòd Sylvestri decretum non servabatur Eugubii: responsio ostendit quòd servari deberet, & quòd si non servaretur, id ex ignorantia factum erat, vel ex præsumptione novitates inducentium; cui vel ignorantiæ vel præsumptioni quantocius mederi oportebat.

Ait III. Dallæus. *Sed & in ipsa Epistola quanto supercilio sua dictata profundit?* MANIFESTUM EST, *inquit*, NON AB ALIO QUAM AB EPISCOPO CONSIGNARI INFANTES LICERE. *Quid ita, quæso?* NAM, *inquit*, PRESBYTERI LICET SINT SACERDOTES, PONTIFICATÛS TAMEN APICEM NON HABENT. *Quid istâ ratiocinatione absurdius fingi potest?* 1. *An sit aliquis Pontificatûs apex, quo Presbyter careat, non immeritò dubitatur, & ab ipso adhuc tùm superstite Hieronymo definitum esse, nullo Divino jure niti istum apicem facilè scire potuit Innocentius. Jam si hoc, quod totius ratiocinationis fundamentum est, dubium ipsum & obscurum atque incertum, imò & falso longè propius est, quomodo manifestum est id quod hinc iste colligit? Sed esto tamen. Eo Pontificatûs apice quem habebant (sed jure merè Ecclesiastico) illius temporis Episcopi, caruerint Presbyteri; an propterea consequens est ut ii consignare non possint? Atqui, etiam sinè illo apice baptizant, Eucharistiam conficiunt, etiam ex te, Innocenti, Chrismant. Qui tot tantaque, quamquam nullo apice insignes, præstant; quis eos quæso, si sanæ mentis sit, consignare non posse, non dico manifestum, sed vel probabile eò fieri putaverit, quòd illo tuo apice carent?*

Respondeo, neminem in Ecclesia, neque Hieronymum ipsum dubitavisse, quin Pontificatûs apex esset in Episcopis, qui non est in Presbyteris: quâ de re suus erit dicendi locus, ubi ostendetur quo jure Episcopi sint Presbyteris superiores. Dallæus agnoscit temporibus Innocentii Presbyteros apice Pontificatûs, introducto jure Ecclesiastico, caruisse. Sufficit ad præsens institutum. Quærit, an propterea sit consequens, ut ii consignare non possint? Respondet Innocentius, consequens esse. At, inquit, Presbyteri baptizant,

Euchariſtiam conficiunt, imò & ex Innocentio ipſo, Chriſmant in vertice : cur non in fronte ? Reſpondet Innocentius : ne conſignent baptizatos in fronte ad tradendum Spiritum ſanctum, prohibere librum Actorum Apoſtolicorum & Eccleſiæ conſuetudinem. Addit Dallæus, & audet ſcribere, eum non eſſe ſanæ mentis qui ita ſenſerit. Hoc ſi licet illi ſcribere, licebit quoque inſanos habere Cyprianum Epiſt. LXXIII. ad Jubaïanum, Chryſoſt. ad cap. VIII. Actor. Hieron. Dialogo adversùs Lucifer. & Auguſt. lib. XV. de Trinit. cap. XXVI. agnoſcentes poteſtatem in ſolis Epiſcopis tradendi Spiritum ſanctum per Sacramentum Confirmationis, quibus Eliberitani Patres accenſeri poſſunt.

Ait IV. *Ejuſdem ſunt farinæ quæ ſequuntur.* I. ILLUD CONSUETUDINEM ECCLESIÆ DEMONSTRARE, SOLIS PONTIFICIBUS DEBERI UT VEL CONSIGNENT, VEL PARACLETUM SPIRITUM TRADANT. *Si de univerſa Eccleſia (quod abſurdiſſimum ſomniat Aurelius) hæc diceret Innocentius, falſi manifeſtus eſſet. Nam planè contrariam fuiſſe, non modò Græcæ ſive Orientales, ſed etiam Africanæ & Hiſpanicæ & Gallicanæ, imò & Sardinienſis, in Romanæ vicinia, Eccleſiæ conſuetudinem, & fatetur ac probat Sirmondus. Sed Innocentium (ut mihi quidem videtur) calumniatur Aurelius, dum hanc ei mentem fuiſſe vult. Ille verò de ſua una, id eſt, Romana, ſive urbica Eccleſia loquitur. Ejus unius conſuetudinem idoneum cenſet argumentum, ad demonſtrandum quid eſſet in ea cauſa juris. Nimirum Innocentius, qui iſtorum Romæ Antiſtitum vetus eſt jam ab antiquiſſimis temporibus morbus, ſibi perſuaſerat, nihil Romæ ſuæ fieri, quod non eſſet Apoſtolicum ac Divinum, & omnibus omnino Chriſtianis ſequendum.* Et poſtea. *Quod ille, velut principium quoddam notiſſimum aſſumit, ſuæ Eccleſiæ eam vim eſſe atque dignitatem, ut quicquid illa obſervat, id obſervari debeat, nego. Negaverant jampridem Cyprianus & Firmilianus : neſciverant omnes penè Eccleſiæ, quæ etiam poſt invectum illud Epiſcopis à Sylveſtro collatum privilegium, ſuorum Presbyterorum in Neophytis conſignandis, manu & operâ, annis jam penè centum, in Africa & in Hiſpania utebantur. Neſciverunt etiam poſt hanc Innocentii Decretalem, Gallicanæ, Sardinienſis, Hiſpanicæ Eccleſiæ : quas (quod mox demonſtrabitur) diverſum à Romano morem, annis propemodum ducentis retinuiſſe conſtat.*

Reſpondeo Innocentium loqui de Eccleſiis erectis *à Petro*

Apostolo, aut ab ejus in Romana Cathedra successoribus: præsertim verò Italicis, Gallicanis, Hispanicis, Africanis, Siculis, atque iis etiam quæ Insulis interjacentibus continentur, ut ipse contextus Epistolæ clamat. Istarum Ecclesiarum consuetudo non fuit contraria consuetudini Romanæ Ecclesiæ, imò neque Orientalium Ecclesiarum : sicut suo loco demonstraturi sumus, respondentes Sirmondi Dallæique objectionibus. Imponit Innocentio, & affingit, quòd velut principium quoddam notissimum assumpserit, suæ Ecclesiæ eam vim esse atque dignitatem, ut quicquid illa observat, id observari debeat ab omnibus omnino Christianis. Non ita sanè loquitur. Loquitur de Ecclesiis solis quæ fundatæ sunt à Petro vel à Romanis Pontificibus, in quibus nullus alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse. Dicit, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum. Quo quid certius? Cyprianus & Firmilianus, ubi de Baptismo Hæreticorum, recesserunt quidem ab Ecclesiæ Romanæ consuetudine, sed simul illi quoque ab Apostolica traditione & à veritate alieni facti sunt. Ecclesiæ Africanæ & Hispanicæ, à temporibus Sylvestri ad Innocentium usque, Sylvestri decreto paruerunt. Gallicanæ, Sardiniensis & Hispanicæ, Innocentii Decretalem totis ducentis annis ab ejus promulgatione exactè atque ad amussim observaverunt.

Ait v. *Sed neque levior est Innocentii illa qua sequitur deliratio, qui* CONSIGNATIONIS SEU CHRISMATIONIS jus SOLIS EPISCOPIS DEBERI, *demonstrare ait illam* LECTIONEM ACTUUM APOSTOLORUM, QUÆ ASSERIT PETRUM ET JOANNEM ESSE DIRECTOS, QUI JAM BAPTIZATIS TRADERENT SPIRITUM SANCTUM. I. *De consignatione sive Chrismatione nullum in Actis verbum. Manus imponere planè aliud est quàm Chrismare. Ergo ridiculus est, qui ex eo quòd Apostoli Neophytis manum imposuerunt, concludit solis Episcopis Chrismandi jus esse. Tum, fac Apostolos (quod nulla Actuum, nulla Divina illius Scriptura lectio asserit) Neophytos Chrismasse; quâ ratione inde conficies, non aliis* QUAM EPISCOPIS *licere Chrismare? Suntne Episcopi Apostoli? Vel an quæ Apostoli fecerunt, ea Episcopis vel omnia, vel solis facere licet?*......

Cur tâ Presbyterum magìs excludam quàm Episcopum?.... Neque est quòd regerat Innocentius, Philippum manus nequaquam imposuisse. Primùm, hoc si negavero, unde iste probabit? Certè & Chrysostomus refert, & Oecumenius sequitur hanc interpretationem, Philippum ideo manus non imposuisse Samaritanis, non quòd non liceret, sed quòd honoris causâ id Apostolis peragendum servare maluerit, quàm ipse peragere. Sed hoc quidem mitto. Illud rogo, quâ necessitate concludas Presbyteris non licere, quod Philippo non licuit? Philippus enim non Presbyter, sed Diaconus fuit.

Respondeo, Innocentium loqui de consignatione seu Chrismatione junctâ manûs impositioni, quâ Spiritus sanctus traditur Neophytis. Hæc, si jure Divino annexa sit manûs impositioni, commemoratur in Actis implicitè, quia ibi agitur de manûs impositione ei adjunctâ jure Divino. Quòd si ea Chrismatio sit Ecclesiastico duntaxat jure connexa manûs impositioni per quam Spiritus sanctus traditur, in illo libro commemoratur, quam Innocentius ibi nomine ritus sui nuncupavit. Crediderim Innocentio visum fuisse, quòd Chrismatio est jure Divino annexa manûs impositioni, per quam Spiritus sanctus confertur baptizatis; id quippe modus iste loquendi illius persuadere videtur. Jam verò si quæras, unde quòd licebat Apostolis Chrismare, liceat Episcopis? Respondeo, id eis licere, quia consignatio ista seu manûs impositio res erat ordinaria Apostolorum, quorum Episcopi sunt successores. Si quæris præterea, unde illis solis liceat, & cur Presbyteri magìs excludantur quàm Episcopi? Respondeo, quia Episcopi habent Pontificatûs apicem, quo carent Presbyteri. Deinde, quòd traditio, optima interpres Scripturæ, doceat id muneris reservatum esse solis Episcopis: sicuti testimonia Cypriani, Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, & Concilii Eliberitani certissimè confirmant. Frustra Dallæus insudat in refellendo Innocentium, quasi ille regerat Philippum manus nequaquam imposuisse Samaritanis Neophytis, probaturus hoc munus proprium esse ac singulare Episcoporum. Nam Innocentius de eo ne quidem cogitavit. Totam vim suam in duobus duntaxat facit. I. in illo Actorum, quo constat, non Presbyteros, sed Apostolos Petrum & Joannem missos fuisse in Samariam. II. in consuetudine & traditione Ecclesiastica. Tertium nullum adducit argumentum.

Philippus si Diaconus erat, potestate illa confirmatoria manus imponendi carebat, quamvis aliâ polleret, dandi scilicet gratias gratìs datas. Si Apostolus erat, habebat potestatem imponendi manus confirmatorias. Neque Chrysostomus & Oecumenius reluctantur, sed in hanc nostram sententiam toti incumbunt. Sic enim Chrysostomus habet. *Vel forsan, quia Philippus in hoc Apostolos brevi venturos honorabat, vel quòd hoc donum non habebat. Erat enim ex septem illis, id quod magìs videtur dicendum. Unde, meâ sententiâ, Philippus unus ex septem erat secundus à Stephano. Ideo & baptizans Spiritum sanctum non dabat: neque enim facultatem habebat. Hoc enim donum solorum Apostolorum erat.* Et postea. *Igitur hoc erat in Apostolis singulare. Unde & præcipuos, & non alios videmus hoc facere.* Et Oecumenius ad caput IX. Actorum probat in hunc modum Philippum unum ex VII. Diaconis profectum fuisse ad Samaritanos. *Si unus erat Apostolorum, cùm in Samaria baptizaret, habebat utique authoritatem doni Spiritûs: & nequaquam Petrus & Joannes à Hierosolymis ad eos descendentes Spiritus gratiam illis tribuissent.* Et c. X. *Philippus unus erat ex* VII. *quum Diaconus esset, potestatem non habebat, ut ad manuum suarum impositionem daret Spiritum sanctum.* Et infrà. *Manifestum est eos, qui à Philippo in Samaria baptizati erant, non accepisse Spiritum sanctum, eo quòd donum hujusmodi non haberet: quandoquidem, ut diximus hic unus de* VII. *erat. Nam hi virtutem quidem ad edenda signa acceperant, non autem ut cæteris quoque darent hujusmodi Spiritum: hoc enim Apostolis servatum erat. Præterea Philippus in eos qui à se baptizati erant, Spiritum illabi non fecit, honorans videlicet Apostolos. Neque enim tanquam abjectus & indignus (quandò etiam de ipso proditum est, quòd signa ediderit in sanitatibus morborum, ejectionibusque dæmonum;) sed quòd non oraverit, ut hoc illis contingeret.* Quæ postrema verba intelliguntur non de potestate conferendi Confirmationem, sed de potestate conferendarum duntaxat gratiarum gratìs datarum per orationem.

Ait VI. *Ne ipse quidem Innocentius suam demonstrationem hanc quidquam valere, vel sibi sequendam esse putavit. Nam si quid ea valet, conficit ne Presbyterum Chrismare fas sit. Ipse vero statim, velut repente omnis suæ demonstrationis oblitus,* PRESBYTERIS CONCEDIT, UT BAPTIZATOS, SEU ABSENTE, SEU ETIAM PRÆSENTE EPISCOPO, CHRISMATE UNGANT....

Quòd verò Presbyteris Chrismare quidem concedit, sed EXTRA FRONTEM, *quem uni Episcopo servat; id inquam planè joculare est & dignum tanto Dialectico somnium. Unde enim hoc habet? Ex quibus Actibus id hausit? Ex quo saltem Ecclesiæ Canone? Ut fingamus Chrismavisse Apostolos; unde discemus quam partem corporis Chrismaverint? Cur frontem potiùs quàm vel pectus, vel verticem Chrismasse eos suspicabimur? Quod verò frontem Presbyteris eripit, temerè id, & ex sola libidine, absque ulla ratione facit.*

Respondeo, Innocentianam demonstrationem valere ad probandum fas non esse Presbyteris Chrismare eâ Chrismatione quâ Spiritus sanctus traditur. Cujus suæ demonstrationis nullatenùs oblitus est, quando concedit Presbyteris Chrismandi facultatem: quia quam concedit illis, ea non est collativa Spiritus sancti; & quam iisdem prohibet, ea confert Spiritum. Confertur quippe non per quamlibet, sed per Chrismationem in fronte. Quærit Dallæus unde haustum illud sit? ex quibus Actibus? ex quo Canone? Ipse Innocentius occurrit inquisitioni Dallæi, præfatus hanc esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, quæ custodivit tenaciter, quod sibi Petrus Apostolorum Princeps tradidit custodiendum.

S. AUGUSTINUS.

Vixit ad annum usque CCCCXXX. Multa de Confirmatione docuit, quæ omnia facilè revocantur ad duas classes. Prior ea continent quæ de *manûs impositione*. Posterior includit cætera quæ ad *Chrismationem* spectant.

De *manûs impositione* locutus est Exposit. in Epist. ad Rom. Tract. VI. in I. Joann. lib. III. de Bapt. contra Donat. c. XVI. & lib. XV. de Trinit. c. XXVI. Docet I. loco, manûs impositionem usurpari in consecrandis fidelibus, neque magìs eam iterari posse quàm Baptismum. II. loco ait esse Sacramentum cujus virtus seu effectus est charitas. III. loco, pronunciat Spiritum sanctum, quo nomine majores nostri charitatem intellexerunt, in sola Ecclesia Catholica dari per manûs impositionem. IV. denique loco asserit hanc manuum impositionem eandem esse cum manûs impositione, quâ orantes Apostoli Spiritum sanctum invocabant super Neophytos, & hanc à præpositis Ecclesiæ fieri. Verba refero.

Expoſitione inchoata in Epiſt. ad Rom. versùs finem, expendens illud Hebr. VI. NON RURSUM JACIENTES FUNDAMENTUM POENITENTIÆ AB OPERIBUS MORTUIS, ET FIDEI IN DEUM, LAVACRI DOCTRINÆ, IMPOSITIONIS QUOQUE MANUUM &c. ſcribit. *Iſta omnia in Baptiſmo traduntur, quæ negat eſſe repetenda, utique in conſecrandis fidelibus. Nam in verbi Dei tractatione atque doctrina, non iterum tantùm, ſed ſæpiùs dicenda ſunt, ſicut rerum de quibus diſſeritur opportunitas flagitat.* Vides impoſitionem manuum iterari non poſſe ſicut Baptiſmus non iteratur, & quòd ea in conſecrandis fidelibus adhibetur.

Tract. VI. in I. Epiſt. S. Joan. *Primis*, inquit, *temporibus cadebat ſuper credentes Spiritus ſanctus, & loquebantur linguis quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronunciare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita ſignificari in omnibus linguis Spiritum ſanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas curſurum erat toto orbe terrarum. Significatum eſt illud & tranſiit. Nunquid modò quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur ut linguis loquantur? Aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit unuſquiſque veſtrûm utrùm linguis loquerentur? & cùm videret eos linguis non loqui, ita perverſo corde aliquis veſtrum fuit ut diceret: Non acceperunt iſti Spiritum ſanctum, nam ſi accepiſſent, linguis loquerentur, quemadmodum tunc factum eſt? Si ergo per hæc miracula modò teſtimonium præſentiæ Spiritus ſancti non fit, unde cognoſcit quiſque accepiſſe ſe Spiritum ſanctum? Interroget cor ſuum. Si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo.* Et poſtea. *Ergo ſi vis noſſe quia accepiſti Spiritum ſanctum, interroga cor tuum: ne forte Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas.* Audis manuum impoſitionem infantibus, hoc eſt, recèns baptizatis, vocari *Sacramentum*, ejuſdemque *Sacramenti virtutem* dici charitatem Dei, ſeu Spiritum dilectionis.

Libro III. de Baptiſmo c. XVI. *Spiritus autem ſanctus, quòd in ſolâ Catholicâ per manûs impoſitionem dari dicitur, nimirum, hoc intelligi majores noſtri voluerunt quod Apoſtolus ait:* QUONIAM CHARITAS DEI DIFFUSA EST IN CORDIBUS NOSTRIS PER SPIRITUM SANCTUM QUI DATUS EST NOBIS. Et poſtea. *Non autem habent Dei charitatem qui Eccleſiæ non diligunt unitatem; ac per hoc rectè intelligitur dici, non ac-*

cipi

cipi nisi in Catholica Spiritus sanctus. Neque enim temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus, per manûs impositionem modò datur Spiritus sanctus, sicut antea dabatur, ad commendationem rudis fidei & Ecclesiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, ut ii quibus manus ad accipiendum Spiritum sanctum imponitur, repente incipiant linguis loqui? Sed invisibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis eorum cordibus divina charitas inspirari. Eò loci expressè habetur manûs impositio confirmatoria dare Spiritum sanctum, quo nomine intelligitur charitas Dei.

Lib. xv. de Trinit. c. xxvi. *Quomodo, inquit, Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imò quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Et infrà. *Nos autem accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere autem super alios non utique possumus, sed ut hoc fiat, Deum super eos à quo hoc efficitur, invocamus.* Ecce Spiritum sanctum descendentem ad invocationem & orationem præpositorum Ecclesiæ manus imponentium: quod quid est, nisi Sacramentum Confirmationis propriè dictum?

Viderit ante omnia Dallæus, quid sit dicturus ad ea verba Calvini lib. iv. Instit. c. xix. §. vi. *Ubi gratia illa* (scilicet miraculorum) *conferri desiit: quorsum pertinet manuum impositio?* Desierat quippe illa gratia temporibus Augustini, & iisdem temporibus remanebat ista manûs impositio. Certè non aliâ de causâ, nisi quia alius est ejus effectus à gratia gratìs data, isque gratia gratum faciens.

Sed quoniam probè norat se frustra tempus consumpturum in conciliando Calvino cum Sancto Augustino, totus in eo esse voluit ut ostenderet suam doctrinam Augustinianæ minimè repugnare. Quod ut præstaret, lib. ii. c. xxiv. præmisit sibi facile esse authoritatibus relatis respondere id quod eisdem respondent Theologi sustinentes Chrismationem esse materiam adæquatam Sacramenti Confirmationis, ut videlicet Spiritus sanctus datus intelligatur, non ipsius propriè manûs impositionis, sed ejus Sacramenti vi, cui illa cæremonia adnexa erat: cum hoc solo discrimine, quòd eam illi quidem Confirmationis, ipse verò Baptismi cæremoniam fuisse censeat.

Sed contrà. I. Ut hæc responsio Dallæi valeret, supponere deberet apud Augustinum manûs impositionem Confirmatoriam pertinere ad Sacramentum Baptismi, tanquam ejus puram putamque cæremoniam: quæ suppositio falsa est, & à sancti Patris doctrinâ prorsus aliena, apud quem id est baptizatis manûs impositio modò, quod olim erat quando *temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus* dabatur Spiritus sanctus, in Actis Apostolorum. At hæc manûs impositio nullatenus pertinebat ad Baptismum tanquam illius ritus atque cæremonia. II. Ut Dallæus de locis istis Augustini diceret id quod dicunt Theologi, quibus unica Chrismatio censetur esse materia essentialis Confirmationis: oporteret sanctum Patrem sejunxisse manûs impositionem à Chrismatione; nec utrique saltem simul junctæ attribuisse gratiam tanquam effectum proprium & specialem. Atqui non sejunxit, imò conjunxit utramque, ut videre est loco cit. lib. XV. de Trinit. in quo locutus de manûs impositione subjunxit verbis suprà relatis: *Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento quo baptizatos ungit Ecclesia.* Et sic utramque conjungendo, attribuit utrique effectum quem non habet cum Baptismo communem, quemque alibi nuncupavit *virtutem Sacramenti.* III. Effectus Sacramenti nunquam attribuitur ritui ejus, sed quando videtur illi tribui, hinc contingit, quòd Sacramentum nomine ritus sui aliquando nuncupatur. Sic pœnitentia dicitur *manûs impositio*, Eucharistia *Synaxis* appellatur, ipsaque Confirmatio vocatur *consignatio.*

Subjungit Dallæus, non pauca se contra nos in his Augustini habere observanda. Ac illud quidem. I. *Quòd ritum impositionis manuum, quem vetus Ecclesia ad Augustinum & infrà servavit, penitus antiquaverimus, quo satis superque testati sumus, omnes istos Ecclesiastico jure Baptismo adjunctos ritus, pro cæremoniis nullo divino mandato in usum publicum invectis habere. Neque enim de Chrismatione, quam retinuimus, quidquam nos ex veteribus proferre, cujus non possit simile aliquod de manûs impositione veterum dictum afferri. Hanc tamen abolere nulla nobis religio fuit. Quòd ergo Chrismationem retinemus, id nulla, ut apparet, religio, sed una libido nullis fulta aut impulsa rationibus efficit.*

Respondeo, ritum impositionis manuum, quem vetus Ec-

clesia servavit ad Augustinum & infrà, nunc etiam servare Ecclesiam: & quemadmodum non servabat illum tanquam ritum adjunctum Baptismo, nunc etiam servat tanquam ritum à Baptismo planè alienum. Pontificales libri quibus utimur, habent expressè Episcopum *manus extendere versùs confirmandos.* Theologorum nonnulli aiunt tùm imponi manus ab Episcopo cùm Chrismat: & si qui velint confirmandos Chrismate perungi loco manûs impositionis, illi statim se se explicant dicendo, Christum genericè duntaxat determinasse materiam Confirmationis, dedisseque potestatem Ecclesiæ determinandi eam specificè. Sic apud authores istos Chrisma est de institutione Christi mediata.

II. inquit Dallæus. *Hinc discimus totum hunc manûs Neophytis imponendæ ritum, non à Christi vel Apostolorum mandato, sed à majorum, id est, anteriorum Episcoporum authoritate atque usu extitisse.* QUOD SPIRITUS SANCTUS IN SOLA CATHOLICA PER MANÛS IMPOSITIONEM DARI DICITUR, NIMIRUM HOC, *inquit*, INTELLIGI MAJORES NOSTRI VOLUERUNT. *Vides, ut majoribus totum hunc ritum ejusque significationem tribuat.*

Respondeo. Non ita est. Quod ab homine puro est, & non est à Christo, non habet vim conferendæ charitatis. At, ex Augustino, *Spiritus sanctus, quo nomine majores intellexere charitatem*, de qua Apostolus, traditur per manus impositionem. Hæc itaque manus impositio Divinæ est & non humanæ duntaxat institutionis. Augustinus nequaquam verbis istis attribuit institutionem Confirmationis *majoribus*: dicit tantùm majoribus, seu apud majores, nomine Spiritus sancti hîc intelligi charitatem. Sicque sensus Augustini militat pro nostra sententia: quia manûs impositio, quâ charitas ponitur in cordibus fidelium, est Sacramentum propriè dictum.

At, inquit Spalatensis num. XXXII. verba illa (*dari dicitur*) significant Spiritum sanctum non esse effectum manûs impositionis confirmatoriæ. Et hæc manûs impositio Apostolica primum erat ad impetrandum Spiritum sanctum non absolutè, sed quoad effectus quosdam sensibiles & gratias gratis datas. Deinde Ecclesia illam retinuit ad imitationem, & fortasse ex institutione Apostolorum, non ad dandum, sed ad impetrandum Spiritum sanctum super baptizatos, ad effectus

invisibiles, præsertim charitatis, hoc est, ad exorandam stabilitatem & perseverantiam cum incrementis. Et Apostoli tali manuum impositione obtinebant gratias gratìs datas ex opere tantùm operantis : quia obtinebant illam per orationem. Quantò magis & nos consequimur gratias interiores ex opere operantis duntaxat.

Respondeo, sensum verborum istorum esse : per impositionem manuum dari charitatem, quæ dicitur, seu nuncupatur Spiritus sanctus. Apostolica manuum impositio erat ad conferendas gratias gratìs datas, & gratum facientes; illas, tanquam *signa tempori opportuna & transeuntia*, has autem tanquam effectus *permanentes*. Et hæc eorum oratio ut & nostra non erat purè impetratoria, sed Sacramentalis : adeoque operans ex opere operato.

III. ait Dallæus. *Augustinus rotundè fatetur, imò docet impositam olim Neophytis ab Apostolis manum ad miraculosam Spiritus sancti operationem pertinuisse : tum operationem illam Spiritûs signum fuisse primis Ecclesiæ temporibus opportunum; itaque transiisse, adeoque desiisse ritum, qui ad eam referebatur Apostolicam manûs impositionem; neque ab ea qua nunc datur quicquam ejus generis expectari. Cùm ergo ritûs natura ab eo ad quod is refertur pendeat, necesse est diversam esse utriusque Apostolici & Ecclesiastici ex Augustino naturam : cùm illud, ad signum quod* TRANSIIT; *hunc ad donum quod* MANSIT *referri ac pertinere putaverit.*

Respondeo, non id solùm dicit Augustinus. Adjicit Ecclesiam etiamnum in suis præpositis servare morem imponendi manus, quem Apostoli in Actis usurpaverunt. *Quem morem*, inquit, *in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Et alibi. *Spiritus autem sanctus, quòd in solâ Catholica per manûs impositionem dari dicitur.* Non quidem ut tradat Spiritum sanctum temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus, sicut antea dabatur ad commendationem rudis fidei, & ad Ecclesiæ primordia dilatanda, quæ signa erant tempori opportuna, & transiere: sed ut tradat conferatque sinè illis signis attestantibus, Spiritum sanctum, hoc est, charitatem. Ejusdem generis est primorum temporum manûs impositio cum nostra. Id solùm discriminis intercedit inter utramque, quòd effectus prioris demonstraretur per signa exteriora, cùm è contra posterior nulla ejusmodi signa habeat,

quæ manifestent charitatem nostris cordibus inhærentem.

IV. ait Dallæus. *Docet Augustinus, quæ fuerit illius Ecclesiastica manûs impositionis ex majorum sensu ratio, & quid intelligi voluerint, cùm Spiritum sanctum per eam dari dixerunt. Nempe eo significari, charitatem, quæ sola salutaris est Spiritus sancti operatio & gratia, non alios habere, quam qui in Ecclesiæ unitate sunt. Imponebatur enim manus iis qui in Ecclesiam vel simpliciter per Baptismum, vel ex hæresi per ejus abnegationem ingrediebantur. Cùm ergo charitatem non habeant qui extra Catholicæ Ecclesiæ unitatem sunt, qui in Ecclesiam ingrediebantur, eo testabantur se non alia, quæ etiam extra Ecclesiam haberi possunt, sed hoc charitatis donum, quod extra eam non est, accepisse. Itaque Spiritum sanctum per manûs impositionem accipere dicebantur, quòd per hunc ritum in Ecclesiam ingrederentur, in cujus unitatem nemo propriè admittitur, nisi qui hoc Spiritûs donum, id est charitatem accipiat. Ea ergo manûs impositio non tam aliquid per se efficiebat, quàm quid fieret indicabat.*

Respondeo. Augustinum aliud omnino intellexisse, quàm quod illum Dallæus intellexisse putat, ex eo perspicuum fit. I. quòd sensus connaturalis verborum sancti Doctoris sit, impositionem hanc manuum per se effecisse charitatem. *Spiritus sanctus*, inquit, *per manûs impositionem dari dicitur.* II. Charitas ista cognominatur virtus Sacramenti. *Ne fortè Sacramentum habeas, & virtutem Sacramenti non habeas.* Virtus Sacramenti est efficienter à Sacramento. III. hæc manûs impositio eodem se se habet modo ad Spiritum sanctum qui nunc datur Neophytis, quo habebat se olim respectu Spiritus sancti, qui signis visibilibus attestantibus descendebat in fideles. At Spiritus sanctus dabatur olim Neophytis per manûs impositionem, tanquam per causam efficientem instrumentalem.

V. ait. *Augustinus præpositos manum imponentes statuit, non ipsos Spiritum sanctum dare, sed orare duntaxat ut veniat in eos quibus manum imponunt. Ergo non ex opere operato, sed ex opere operantis Spiritus per manûs impositionem dabatur.*

Respondeo. Augustinus utrumque statuit, præpositos orare ut detur Spiritus sanctus, & præpositos dare Spiritum sanctum. Dant & non dant. Non dant ut causæ principes: non dant ut Deus. *Quomodo*, inquit, *Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? Imò quantus Deus, qui dat Deum? Neque enim*

aliquis Discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Dant tamen Spiritum sanctum. Unde ille: *Spiritus autem sanctus, quòd in sola Catholica per manûs impositionem dari dicitur.* Et dant tanquam causæ ministeriales: quia hæc gratia est virtus Sacramenti. Frequens est & usu recepta hæc loquendi ratio apud Patres. Sic Isidorus Hispal. lib. II. de Officiis cap. ultimo. *Post Baptismum per Episcopos datur Spiritus sanctus.* Et postea. *Spiritum sanctum dare non possumus, sed ut detur, Deum invocamus.*

VI. ait. *Ipsa hujus ritus forma alia apud veteres fuit, quàm nunc est apud Latinos. Nam Latini quidem confirmativi hujus ritus sui formam his conceptis verbis :* SIGNO TE, CONFIRMO TE *&c. contineri aiunt : quæ, ut liquet, nihil commune habet cum oratione super hominem facta, qua totum veteris manuum impositionis ritum constare ac concludi definit Augustinus.*

Respondeo. Latini ut manum imponunt, sic orant super Neophytos. Chrismationem subjungunt manûs impositioni, & Chrismando proferunt istam formam : *Signo te &c.* Augustinus testis est, suo tempore manus impositas, & Chrismate frontem Neophytorum fuisse delibutum. Unde ergo venit in mentem Dallæi, formam unicam Confirmationis Augustino fuisse, cujus est duplex materia ? Cæterum quid juvat disputatio de verbis in quibus forma Sacramenti est posita, ad negandum Confirmationem esse Sacramentum Legis novæ ?

Ait VIII. *Quòd Augustinus actum illum suum ad Spiritum sanctum tradendum fieri solitum, iterari posse affirmat.* MANUS AUTEM, *inquit*, IMPOSITIO NON SICUT BAPTISMUS REPETI NON POTEST. *Latini suam Confirmationem non magìs quàm Baptismum repeti posse docent.*

Respondeo. Augustino, Expositione citatâ Epist. ad Romanos, manûs impositio confirmatoria, juxta sensum Apostoli, Hebræorum VI. repeti non debet. *Quæ negat*, inquit, *esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus.* Ergo manûs impositionem, de quâ Augustinus lib. III. de Bapt. c. XVI. pronunciat, quòd non sicut Baptismus, repeti non potest, aliam esse oportet à confirmatoria. Quæ ergo ? Reconciliatoria : ea scilicet quâ conversi ab hæresi reconciliabantur Ecclesiæ. De hac ibi loquitur, cùm antea locutus fuisset de confirmato-

ria, ut conficiat charitatem haberi non posse extra Ecclesiam. Ait I. quòd aliud sit Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit; aliud operatio Spiritus ejusdem, quam nisi boni habere non possunt, sicut est finis præcepti charitas. II. quòd, quodlibet Hæretici & Schismatici accipiant, charitas est proprium donum Catholicæ unitatis & pacis: nec ejus in omnibus, quia nec ejus sunt omnes. III. quòd charitas non est extra illam unitatem. IV. quòd manûs impositio non sicut Baptismus repeti non potest, ut videlicet reconcilientur per eam Ecclesiasticæ unitati & paci, extra quam charitas non est. At, inquies, manûs impositio reconciliatoria conversorum ab hæresi, diversa non fuit ab ea, quam Neophyti suscipiebant: non magìs quam Eucharistia quæ dabatur reconciliatis ex hæresi, diversa erat ab ea, quæ porrigebatur Neophytis post Chrisma & manûs impositionem. Imò vero Augustinus diversam esse pertendit, quia quod repeti potest diversum est ab eo quod non iteratur. Confirmatoria ex Augustino, repeti non potest, sicut Baptismus; & reconciliatoria repeti potest, non sicut Baptismus.

Dices, *Hoc esse Augustinum Sophistam facere, est enim Sophisticum unam eandemque vocem duobus diversis sensibus in eadem disputatione accipere, & ab eorum uno ad alterum argumentari*

Respondeo, Sophisticum equidem illud esse, si nihil Augustinus apposuerit in contextu, quo significaverit se de duplici manus impositione loqui: secùs, si apposuerit aliquid, sicut aliquid re vera apposuisse liquidum evadit legentibus.

Venio ad alios locos, in quibus Augustinus docet, baptizatos inungi solere oleo seu Chrismate, quam unctionem ex oleo seu Chrismate asserit esse Sacramentum non secùs ac Baptismus & Eucharistia sunt Sacramenta, & cujus Sacramenti seu Chrismatis virtus est unctio invisibilis seu charitas.

Lib. XV. de Trinit. c. XXVI. *Unxit eum* (Christum) *Deus Spiritu sancto. Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.*

Lib. V. de Baptismo contra Donat. c. XX. *Quomodo aquam mundat & sanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem Deus est, adest Sacramentis & verbis suis per*

quoslibet administrentur: & Sacramenta Dei ubique recta sunt, & mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt. Et postea. *Cur autem ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ possit tamen Deus oleum sanctificare, & in altari quod Hæretici posuerunt non possit, nescio.* Et infrà. *Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Evangelio :* DEUS PECCATOREM NON AUDIT : *ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur : quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum quibus manus imponitur ?* Audis Confirmationem, quæ nomine *olei* exprimitur, appellari *Sacramentum* non semel, & ejusdem generis censeri cum *Baptismo* & *Eucharistia*, à quibus distinguitur.

Lib. II. contra litteras Petiliani c. CIV. ubi interpretatur hæc verba Psalmi CXXXII. *Sicut unguentum in capite &c. Et in hoc unguento*, inquit, *Sacramentum Chrismatis vultis interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus.* Vides appellari *Sacramentum Chrismatis*, & dici *sacrosanctum signaculum, sicut ipse Baptismus.* Quo modo loquendi declaratur illud esse distinctum à Baptismate.

Tractatu III. in Epist. I. Joan. *Unctio spiritalis ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili.* Et infrà. *Unctionis Sacramentum est, virtus ipsa invisibilis. Unctio invisibilis est Spiritus sanctus. Unctio invisibilis charitas illa est.* Observa hæc duo : *Unctionis Sacramentum* : &, *Virtutem ipsam invisibilem Sacramenti*, quæ Spiritus sanctus est, seu charitas.

Serm. de Cataclysmo c. I. *Baptizatus es, signatus es Regio charactere, cœpisti consequi annonam de mensa Regis tui.* Et c. II. *Baptizatus es, mundatus es, unctus es oleo, restauratum est corpus tuum ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum: noli postmodum malè securus esse.* Hîc Confirmatio secundum locum, Eucharistia tertium obtinet.

Serm. LXXXIII. de diversis. *Nunquid panis ille de uno grano factus est ? Nonne multa erant tritici grana ? Sed antequam ad panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta sunt, & post quandam contritionem. Nisi enim molatur triticum, & per aquam conspergatur, ad istam formam minimè venit, quæ panis vocatur. Sic & vos ante jejunii humiliationem, exorcismi*

sacramento

ſacramento quaſi molebamini. Acceßit Baptiſmus & aqua ; quaſi conſperſi eſtis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum eſt panis ſinè igne. Quid ergo ſignificat ignis? Hoc eſt Chriſma. Oleum enim ignis noſtri Spiritus ſancti eſt ſacramentum. Accedit ergo Spiritus ſanctus, poſt aquam ignis : & efficimini panis, quod eſt corpus Chriſti. Ad ea ſi Kemnitius animadvertiſſet, non ita ridiculè Catholicos arguiſſet, ſicut arguit in Examine, quaſi malè & abſurdè omnino dictum fuerit : *Igni in Pentecoſte reſpondere in Confirmatione oleum.*

Serm. v. & xi. in appendice, meminit *olei* Confirmationis, tanquam *Sacramenti*, quod adminiſtrari poteſt à peccatoribus & ab Hæreticis, & quod nocet ſolis illud indignè ſuſcipientibus : quemadmodum Euchariſtia, quam qui manducant indignè, judicium ſibi manducant. Ibi refellit Donatiſtas, quibus videbatur oleum in hæreſi ſuſceptum illegitimum eſſe atque invalidum, innixi verſu iſto Pſalmiſtæ malè intellecto : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum...* Sic autem ille. *Ergo oleum tuum eſt? Si tuum eſt, nolo : ſi tuum eſt, malum eſt. Si autem Dei eſt, & per te malum bonum eſt. Cœnum non inquinat ſolis radium, & tu inquinas Dei oleum? Ideo autem malo tuo habes, quia quod bonum eſt, malus habes : quod Dei eſt, malus accepiſti, quia ſeparatus non collegiſti, ſed ſparſiſti. Qui manducant indignè, judicium ſibi manducant & bibunt : quia manducant indignè, non manducant? Indigno buccellam Chriſtus Judæ dedit, & ille hanc ad judicium accepit, Nunquid à malo accepit? nunquid malum accepit? Sed ideo reus eſt, quia à bono bonum malus accepit. Non eſt ergo oleum peccatoris oleum ſalutaris. Bene accipiatur, & bonum eſt : etſi malè accipiatur, bonum eſt.* Et antea dixerat. *Oleum Chriſti, quia nullum habuit omnino peccatum, etſi per peccatorem miniſtretur, non eſt oleum peccatoris.* Quid enimvero *oleum illud Dei*, quid *oleum Chriſti*, quid *oleum quod* indignè delibutis *vertitur in peccatum*? Haud abſimili modo quo Euchariſtiam qui manducat indignè, judicium ſibi manducat. Quid *oleum* denique *ſalutaris*, niſi oleum quod eſt de inſtitutione Chriſti ad ſalutem ; adeoque Sacramentum propriè dictum à Baptiſmo diſtinctum? Auguſtinus eſt qui loquitur : ſuffundatur pudore Calvinus in voces iſtas erumpens lib. iv. Inſtit. c. xix. §. vi. Qui *oleum vocant* OLEUM SALUTIS, *ſalutem quæ in Chriſto eſt abjurant, Chriſtum abnegant, partem in regno Dei non habent.*

Dallæus laborat in ſolvendis argumentis iſtis. Petit initium ab eo, quod ducitur è lib. II. contra litteras Petil. duoque in hunc finem obſervat. Alterum eſt, controverſiam hîc agitari de Baptiſmo Hæreticorum, quem Petilianus de ſecta Donatiſtarum, pro nullo atque irrito habebat, reclamante Auguſtino. Petilianum argumentari à Confirmationis invaliditate per Hæreticos celebratæ (quod quidem conficere ſe putabat ex illo Pſalmi CXXXII. *Oleum autem peccatoris &c.*) ad invaliditatem Baptiſmi collati per ipſos. Ex quo ſequitur Donatiſtas Catholicorum Chriſma æque ac Baptiſmum repudiaſſe. De Baptiſmo tamen fuiſſe omnem eorum concertationem: unde, quod de eo argumento Auguſtinus opus ſcripſit, *de Baptiſmo inſcripſit.* De Chriſmate fuiſſe aliquam Donatiſtis cum Catholicis quæſtionem, neque ipſe dixit, neque alius quiſquam veterum, errores & ſchiſma Donatiſtarum referens. Quare Confirmationem ad Baptiſmum pertinere, non tanquam partem ejus eſſentialem, ſed tanquam ritum ſeu cæremoniam, eamque iterabilem; quandoquidem redeuntibus ab hæreſi conferebatur, neque repetebatur Baptiſmus: & Donatiſtas à Confirmatione ad Baptiſmum argumentari, tanquam à parte ad totum.

Prior iſta obſervatio Dallæi non tollit, imò neque imminuit de robore argumenti propoſiti. Fateor concertationem fuiſſe inter Catholicos & Donatiſtas de validitate Baptiſmatis Hæreticorum. Fateor Petilianum argumentari adversùs Auguſtinum ab invaliditate Confirmationis, ut conficiat irritum eſſe Baptiſma quod celebratur ab Hæreticis. Fateor Catholicos idem judicium tuliſſe de *oleo* & de *aqua* eorum. Fateor denique quòd de Baptiſmo ſolo diſputabatur ex propoſito: ſed contendo, quòd incidenter etiam diſceptatum fuit inter illos de Sacramento Confirmationis. Hinc opus Auguſtini, *de Baptiſmo* inſcriptum eſt. Quid verò de Chriſmate Donatiſtæ ſentirent, ex Auguſtino, Optato, cæteriſque facile eſt edoceri. Nec ſequitur, Confirmationem videri Auguſtino partem Baptiſmi. Imò S. Doctor commemorat Confirmationem velut aliquod Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum, his verbis: *Quod in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Et lib. V. de Baptiſmo c. XX. *Quomodo exaudit homicidam deprecantem vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam?*

Deinde Confirmatio neque est pars essentialis Baptismi, ut Dallæus ipse concedit, neque est pars ritualis seu cæremonialis. Nam cæremoniæ Sacramentorum sunt institutionis humanæ. At verò Confirmatio est de institutione Dei & Christi. Unde appellatur Serm. v. cit. appendicis, *Oleum Dei, oleum Christi.* Cæremoniæ non conferunt gratiam sanctificantem. Confert illam nostra Confirmatio. Unde Tract. III. in Epist. Joan. *Unctionis Sacramentum est visibile, virtus ipsa invisibilis.* Et Serm. mox cit. *Unctio salutaris.* Denique Confirmatio appellatur suprà *Sacramentum* simpliciter. At, inquit Dallæus, manûs impositione atque Chrismatione redeuntes in Ecclesiam recipiebantur, quæ duo Baptismi sunt erantque cæremoniæ. Jam dixi: Manûs illa impositio erat reconciliatoria, de quâ Augustinus lib. III. de Baptismo c. XVI. *Manûs autem impositio non sicut Baptismus repeti debet.* Non erat Confirmatoria, quam idem Augustinus Exposit. in Epist. ad Rom. ait Apostolum negare esse repetendam, sicut non est repetendum Baptisma. Idem censeo de Chrismatione, cujus par est ratio quæ manûs impositionis. Augustinus nunquam concessit Chrismationem confirmatoriam iterari, de qua id sentit quod de Baptismo. Namque si sensisset Ecclesia Catholica, cujus dogma S. Pater propugnabat, Chrismationem Confirmatoriam esse Baptismi ritum, eandemque aliquando iterari potuisse, respondisset objectioni Petiliani, aliam esse rationem ritûs illius, quæ est Baptismi, neque rectè argui ab *oleo* Confirmationis ad *aquam* Baptismi. Longè ab hac responsione alienus est. *Oleum* æque ac *aquam* negat repeti: utrumque *Dei* & *Christi* esse contendit; utrumque *bonum*, quamvis à malo administratum; utrumque utile ac proficuum dignè, nocivum indignè suscipienti. Rursum si Petilianus agnovisset hanc fuisse Augustini mentem, & Ecclesiæ praxim, ut Baptisma non iteraretur, & Chrismatio confirmatoria iteraretur quoties in hæresi factam fuisse contingeret; invictum proposuisset argumentum Augustino, ab iteratione Chrismationis inferendo necessitatem iterandi Baptismatis in hæresi suscepti. Non sic Petilianus argumentatus est: sed contendit solùm Baptismum in hæresi susceptum non valere, quia non valet Confirmatio celebrata per Hæreticos. Ipsamque Confirmationem datam in hæresi non valere non supponebat tanquam sibi concessum à Ca-

tholicis, ſed probare ſe ſibi perſuadebat ex illo Pſalmiſtæ: *Oleum autem peccatoris &c.*

Altera Dallæi obſervatio eſt, quod Propheta de Sacerdotali unguento canit, id Petilianum de Chriſmate externo, Auguſtinum verò de Spiritus ſancti myſtico unguento intellexiſſe. Cum S. Doctor Chriſma illud externum nuncupavit *Sacramentum Chriſmatis*, de quo dixit eſſe in *genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum*, nomen *Sacramenti* latius uſurpaviſſe, quod SS. Patribus ſatis familiare, pro ſigno rei ſacræ, humanæ etiam inſtitutionis. Inaniter nos vim facere in iſtis verbis ſequentibus: *Sicut ipſe Baptiſmus*: & inferre, quòd quia Confirmatio comparatur ibi ab Auguſtino cum Baptiſmo, agnoſcit Auguſtinus hanc eſſe Sacramentum ab eo diſtinctum. Nam, inquit ille, ea vocula (*ipſe*) ſignificat Chriſma ad Baptiſmum pertinere: quaſi dicat, id ſacroſanctum eſſe perinde ut ipſum Baptiſmum, cujus pars quædam erat ac cæremonia. Et comparatio in eo eſt, quòd utrumque Auguſtino ſignaculum ſit & viſibile & ſancroſanctum: non ultrà tendenda, ut ſubjungatur Chriſma eſſe à Chriſto, ut Baptiſmus; Chriſma non eſſe Baptiſmi partem, ſicut unum ex ejus ritibus, quia nec Baptiſmus; ac denique Sacramentum propriè dictum ipſum ſeorſum ſit, quia & hoc eſt Baptiſmus.

Reſpondeo. Rectè, ſi Dallæus probaret quod aſſerit, Chriſmationem eſſe Sacramentum impropriè, & ex humana inſtitutione: particulam (*ipſe*) ſignificare Chriſma pertinere ad Baptiſmum tanquam ejus partem: comparationem eſſe in nonnullis tantùm, non in eo quòd utrumque ſit à Chriſto, quòd alterutrum non ſit pars alterius, quòd utrumque ſit Sacramentum propriè dictum. Falſum eſt Auguſtino Chriſmationem eſſe humanæ inſtitutionis, falſum eſt particulam (*ipſe*) ſignificare Chriſma pertinere ad Baptiſmum tanquam ejus partem. Emphaſim illa particula, & virtutem quandam, atque Energiam ſignificat: ut ſenſus ſit, Confirmationem eſſe aliquid ſacroſanctum, ſicut Baptiſmus qui maximè ſanctus eſt: maximè verò ſanctus eſt, quâ parte inſtitutus eſt à Chriſto. Auguſtino Chriſmatio eſt à *Chriſto*: quia & *Dei* & *Chriſti* oleum eſſe ab eo dicitur, & oleum *ſalutaris*, & virtutem habere poſitam in ſanctitate interiori, atque in charitate. Nullibi apud Auguſtinum Confirmatio ri-

tus eſt purus alicujus Sacramenti, multò minùs Baptiſmi. Quia ſecundùm ipſum Auguſtinum Confirmatio eſt divinæ inſtitutionis, quales non ſunt ritus ſimplices Sacramentorum: & ſecundùm eundem Auguſtinum, idem quid ipſa eſt cum manus impoſitione, per quam Neophyti leguntur in Actis Apoſtolorum recepiſſe Spiritum ſanctum. At hæc Apoſtolica manûs impoſitio penitus à Baptiſmo diſtinguitur, neque erat pars cæremonialis Baptiſmi. Denique Auguſtino Confirmatio eſt Sacramentum ſicut ipſe Baptiſmus & Euchariſtia; confert gratiam; Sacramentum eſt viſibile, cujus virtus eſt unctio inviſibilis; habet pro Miniſtris ſuis præpoſitos Eccleſiæ. *Quem morem*, inquit, *in ſuis præpoſitis etiam nunc ſervat Eccleſia.* Quare nihil in ea deſideratur requiſitorum ad rationem Sacramenti novæ Legis propriè dicti, juxta ſenſum Auguſtini.

Expendit poſthæc Dallæus locum petitum è lib. v. de Baptiſmo c. xx. aitque Chriſmationem Confirmatoriam ab Auguſtino hîc nominari *Sacramentum*, quia ritus eſt Sacramenti, hoc eſt Baptiſmi, quod ipſos adverſarios, Sirmondum & Aurelium, fateri neceſſe eſt: quia Sirmondo *oleum* ſeu Chriſma pro cæremonia Baptiſmi illo ævo habebatur; & Aurelio, *manûs impoſitio*, quæ hîc itidem cum aliis numeratur, eſt reconciliatio pœnitentium, quæ ritus eſt, non Sacramentum: neque ad ordinationem referri poteſt, ad quam Aurelius referri poſſe putat: quia recenſendo quæ omnium fidelium communia ſunt, Baptiſmum videlicet, Euchariſtiam & unctionem, referre non debuit propria Miniſtrorum Eccleſiæ.

Reſpondeo. Quid Sirmondus, quidve Petrus Aurelius ſenſerint, mea non refert. Quæritur quid ſenſerit Auguſtinus. Contendo illum nomine *olei* hîc intellexiſſe Confirmationem, quam *Sacramentum* appellat eodem modo quo *Baptiſmum* & *Euchariſtiam*. Manûs impoſitio, de qua ibi, non eſt cæremonial s, ſed eſt Sacramentum propriè dictum, *pœnitentiæ* videlicet vel *ordinationis*: illius, quod eſt commune fidelibus omnibus non ſecus ac unctio & Euchariſtia; hujus, quod proprium eſt Miniſtrorum Eccleſiæ. Nec obſtat, quòd Auguſtinus ibi recenſeret Sacramenta omnium fidelium communia. Nam communibus adjunxit proprium quorumdam duntaxat, & debuit illud adjungere, ut oſtenderet ordinationem Hæreticorum valere, ſicut valent Baptiſmus,

Confirmatio & Euchariſtia apud illos. Firmilianus Epiſtolâ ſuâ de qua ſuperiùs, poſtquam recenſuit Baptiſmum & Confirmationem, quæ duo ſunt Sacramenta communia, nominat Sacramentum ordinationis: quidni itaque Auguſtinus?

Attingit prætera Dallæus verba laudata è Tract. III. in Epiſt. Sancti Joannis, in quibus obſervat haberi quidem, quòd eſt aliquod Sacramentum viſibile unctionis & virtus inviſibilis: ſed non haberi, quòd Sacramenti unctionis virtute præbetur nobis Spiritus ſanctus.

Reſpondeo. Obſervatio iſta futilis eſt. Nam virtus Sacramenti effectus eſt Sacramenti. At unctio inviſibilis dicitur virtus Sacramenti. Ergo eſt Sacramenti effectus. Ergo Sacramentum unctionis eſt cauſa illius. Ergo Spiritus ſanctus ponitur per Sacramentum unctionis. Idem ſcilicet Auguſtinus ſignificavit per hæc verba: *Unctionis Sacramentum eſt, virtus ipſa inviſibilis*: quod lib. III. de Baptiſmo c. XVI. per iſta: *Spiritus ſanctus, quòd in ſola Catholica per manûs impoſitionem dari dicitur*: quod Tract. VI. in prædictam Joannis Epiſt. per iſta: *Ergo ſi vis noſſe quia accepiſti Spiritum ſanctum, interroga cor tuum: ne fortè Sacramentum habeas, & Sacramenti virtutem non habeas.*

Neque verò prætermittenda eſt reſponſio Spalatenſis ad illud teſtimonium Auguſtini lib. XV. de Trinit. cap. XXVI. *Quid ſibi vult Auguſtinus* (inquit) *illis dictis*: SERVAT ECCLESIA, UNGIT ECCLESIA? An ideo diceret: *Baptizat Eccleſia?* Nequaquam profectò. Sed intelligit hos eſſe ritus Eccleſiaſticos. Et poſtea. *Præterea orare ut veniat Spiritus ſanctus, profectò non eſt miniſtrare Sacramentum.*

Reſpondeo, priorem partem objectionis facilè refelli ex Auguſtino ſcribente *Baptiſmum eſſe Eccleſiæ* lib. II. contra Gaudentium c. X. *Baptiſmum non reſcindimus veſtrum. Non eſt hoc veſtrum, ſed Catholicæ Eccleſiæ, quem tenemus.* Et lib. I. de Baptiſmo c. XIV. *Non Baptiſmum veſtrum acceptamus: quia non eſt Baptiſmus ille Hæreticorum, vel ſchiſmaticorum, ſed Dei & Eccleſiæ.* Et ſcribit idem Auguſtinus, *Eccleſiam generare ac parere.* Lib. mox citato c. X. *Ergo ipſa generat & per uterum ſuum, & per uteros ancillarum ex eiſdem Sacramentis, tanquam ex viri ſui ſemine.* Et cap. XV. *Eccleſia quippe omnes per Baptiſmum parit, ſive apud ſe, id eſt in utero ſuo, ſive extra ſe,*

de semine viri sui. Quid enim est Baptismum esse Ecclesiæ, & Ecclesiam parere seu generare ex Sacramentis Christi, nisi Ecclesiam baptizare? Posterioris partis non est magis operosa confutatio. I. Quia in Ecclesia Orientali Baptismus administratur per formam deprecatoriam: *Baptizetur servus Christi:* quum tamen Baptismus ille sit Sacramentum propriè dictum. Et unctio infirmorum apud nos habet formam deprecatoriam. Sacramentum quoque pœnitentiæ habebat olim apud nos formam deprecatoriam. Augustinus ipse agnoscit in Eucharistia & Baptismo formam deprecatoriam, lib. v. de Baptis. c. xx. *Quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam &c.* Et apud SS. Patres communiter verba consecrationis appellantur *Preces*, seu *Oratio Sacerdotis*. Ita Justinus Apol. II. Irenæus lib. IV. c. XXXIV. Origenes lib. VIII. contra Celsum. Optatus lib. VI. Cyrillus Hierosf. Cath. I. & V. Theophilus Alexand. Serm. I. Paschali. Gregorius Nyssenus Oratione Catech. c. XXXVII. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. XXVII. Amb. lib. IV. de Fide c. V. Hieron. Epist. LXXXV. ad Evagr. & ad c. III. Sophoniæ. August. lib. III. de Trinit. c. IV. &c. II. quia, ut superiùs observavimus, Episcopus in Confirmatione non tantùm orat ut detur Spiritus sanctus, sed etiam ipse Spiritus sanctus datur per Confirmationem. Quod docet nos orationem Confirmatoriam esse orationem Sacramentalem, seu conferentem, & non solùm impetrantem Spiritum sanctum. III. denique Augustinus ibi distinguit inter modum quo Filius dat Spiritum sanctum, & illum quo homines dant eundem Spiritum sanctum: in eo quòd ipsi dent non suâ, sed Dei cujus Ministri sunt authoritate, adeoque potiùs invocatione & oratione, quàm aliâ ratione; Filius verò det Spiritum sanctum authoritate sua, ut pote habens illum non ad mensuram. Quo simili modo Cyrillus Alexand. usus est lib. II. in Joan. c. III. sub finem, ad hæc verba: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum:* scribens: *Nusquam enim sanctus sancto Spiritus sancti largitor fuit: sed eum omnibus de sua plenitudine largitur Filius. Itaque non ad mensuram dat, neque ut ille, partem quandam exiguam Spiritûs habet, idque per participationem: sed cùm sit etiam ipse largitor, utique manifestum est illum totum habere substantialiter in se ipso. Igitur qui tantam habet præ illis excellentiam, non tanquam unus*

ex illis loquetur quæ Dei sunt, sed ut Deus existens ex Deo, convenientes Deo sermones proferet. Nihil autem nostræ doctrinæ officiet, quòd per manus Apostolorum datum esse nonnullis Spiritum quidem existimant. Spiritûs enim INVOCATORES *potiùs, quàm* LARGITORES *ipsos credimus.* Idem est sensus Isidori Hispalensis, de quo suo loco inferiùs.

SEDULIUS SCOTUS.

Author v. sæculi, qui Theodosio Juniore scripsit explanationem in omnes Pauli Epistolas ex Origene, Ambrosio, Hieronymo, & Augustino. Ille in c. VI. ad Hebræos ita loquitur. NON RURSUM JACIENTES FUNDAMENTUM POENITENTIÆ AB OPERIBUS MORTUIS, *id est: post acceptam semel fidem & pœnitentiam, non iterùm de pœnitentiâ & de fide Trinitatis, & Baptismo, & impositione manuum, & resurrectione, & judicio vos instruamus. Nam hæc omnia quasi lac sunt, & ad initium fidei pertinent.* AB OPERIBUS MORTUIS, *quæ interimunt animam.* ET FIDEI AD DEUM, BAPTISMATUM. *Pluraliter loquitur pro varietate accipientium.* IMPOSITIONIS QUOQUE MANUUM, *scilicet Episcopi.* Ibi sermo est de Confirmatione expressa per has voces: *Impositionis manuum*: tanquam de aliquo Sacramento propriè dicto atque distincto à Baptismate.

THEODORETUS.

Qui florebat anno Christi CCCCXXX. & pervenit usque ad CCCCLXX. Loquitur de manûs impositione confirmatoria ad c. VI. Epist. ad Hebr. *Qui crediderunt*, inquit, *accedunt ad Divinum Baptismum, & per* MANUM SACERDOTALEM SPIRITÛS GRATIAM ACCIPIUNT, *& in Divino Baptismo resurrectionis figuram suscipientes, expectant communem omnium resurrectionem & futurum judicium.*

Et de Chrismatione lib. IV. in Cantica Cantic. ad hæc verba: *Unguentum effusum &c.* in hunc modum: *Reminiscere sacræ Mystagogiæ, in qua qui initiantur, post Tyranni abnegationem & Regis confessionem,* VELUT SIGILLUM QUODDAM REGIUM SUSCIPIUNT SPIRITALIS UNGUENTI CHRISMA, *recipientes* GRATIAM INVISIBILEM SANCTISSIMI

SPIRITUS UNGUENTO TANQUAM IN TYPO. Pronunciare quòd gratia invisibilis ponitur unguento seu Chrismate tanquam in Typo, est agnoscere quòd Chrismationi seu Confirmationi convenit ratio Sacramenti propriè dicti.

Respondet Dallæus lib. II. c. XV. Theodoretum ibi agnoscere Chrismationem tanquam Baptismi cæremoniam; quia ait ungi eo Chrismate *qui initiantur*, non autem *qui initiati sunt*. Idemque alibi significat, ubi de Novatianis. *Iis qui ab ipsis baptizantur*, inquit, *sanctum Chrisma nequaquam præbent.* Quò & illud pertinet quod hîc ait Theodoretus: *Tyranni abnegationem & Regis Confessionem, Chrismate velut obsignatam fuisse.* Ergo & ipsa, eodem quò regis Confessio pertinuit, nimirum ad Baptismum, cujus hæc, ut notum est, pars erat.

Contrà. Theodoretus non ait, eos *qui initiantur* per ipsam Chrismationem initiari; sed ait solummodo, eos *qui initiantur* Chrismari: quod stat, quia scilicet homo Chrismatur post Baptismum per quem initiatur. Neque enim alius est Theodoreti sensus, quàm Cypriani Epist. LXX. scribentis: *Ungi quoque necesse est eum qui* BAPTIZATUS SIT. Concilii Laodiceni c. XLVIII. *Oportet eos qui illuminantur*, POST BAPTISMUM *inungi supercælesti Chrismate.* Cyrilli Hierosol. Catech. III. Mystagog. *Sic & vos* POST SACRUM BAPTISMA *& Chrisma mysticum.* Hieronymi Dialogo adversùs Lucifer. *Ut* BAPTIZATIS *postea manus imponatur.* Cyrilli Alex. Leonis Magni, Hilarii Arelatensis, cæterorumque inferiùs referendorum. Novatiani rejiciebant Chrismationem confirmatoriam à Baptismo distinctam, neque rejiciebant Baptismalem duntaxat, ut colligitur ex Epist. Cornelii ad Fabium Antioch. Chrismatio jurè censeri potest ipsius Baptismatis obsignatio, quamvis à Sacramento Baptismi plenè perfectéque distincta. Sic Eucharistia dicitur alicubi *Confirmatio atque consummatio Baptismi*, à quo tamen, nemine reclamante distinguitur.

CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Theodoreti coætaneus, Comment. in Joël, ad hæc verba: *Et replebuntur areæ tritico, & redundabunt torcularia vino & oleo*, scribit. *Sciendum præterea, etiam secundùm mysticum even-*

tum promißionem veram esse. Data est nobis ceu pluvia, aqua vivens sacri Baptismatis: & tanquam in frumento panis vivus, & tanquam in vino sanguis. Accesit item USUS OLEI, *qui* PER SACRUM BAPTISMA *in Christo* JUSTIFICATIS *ad* CONSUMMATIONEM *confert.* Usus olei confert justificatis ad consummationem. Ergo producit gratiam consummantem seu perficientem. Et justificati illi quibus confert consummationem, sunt justificati per Baptismum. Ergo Confirmatio est à Baptismo distincta, neque simplex purusque Baptismi ritus.

LEO MAGNUS.

Eodem sæculo Cathedram Petri occupabat. Ille Serm. IV. de Nativitate Domini sic loquebatur: *Permanete stabiles in ea fide quam confessi estis coram multis testibus, & in qua* RENATI *per aquam & Spiritum sanctum, accepistis* CHRISMA SALUTIS ET SIGNACULUM VITÆ ÆTERNÆ. Adverte eos recepisse *Chrisma salutis postquam renati sunt.* Ergo Confirmatio non est aliquid Baptismi, sed est Sacramentum ipso Baptismo posterius. Advertat quoque Calvinus Leonem appellare *Chrisma salutis:* qui tamen neque salutem quæ in Christo est adjuravit, neque Christum abnegavit, & in regno Dei partem habet.

HILARIUS ARELATENSIS.

Subscripsit Conc. Arausicano I. quod celebratum est anno Domini CCCCXLII. Homiliâ de Pentecoste (quæ vulgò sub nomine Eusebii Emisseni cum cæteris laudari solet) hæc habet. *Quod nunc in confirmandis Neophytis* MANÛS IMPOSITIO *tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populo donavit universis. Sed quia diximus quòd* MANÛS IMPOSITIO & CONFIRMATIO *ei qui jam renatus, qui jam regeneratus in Christo est, conferre aliquid poßit; fortè cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post ministerium Baptismatis ministerium Confirmationis? Aut, quantùm video, non totum de fonte suscepimus, si post fontem adjectione novi generis indigemus? Non ita est, dilectißimi. Attendat charitas vestra. Sic enim exigit militaris ordo, ut cùm Imperator quemcunque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis*

competentibus instruat pugnaturum. Ita IN BAPTIZATO BENEDICTIO ILLA MUNITIO EST. Et postea. *Paracletus regeneratis in Christo custos & consolator & tutor est.* Et post pauca. *Ergo Spiritus sanctus, qui super aquas Baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam,* IN CONFIRMATIONE AUGMENTUM PRÆSTAT AD GRATIAM. *Quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter invisibiles hostes & pericula gradiendum est: in Baptismo regeneramur ad vitam,* POST BAPTISMUM CONFIRMAMUR AD PUGNAM: *in Baptismo abluimur,* POST BAPTISMUM ROBORAMUR. *Ac sic continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia,* VICTURIS AUTEM NECESSARIA SUNT CONFIRMATIONIS AUXILIA. Locus iste præcludit omnes evadendi vias quibus Dallæus solet effugere. Explicat quippe Confirmationem tanquam *aliquid à Baptismo distinctum,* illique tribuit *gratiam sanctificantem aliam à gratia Baptismali.*

At, inquit Dallæus lib. III. c. IV. *Author iste de* CHRISMATIONE *verbum nullum facit, de* MANÛS IMPOSITIONE *omnis est ejus sermo. Atqui ea nulla nunc est apud Latinos.*

Respondeo. Author verbum facit de *Confirmatione:* quod satis est. Verbum facit de *manûs impositione,* quod satis est apud eos quibus illa est materia unica essentialis Confirmationis. *Chrisma* si successit *manûs impositioni* ex potestate à Christo Domino concessa Ecclesiæ; quod olim de *manûs impositione* dictum, illud dictum puta de *Chrismate.* Si *Chrisma* semper adnexum fuit *manuum impositioni* confirmatoriæ; sufficienter *Chrisma* commemoratum est, quando & *Confirmatio* & *manûs impositio* nominata sunt. Qui autem nolunt materiam Confirmationis essentialem esse positam in sola *manûs impositione,* hi vel putant *Chrisma* conjunctum ei esse à Christo, vel saltem sentiunt illud, ex authoritate Christi succedere *manûs impositioni.* Sed de his inferiùs. Moneo nunc solùm, Latinos minimè expunxisse atque delevisse *manûs impositionem* à materia Confirmationis.

Pergit Dallæus in hæc verba. *Quid enim hinc ad id probandum afferent? An quod hic noster scriptor, Spiritûs in manuum impositione donum, cum ejusdem in Apostolos & credentes olim descensione comparat? At illa vetus Spiritus sancti descensio nullum fuit propriè dictum Sacramentum. An quòd* PER MANÛS IMPOSITIONEM *Spiritum sanctum* SINGULIS TRIBUI *di-*

cit? At & per Chrisma Spiritum sanctum dari alii Patres non parciùs dicunt; neque tamen Chrisma Canonistæ veteres verum ac propriè dictum Sacramentum apud illos fuisse concedebant. An quod eam Confirmationem dicit? Atqui non tam id dicit, quàm eâ CONFIRMATIONEM *significari innuit. Calice Eucharistiæ* CONFIRMARI *communicantes dixere interdum Patres: nemo colligit integrum ac propriè dictum & ab Eucharistia distinctum calicis esse Sacramentum. An quòd* BENEDICTIONEM *illam quæ fit per manûs impositionem*, MUNITIONEM *nostram esse ait? Atqui &* ORATIO MUNITIO *quoque nostra est, neque tamen Sacramentum ullum est. An quòd* IN BAPTISMO NOS REGENERARI AD VITAM, POST BAPTISMUM CONFIRMARI AD PUGNAM; IN BAPTISMO ABLUI, POST BAPTISMUM ROBORARI? *Atqui &* CONFIRMARI *&* ROBORARI *ab eodem illo Paracleto intelligit, à quo & regeneramur & abluimur, quod omnes verissimum esse confitentur An denique quòd post Baptismum* IN CONFIRMATIONE AUGMENTUM NOBIS AD GRATIAM PRÆSTARI *scribit? Atqui idipsum à Spiritu quoque præstari ait, eodem scilicet gratiæ & donatore & conservatore, & quidem* IN CONFIRMATIONE, *id est, dum nos baptizatos confirmat. Cæterùm illius, quæ à Spiritu est, Confirmationis symbolum ac signum olim fuisse manûs impositionem, & hinc & aliunde constare confitemur: verum ac propriè dictum Sacramentum fuisse negamus. Itaque, quòd* EI, QUI JAM RENATUS EST, ALIQUID CONFERRE, SPIRITUM SANCTUM EI TRIBUERE *&c. dicitur; id figuratè dicitur, ex eâ veterum loquendi ratione, quâ cæremonialibus ritibus ea tribuunt, quæ Sacramentorum propriè sunt, ad quæ ritus illi pertinent. Quanquam & in* MANUS IMPOSITIONE *hoc peculiare sit, quòd ea nihil aliud esset quam* ORATIO. *Ea ergo dicatur* EFFICERE, *dummodo ea efficere intelligatur non ut Sacramentum propriè dictum, sed ut* ORATIO. *Denique omnem hanc manûs impositionis rationem ad Baptismum referendam esse satis eo docet, quòd* POST FONTEM, ADJECTIONE NOVI GENERIS INDIGERE NOS NEGAT: *& adjicit Baptismi Spiritum esse, qui in Confirmatione accipitur.*

Respondeo nos in probationem illud afferre, videlicet quòd eo loci *manûs impositio* quæ fit super *baptizatos* confert illis *gratiam sanctificantem*, similem ei quam Apostoli & credentes ipsa die Pentecostes acceperunt: quòd eadem con-

fert *augmentum gratiæ, gratiam roborantem, gratiam victuris necessariam ad superandum.* Ex quibus sequitur quòd ea agnoscenda sit tanquam Sacramentum novæ Legis à Baptismo distinctum. Ad instantias Dallæi respondeo I. colligi *impositionem manuum* confirmatoriam esse Sacramentum, ex comparatione quam author instituit effectûs illius cum Spiritu quem Apostoli receperunt ipsa die Pentecostes, quamvis descensus ille non fuerit Sacramentum: quia *manûs impositio* habet cæteras omnes conditiones necessarias ad *Sacramentum* novæ Legis, supposito quòd efficiat gratiam ejusdem generis cum gratia quam Apostoli receperunt; quæ conditiones in descensu illo minimè reperiuntur. II. Quando Patres dicunt Spiritum sanctum conferri per *Chrisma*, nomine Chrismatis intelligunt Sacramentum Confirmationis: sive nomen indiderint Sacramento illi à materia, sive à ritu & cæremonia. Canonistæ veteres dum negant Chrisma esse Sacramentum, usurpant nomen Chrismatis sub alio significatu: nimirum, pro ritu, quem putant accidentalem Confirmationi, præcisè sumpto. III. Fateor non argui Confirmationem esse Sacramentum ex hac voce (*Confirmatio*) simpliciter spectata. IV. Bene arguitur esse Sacramentum ex eo quòd effectus illius est *munitio* habitualis seu permanens, *in augmento gratiæ Baptismalis* constituta. Non sic Oratio *munitio* esse nostra dicitur. V. rectè quoque illud arguitur ex eo quòd Confirmatio supra gratiam Baptismi addit gratiam *confirmantem* atque *roborantem ad pugnam.* Nec facit in oppositum, quòd eodem Spiritu effectus Baptismi & Confirmationis præstentur in nobis. Nam gratia Baptismalis & gratia Eucharistica sunt ab eodem Spiritu; neque tamen hæc duo, Baptismus & Eucharistia conflant unicum Sacramentum: quia duæ sunt diversæ gratiæ Sacramentales à quibus Sacramenta specificantur. VI. author apertè docet Confirmationem non pertinere ad Baptisma: adeoque effectus qui illi tribuitur, non est effectus Baptismi cujus ipsa Confirmatio sit ritus atque cæremonia. VII. *Manûs impositio*, de qua loquitur Augustinus lib. III. de Baptismo c. XVI. pronuncians *repeti posse*, est non *confirmatoria* quæ repeti non potest, ut docet ipse S. Pater Exposit. Epist. ad Romanos, sed *reconciliatoria.* Sed etsi loqueretur de *confirmatoria* loco illo, hæc diceretur *Oratio* ratione suæ *formæ*: formæ autem Sacramentorum cognomi-

nantur ab Augustino *Orationes* seu *Deprecationes*, ut patet ex lib. v. de Baptismo c. xx. superius laudato; & formæ Sacramentorum suis conjunctæ materiis efficiunt *ex opere operato* gratiam & ejus augmentum. Uno verbo. Etiam formæ deprecatoriæ Sacramentorum, quæ secundum se spectatæ, & quatenùs orationes præcisè, efficerent tantùm ex opere operantis; consideratæ quatenùs institutæ sunt à Christo, ut sunt formæ Sacramentales, efficiunt ex opere operato. VIII. quia *post fontem adjectione novi generis gratiæ confirmantis continuò morituri non indigent*, sed *victuri* indigent ad *luctam* atque ad superandos salutis adversarios; Confirmatio non est idem Sacramentum cum Baptismo, & non est necessitatis absolutè & simpliciter, sed hypotheticè duntaxat. IX. denique spiritus Baptismi non est spiritus Confirmationis, nisi in quantum gratia utriusque Sacramenti specie Sacramentali distincta procedit à Spiritu sancto.

GENNADIUS CONSTANTINOPOLITANUS.

Ille, qui fertur vixisse sub finem v. sæculi, apud Oecumenium ad hæc verba c. VI. Epist. ad Hebr. *Impositionis quoque manuum*; scribit: *Meritò ipsos* (ad fidem accedentes) *primùm adhortantes, ut à mortiferis operibus resipiscant, resipiscentes autem in Deum credant, credentes verò baptizentur, baptizati autem se ipsos subjiciant* IMPOSITIONI MANUUM SACERDOTUM AD PARTICIPATIONEM SPIRITÛS. Et postea. IMPOSITIONE MANUUM, *per quas* SPIRITUM, *inquit, accepistis.* Et postea. *Ac si diceret: Vigilate. Neque enim licitum est, ut si segniter vivas, rursum baptizeris, & per* MANUUM IMPOSITIONEM *accipias* SPIRITUS SANCTI SUPERVENIENTIAM. Hîc sermo est de confirmatoria manuum impositione per quam Spiritus sanctus confertur post Baptismum.

PRIMASIUS.

Vixit sub Justin. Imperatore. Scripsit circa annum DXLIII. sub finem cap. XIII. Commentariorum suorum in Epist. ad Hebr. ad hæc Apostoli verba: *Gratia cum omnibus vobis. Amen.* Ita loquitur. GRATIÆ *nomine debemus hîc accipere fidem perfectam cum executione bonorum operum: remißionem*

quoque peccatorum, quam percipiant fideles tempore Baptismatis: DONUM *etiam* SPIRITUS SANCTI QUOD DATUR IN BAPTISMATE PER IMPOSITIONEM MANUUM EPISCOPORUM. Neque verò Dallæo favent hæc verba (*in Baptismate;*) quasi Primasius voluerit impositionem hanc manuum Episcopalem esse ritum Baptismatis. Nam verba ista (*in Baptismate*) idem significant ac (*tempore Baptismatis:*) quando scilicet Confirmatio celebrabatur continenter post Baptismum. Et hoc illustratur ex verbis ejusdem c. VI. IMPOSITIONEM MANUUM, inquit, *appellat, per quam* PLENISSIME *creditur accipi* DONUM SPIRITUS SANCTI, *quod* POST BAPTISMUM *ad Confirmationem unitatis in Ecclesia à Pontificibus fieri solet.* Ita quod uno loco dixerat (*in Baptismate*) explicat alio loco per has voces (*post Baptismum.*)

S. REMIGIUS REMENSIS.

Obiit anno salutis DXLI. In Testamento suo quod extat apud Flodoardum lib. I. c. XVIII. hæc habet. *Generi tantùm Regio, quod ad honorem sanctæ Ecclesiæ, ad defensionem pauperum, unà cum fratribus meis & Coëpiscopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atque Neustriæ, in Regiæ Majestatis culmen perpetuò regnaturum statuens elegi, baptizavi, à fonte sacro* SUSCEPI, DONOQUE SEPTIFORMIS SPIRITUS CONSIGNAVI. Dum sic exprimitur Confirmatio, declaratur esse Sacramentum distinctum à Baptismate.

S. GREGORIUS TURONENSIS.

Qui denatus anno DXCVI. lib. II. Historiæ Franc. cap. XXXI. describens Baptismum Clodovæi utitur his verbis. *Igitur Rex omnipotens Deum in Trinitate confessus, baptizatus est in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti,* DELIBUTUSQUE SACRO CHRISMATE CUM SIGNACULO CRUCIS CHRISTI. Inunctio illa est confirmatoria, & commemoratur tanquam aliquid à Baptismo distinctum.

JOB MONACHUS.

Qui vixisse putatur VI. ipso sæculo, scripsit contra Seve-

rum. Lib. III. de Verbo Incarnato, apud Photium in Bibliotheca, num. CCXXII. loquitur de Confirmatione tanquam de Sacramento medio inter Baptiſmum & Euchariſtiam, & ab utroque diſtincto. *Primò etenim*, inquit, *nunc baptizamur, deinde* UNGUENTO UNGIMUR, *inde pretioſo Sanguine dignamur.*

S. GREGORIUS MAGNUS.

Qui devixit ineunte VII. ſæculo, anno videlicet DCIV. In Regiſtro lib. XII. Epiſt. XXXI. ubi decernit Baptiſmum & Confirmationem eſſe adminiſtranda, quotieſcunque certum exploratumque non erit illa fuiſſe ſuſcepta; ne ſi non adminiſtrarentur, fideles inde plurimum detrimenti paterentur. *Nos*, inquit, *ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, ut quotiens tam de Baptiſmo aliquorum, vel* CONFIRMATIONE *quàm de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, utrùm baptizati vel* CONFIRMATI, *ſive Eccleſiæ conſecratæ ſunt; ut baptizentur tales ac* CONFIRMENTUR, *atque Eccleſiæ canonicè dedicentur: ne talis dubitatio* RUINA FIDELIBUS *fiat. Quoniam non* MONSTRATUR ITERATUM, QUOD NON CERTIS INDICIIS OSTENDITUR RITE PERACTUM. Eo loci Confirmatio diſtinguitur à Baptiſmo: ſupponitur non eſſe iteranda ſicut non iteratur Baptiſmus: & qui eam non ſuſcipiunt, in aliquo diſcrimine verſari cenſentur. Sed ſi ea Baptiſmi ritus eſſet, non commemoraretur, tanquam aliquid à Baptiſmo diſtinctum: iterari poſſet, ex Dallæo ipſo lib. II. c. XXIV. neque verò metuendum foret ne ruina aliqua non ſuſcipienti ex ejus defectu immineret. Ergo Confirmatio non eſt Baptiſmi ritus ſecundùm Gregorium, ſed eſt Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum.

Idem Hom. XVII. in Evangelia. *Et per nos quidem*, inquit, *fideles ad ſanctum Baptiſma veniunt, noſtris precibus benedicuntur, & per* IMPOSITIONEM NOSTRARUM MANUUM *à Deo* SPIRITUM SANCTUM PERCIPIUNT, *atque ipſi ad Regnum cœlorum pertingunt.* Hîc manûs impoſitio Epiſcopalis à Baptiſmo diſtinguitur, & confert Spiritum ſanctum.

Et libro Sacramentorum, in ordine Sabbati ſancti poſt ritum Baptiſmi ea verba leguntur. *Pontifex verò in ſacrarium expectans, ut cùm veſtiti fuerint infantes* CONFIRMET *eos.*

Qui

Qui etiam, non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit. Et postea. *Pontifex verò veniens ad infantes, tenente Archidiacono* CHRISMA, *involutis scapulis & brachiis ex panno lineo*, LEVATA MANU SUA SUPER CAPITA OMNIUM, *dicit.* OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS, QUI REGENERARE DIGNATUS ES HOS FAMULOS TUOS EX AQUA ET SPIRITU SANCTO, QUIQUE DEDISTI EIS REMISSIONEM OMNIUM PECCATORUM: EMITTE IN EOS SEPTIFORMEM SPIRITUM TUUM SANCTUM PARACLETUM DE COELIS, SPIRITUM SAPIENTIÆ ET INTELLECTÛS, SPIRITUM CONSILII ET FORTITUDINIS, SPIRITUM SCIENTIÆ ET PIETATIS. ADIMPLE EOS SPIRITU TIMORIS TUI, ET CONSIGNA EOS SIGNO CRUCIS IN VITAM PROPITIATUS ÆTERNAM. PER DOMINUM. Et postea. *Et interrogantibus Diaconis nomina singulorum, Pontifex* TINCTO POLLICE IN CHRISMATE, *facit* CRUCEM *in* FRONTE *unius, similiter per omnes singillatim.* Ex quo etiam loco compertum est Confirmationem esse *distinctam* à Baptismo, & *Spiritum sanctum* descendere super *Neophytos* ad invocationem *Pontificis manus imponentis* super eos: quod sufficit ut Confirmatio censeatur Sacramentum propriè dictum.

Dallæus lib. III. c. VI. fatetur, primum istius operis authorem fuisse Gregorium: existimat tamen illud minimè sincerum ac purum ad nos usque pervenisse, multis pro temporum varietate subinde additis, nonnullis fortè detractis, quod in hujusmodi Ritualibus libris usu venire solet. Qua de re ne cum Dallæo contendam, moneo librum unde ea verba excerpta sunt, editum fuisse ab Hugone Menardo Benedictino ex Codice MS. annorum DCCC. & suprà. Neque verò aliquid additum aut detractum fuisse ex Gregoriano ipso circa Sacramentum Confirmationis fas est suspicari, maximè cùm in eo consentiant quotquot supersunt vetustiores & melioris notæ Codices MSS. Si tamen additum quid vel detractum esse constaret, saltem constat ab octingentis annis & ampliùs eandem fuisse mentem Ecclesiæ, cujus usui liber ille Sacramentorum erat.

EULOGIUS ALEXANDRINUS.

Qui floruit sub Marciano Imperatore, & ad quem Gregorius Magnus Epistolas misit, apud Photium in Bibliotheca,

num. CCLXXX. in Excerptis lib. II. contra Novat. *Elementa*, inquit, *exordii sermonum Dei est Dei cognitio, & oportet accedentes ad Christum primùm peccatis renunciare quibus constringebantur, hoc est sejungi ab operibus mortuis: secundò redemptionem priorum peccatorum per Baptismum accipere, & hoc in fide recipientes doctrinam discere. Quid enim Judaïcum fuerit, quidve salutare? Deinde progressione facta dignior reddi* ADVENTU SANCTI SPIRITUS, *qui per* IMPOSITIONEM MANUUM *Apostolorum fiebat, denique mortuorum resurrectionem ac judicium futurum.* Idem repetit inferiùs expendens locum Hebr. VI.

CONCILIUM HISPALENSE II.

Coactum est æra DCLVII. sub Bonifacio V. Meminit cap. VII. Confirmationis, recensendo ea quæ prohibita sunt Presbyteris in hæc verba. *Nec per* IMPOSITIONEM MANÛS *fidelibus* BAPTIZATIS *vel conversis ex hæresi* PARACLETUM SPIRITUM *tradere, nec* CHRISMA *conficere*, NEC CHRISMATE BAPTIZATORUM FRONTES SIGNARE.

CONCILIUM TOLETANUM IV.

Sub Honorio, æra DCLXXI. Can. LVI. aliis LVII. ubi de Judæis qui per vim ad Christianitatem venire compulsi fuerant: *Quia*, inquit Conc. *jam constat eos esse Sacramentis divinis associatos, & Baptismi gratiam percepisse, &* CHRISMATE UNCTOS *esse, & Corporis Domini & Sanguinis extitisse participes.*

S. ISIDORUS HISPALENSIS.

Interfuit duobus præcedentibus Conciliis & obiit anno DCLXXXV. Hic lib. de Officiis c. XXVI. POST *Baptismum, per* EPISCOPOS *datur* SPIRITUS SANCTUS, *cum* MANUUM IMPOSITIONE. Et postea. *Spiritum autem sanctum accipere possumus, dare autem non possumus, sed ut detur Deum invocamus.*

Lib. VI. Originum c. ultimo. *Sunt autem Sacramenta Baptismum &* CHRISMA, *Corpus & Sanguis Christi: quæ ob id* SACRAMENTA *dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum,* VIRTUS DIVINA *secretiùs* SALUTEM *eorundem Sacramentorum*

OPERATUR : *unde & à secretis virtutibus vel sacris Sacramenta dicuntur. Quæ ideo fructuosè penès Ecclesiam fiunt, quia sanctus in ea manens* SPIRITUS *eorundem latenter* SACRAMENTORUM OPERATUR EFFECTUM. Et infrà. CHRISMA *Græcè*, *Latinè* UNCTIO *nominatur, ex cujus nomine & Christus dicitur, & homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur; ita* PER UNCTIONEM SANCTIFICATIO SPIRITÛS ADHIBETUR. Et postea. MANÛS IMPOSITIO *ideo fit, ut per benedictionem advocatus* INVITETUR SPIRITUS SANCTUS. *Tunc enim ille Paracletus* POST *mundata & benedicta corpora libens à Patre descendit, & quasi* SUPER BAPTISMI AQUAM, *tanquam super pristinam sedem recognoscens quiescit.* Quæ postrema verba mutuatus est Isidorus à Tertulliano. His locis habetur Spiritum sanctum dari per Episcopos cum manûs impositione post Baptismum; Chrismationem esse Sacramentum, & quidem propriè dictum, quod recipitur post Baptisma susceptum. Observa videri, quòd Isidorus Hispalensis existimaverit Spiritum sanctum remittere peccata in Baptismo, & sanctificare animam in Confirmatione.

At, inquit Dallæus, lib. III. c. IX. *Ut Corpus & Sanguis unius Sacramenti sunt partes diversæ, & non duo Sacramenta propriè; ita Baptismus & Chrisma sunt unius Sacramenti duæ partes.*

Respondeo. Ut Corpus & Sanguis sunt de institutione divina, sic Baptismus & Chrisma: sed Chrisma non potest esse de institutione divina, nisi sit Sacramentum à Baptismo distinctum. Deinde contextus docet Chrisma non pertinere ad Baptismum: nam dicitur *dari post Baptismum, post lavacrum, post mundata & benedicta corpora.* Denique ut Corpus & Sanguis dicuntur Sacramenta in plurali, quia sunt suo modo distincta, hoc est ratione specierum; ita Baptismus & Chrisma sunt suo quoque modo Sacramenta distincta. Modus verò distinctionis illorum est, quòd specie distinguuntur, quòd distinguuntur effectu & signo simul, non signo solo.

Dallæus ibidem observat ex eodem Isidoro de viris illustribus c. XLV. Eutropium à Luciniano per Epistolam petiisse: *Quare baptizatis infantibus Chrisma, posthæc unctio tribuatur?* Unde infert Chrisma tunc temporis non fuisse habitum pro Sacramento. Quia illud ignorasse virum eruditum, qualis fuit Eutropius, absurdum videtur. Meliùs ille longè at-

que rectiùs intulisset, Eutropium dubitasse de necessitate Chrismationis *Baptismalis*, supposita necessitate unctionis *confirmatoriæ*; & existimasse adhibendum minimè Chrisma in Baptismo, quia in Confirmatione adhibetur; vel iis qui fuerunt in Baptismo chrismati, manus imponendas esse in Confirmatione absque oleo.

BEDA VENERABILIS.

Plenus dierum obiisse creditur anno DCCXXXV. Explanatione in Psal. XXVI. observat Davidem ter fuisse inunctum. I. à Samuële, cùm adhuc puer esset. II. à Nathan Propheta, quando Rex super Judam tantùm constitutus est in Hebron. III. quando super Hierusalem & omnem Israëlem. Nos quoque tripliciter esse inungendos: bis dum hîc vivimus, tertiò in vita æterna quæ promittitur nobis, & perficietur in ultima Regni & Sacerdotii nostri perfectione in cœlis: quam unctionem modò desideramus duabus prioribus deliburi. Prophetam expressisse primam unctionem per *Illuminationem*, secundam per *Salutem*, quando ait: *Dominus illuminatio mea & salus mea &c. Potest quoque*, inquit, *si cui libuerit*, ILLUMINATIO *ad primam tantùm unctionem, in qua simpliciter abrenunciamus satanæ, referri.* SALUS *verò ad secundam, in qua magis firmamur: quia & nomen Christi in ea profitemur.* Et postea opponens sibi dari tertiam aliquam in hac vita, nimirum confirmatoriam, à duabus aliis diversam, subjicit: *Sciendum autem quòd illa* UNCTIO, *quæ per* MANUUM IMPOSITIONEM *ab* EPISCOPIS, *quasi alia à duabus prædictis, & vulgò* CONFIRMATIO *dicitur, eadem est cum secunda: propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.*

Opponit Dallæus lib. III. c. X. quòd cùm unctio quæ ab Episcopis fit, ex Beda, sit eadem cum unctione secunda, est institutionis purè Ecclesiasticæ.

Respondeo. In sententia, quæ collocat materiam essentialem totalem Confirmationis in *manûs impositione*; unctionem Episcopalem præcisè sumptam esse eandem cum secunda Baptismali: quia utraque fit ex Chrismate, & utraque est institutionis Ecclesiasticæ. In alia opinione, quæ vult illam materiam coalescere ex *Chrismatione* & *manûs impositione*,

est eadem cum secunda Baptismali, si consideretur ut abstracta atque avulsa à materiali sua comparte essentiali: quo modo spectata non est confirmatoria. Denique apud eos quibus Chrismatio est materia unica Confirmationis, nihil est quod responderi queat, nisi quòd est eadem materialiter considerata, & diversa formaliter. Viderint porrò quorum interest, utrum hæc ultima responsio satisfaciat.

In caput XXII. Lucæ. *Pulchrè*, inquit, *sui Corporis & Sanguinis mysteriis imbutos in montem olivarum Discipulos educit: ut omnes in morte sua baptizatos, altissimo sancti Spiritus* CHRISMATE CONFIRMANDOS *esse designet, qui dicere possint cum Psalmista:* SIGNATUM EST SUPER NOS *&c. & de quibus antè subjungitur:* A FRUCTU FRUMENTI, VINI ET OLEI SUI MULTIPLICATI SUNT.

Opponit Dallæus, verba ista Bedæ esse intelligenda de tertia illa unctione, quam in cælis expectamus, non de secunda, aut Episcopali, quæ est eadem cum hac secunda: quod & montis olivarum Typus, & Altissimi elogium, & laudatus è Psalmo versiculus, & anteacta Eucharistiæ misteria videntur ostendere.

Respondeo, nihil cogere ut ea verba interpretemur de tertia inunctione: veriùs exponi ad litteram de secunda. Sensus ejus est, quòd Christus imbutos Sacramento Corporis & Sanguinis sui, mortis suæ imagine, ducit in montem Olivarum: quo designet mortuos cum Christo in Baptismo confirmandos esse sancti Spiritus Chrismate, hoc est, Sacramento Confirmationis, per quod Spiritus sanctus tribuitur.

Et Homiliâ in octavam Epiphaniæ. *Ramum*, inquit, *olivæ columba corporalis ablutum diluvii aquis detulit in Arcam. Spiritus sanctus in specie columbæ corporalis baptizatum aquâ Jordanis descendit in Dominum. Nos quoque Christi & Ecclesiæ membra*, POST ACCEPTUM, UNDÆ REGENERATIONIS LAVACRUM, PER UNCTIONEM SACRI CHRISMATIS GRATIA SPIRITUS SANCTI SIGNAMUR.

Opponit Dallæus, hæc esse intelligenda de unctione secunda Baptismali, quæ nec est confirmatoria, nec Sacramentum.

Respondeo esse intelligenda de Episcopali, hoc est, de ea quæ fit per *manûs impositionem*: & hæc unctio est confirmatoria ac Sacramentalis; si non ratione sui, saltem ra-

tione manûs impositionis sibi adjunctæ.

Idem Beda in cap. VIII. Actuum Apostolorum nostram fidem de Sacramento Confirmationis explicat, cujus verba superius retulimus disp. II. a. I.

Et in hæc verba Cant. I. *In vineis Engaddi*, sic loquitur. IN VINEIS ENGADDI BALSAMUM *gignitur, quod in* CHRISMATIS CONFECTIONE *liquori* OLIVÆ *admisceri*, ac PONTIFICALI BENEDICTIONE CONSECRARI, *quatenus fideles omnes cum* IMPOSITIONE MANÛS *Sacerdotalis, qua* SPIRITUS SANCTUS *accipitur, hac* UNCTIONE *signentur.* En Spiritum sanctum, qui accipitur per manus impositionem, quando Chrismate ab Episcopo confecto atque consecrato fidelis inungitur: quæ manus impositio quid est, præter Sacramentum Confirmationis?

Ac denique in vita sancti Cudberti Lindisfarn. de eo Præsule. *Quadam autem die, dum Parochiam suam circumiens monita salutis omnibus ruri casis & viculis largiretur, nec non etiam* NUPER BAPTIZATIS *ad accipiendum* SPIRITUS SANCTI GRATIAM MANUM IMPONERET *&c.*

GREGORIUS TERTIUS.

Epist. VII. quæ est ad Bonifacium Archiepiscopum ita loquitur. *Illi verò qui baptizati sunt per diversitatem & declinationem linguarum Gentilitatis; tamen quia in nomine Trinitatis* BAPTIZATI *sunt, oportet eos per* MANÛS IMPOSITIONEM *& sacri* CHRISMATIS *unctionem* CONFIRMARI. Sedere cœpit anno DCCXXXI.

ZACHARIAS.

Gregorii Tertii successor, qui Pontificatum suum inchoavit an. DCCXLII. Epist. XI. ad Bonifacium, refellit hæresim cujusdam Samsonis Presbyteri, genere Scoti, qui putabat hominem sinè Baptismo fieri posse Christianum Catholicum, per *Episcopalis manûs impositionem.* Quo ex loco habemus usum Episcopalis manûs impositionis confirmatoriæ.

CONCILIUM LIPTINENSE.

Celebratum est anno DCCXLIII. cujus Canonis tertii hæc

verba leguntur. *Quandocunque jure Canonico Episcopus circumierit Parochiam ad* CONFIRMANDOS *populos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum, cum collectione & adjutorio populi qui ibi* CONFIRMARI *debet. Et in Cœna Domini semper novum* CHRISMA *accipiat ab* EPISCOPO. Idem definitum fuisse legitur in Conc. Germanico apud Surium in vita S. Bonifacii Mogunt. l. 1. anno superiore congregato.

JOANNES OCTAVUS.

Adeptus est Pontificatum Romanum anno DCCCLXXII. Quare ad IX. sæculi authores pertinet. Primum illum profero non ætate, sed dignitate. Epistolis CCXXXII. & CCXXXIII. appellat *Chrisma, totius Christianitatis salutem & perfectionem veram.* Loquitur de Confirmatione. Non effugiet certè propter eam loquendi rationem, Calvini censuram: quam quidem haud gravatè feret, quia socios habet Leonem Magnum & Augustinum.

ORDO ROMANUS.

In ordine Sabbathi sancti. *Pontifex verò veniens ad infantes* (Baptismate scilicet perfecto) *tenente Archidiacono* CHRISMA, *involutis scapulis & brachiis ex panno lineo,* ELEVATA ET IMPOSITA MANU SUPER CAPITA OMNIUM, *det orationem super eos, cum invocatione* SEPTIFORMIS GRATIÆ SPIRITUS SANCTI: *Omnipotens sempiterne Deus &c.* Sicut in Sacramentario S. Gregorii. *Oratione expleta, interrogantibus Diaconibus nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in* CHRISMATE, *faciat crucem in* FRONTIBUS *singulorum ita dicendo,* CONFIRMO TE IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. *Respons. Amen. Pax tecum. Respons. Et cum spiritu tuo. Iterum* CONFIRMATIS *omnibus dicit hos versus: Ecce &c.*

JESSE AMBIANENSIS.

Epistolâ de Baptismo. *Post hæc* CONFIRMET *eum* EPISCOPUS *in* FRONTE *de* CHRISMATE. *Ideoque* MANÛS IMPOSITIO *fit, ut per benedictionem advocatus & invitatus* SPIRITUS SANCTUS *super eos* DESCENDAT JUXTA EXEMPLUM *Apostolorum.*

Deinde refert verba Act. VIII. Et infrà. *Novissimè autem Corpore & Sanguine Christi* CONFIRMATUR *infans, ut ejus possit esse membrum, qui pro eo passus est & resurrexit.* Refert quoque verba Innocentii I. Epist. ad Decentium.

THEODULPHUS AURELIANENSIS.

Libro de *Ordine Baptismi*, ad Magnum Senon. Archiepiscopum, c. XVI. *Quibus etiam* (nimirum baptizatis) SEPTIFORMIS GRATIÆ SPIRITUS *per* CHRISMATIS *unctionem conceditur: ut non solùm Spiritûs, qui unius est cum Patre & Filio substantiæ, sed totius sanctæ Trinitatis habitaculum effici mereantur.* Et immediatè pòst, c. XVII. *Quòd ergo Presbyteris* BAPTIZATOS CHRISMATE UNGERE *licet*, SPIRITUM VERÒ SANCTUM *per* MANÛS IMPOSITIONEM *tradere non licet; antiquus iste mos ab Apostolis Ecclesiæ est traditus.* Refert verba Act. XIX. & VIII. ac subjicit. *Sicut cætera Baptismatis Sacramenta per Sacerdotes visibiliter fiunt, per Deum invisibiliter consecrantur: ita nimirum, &* SPIRITÛS GRATIA *per* IMPOSITIONEM MANUUM *& ministerium Episcoporum fidelibus traditur.* Et postea describit verba Innocentii ad Decentium. Et c. XVIII. cujus titulus est iste: *Cur Corpore & Sanguine Dominico* CONFIRMETUR *seu consummetur?* Et istud est initium. *Propter hanc vitam adipiscendam & baptizamur & ejus carne pascimur.*

MAGNUS SENONENSIS.

Ille cum cæteris ejusdem Provinciæ Episcopis, Epist. ad Carolum Magnum Imperatorem, quæ habetur in MSS. Corbeïensi. PERACTIS *omnibus Baptismatis Sacramentis, novissimè per* MANÛS IMPOSITIONEM *à* SUMMO SACERDOTE SEPTIFORMIS GRATIÆ SPIRITUM *accipiunt, ut corroborentur in fide recta per Spiritum rectum.* Locus iste citatur à Sirmondo in Antirrhetico: qui in notis ad Theodulfum monet hunc tractatum nondum editum apud se esse.

AMALARIUS FORTUNATUS TREVIRENSIS.

Lib. I. de Officiis cap. XXVII. *De illis qui per negligentiam amittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt* MANÛS IMPOSITIONEM,

SITIONEM, *pensandum est, ne fortè in justitia illa damnentur in qua negligenter exercent justitiam : quia debuerunt festinare ad* MANUS IMPOSITIONEM. Et postea. *Per* MANUS IMPOSITIONEM *intimavit Paulus Apostolus accipere* SPIRITUM SANCTUM *credentes, imponendo manus discipulis, quando venit Ephesum.* Et infrà. *Non nego, posse hominem accipere Spiritum sanctum sinè* IMPOSITIONE MANÛS, *si eum Dominus dare voluerit : sed eum oppidò constringit Apostolica observatio, quam exercuerunt per* MANÛS IMPOSITIONEM, *& cura præsens Ecclesiastica, qui per negligentiam perdit* MANUS IMPOSITIONEM. Et infrà, observat formam esse deprecatoriam, Ministrum Episcopum. Affert verba Act. VIII. & Innoc. I.

Observa, Epistolam *de Caremoniis Baptismi*, quæ hactenus sub nomine *Alcuini*, atque inter ejus opera prodiit, esse *Amalarii.* Nam & sub finem leguntur hæc verba. *Dixisti, Serenissime Auguste, velle vos scire, qualiter nos & nostri* SUFFRAGANEI *doceremus populum Dei de Baptismatis Sacramento.* Ex quibus constat Alcuinum non esse illius authorem, sed Archiepiscopum aliquem : & Codex Petavianus *Amalarium* hunc esse declarat. Ibi verò nulla fit mentio *manûs impositionis* aut *Chrismationis confirmatoriæ*, habeturque tantùm sermo Confirmationis, Corporis & Sanguinis Christi verbis sequentibus. CONFIRMATUS *postea Corpore & Sanguine Domini, ut sciat per talia mysteria diabolum expulsum ab ejus corde ac Christum inhabitare, ita ut confidenter dicamus illis : Omnes* QUI IN CHRISTO BAPTIZATI ESTIS, CHRISTUM INDUISTIS. Viderit Dallæus sitne ex eo loco probaturus Eucharistiam pertinere ad Baptismum tanquam nudam illius cæremoniam, utpote cui Baptismi effectus attribuitur.

RABBANUS MAURUS MOGUNTINUS.

Postquam lib. I. de Instit. Cleric. c. XXIV. scripsit, seu potiùs exscripsit verba Isidori lib. VI. originum cap. ult. *Sunt autem Sacramenta Baptismum & Chrisma, Corpus & Sanguis &c.* Postquam c. XXV. asseruit primum Sacramentorum esse Baptisma, quia confertur antequam sancto Chrismate ungatur aliquis. Postquam dixit c. XXIX. *Post Baptismum autem traditur Christiano vestis candida.* Et infrà. *Deinde Corpore & Sanguine Dominico omne praecedens Sacramentum in eo confir-*

matur : quia hæc ideo accipere debet, ut Deum habere mereatur in se habitatorem, & illius capitis sit membrum, qui passus est & resurrexit pro nobis. Dicit enim ipsa veritas. QUI MANDUCAT MEAM CARNEM *&c.* Et caput XXX. quod est, *de* IMPOSITIONE MANÛS EPISCOPALIS *&* CHRISMATIS SACRAMENTO, aggreditur à sequentibus verbis istis. *Novissimè autem à* SUMMO SACERDOTE *per* IMPOSITIONEM MANÛS *Paracletus traditur illi* SPIRITUS SANCTUS: *ut* ROBORETUR *per* SPIRITUM SANCTUM, *ad prædicandum aliis idem donum quod ipse in Baptismate consecutus est, per gratiam vitæ donatus æternæ.* Et capitis sequentis, quod est, de *Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, illud est exordium. *Sed quia de* DUOBUS SACRAMENTIS, *id est, Baptismo &* CHRISMATE *disseruimus; superest, ut de reliquis duobus, id est, Corpore & Sanguine Domini investigemus.*

HERALDUS TURONENSIS.

In Synodo quam coegit anno DCCCLVIII. cap. LXXV. *Ut jejuni* AD CONFIRMATIONEM *veniant perfectæ ætatis, & moneantur Confessiones dare priùs, ut mundi* DONUM SANCTI SPIRITUS *valeant accipere.*

RATRAMNUS CORBIENSIS MONACHUS.

Lib. IV. contra Græcorum opposita cap. VII. *Manus imponentibus super eos Apostolis, acceperunt Spiritum sanctum. Quæ forma servatur hodieque in Ecclesia, ut baptizentur quidem fideles per Presbyteros,* GRATIA *verò* SPIRITUS SANCTI *per* IMPOSITIONEM MANUUM *tribuatur ab* EPISCOPIS : *quod tunc fit, quando* FRONTES *baptizatorum* CHRISMATE *sancto liniuntur.*

JONAS AURELIANENSIS.

Lib. I. de Institut. Laïcali cap. VII. ita loquitur. *Perceptio sancti Spiritus, quæ per* MANÛS IMPOSITIONEM *ab* EPISCOPIS *tribuitur.* Et postea relatis verbis Actorum XIX. & VIII. subjungit. *Notandum est, quòd in neminem baptizatorum venerit Spiritus sanctus, nisi per* IMPOSITIONEM MANUUM *Apo-*

stolorum. Credendum verò est quia sicut Baptismatis & Corporis & Sanguinis Dominici Sacramenta per Sacerdotum ministeria visibilia fiunt, & per Deum invisibiliter consecrantur: ita nimirum, SPIRITUS SANCTI GRATIA *per* IMPOSITIONEM MANUUM, *ministerium administratum* EPISCOPORUM *fidelibus invisibiliter tribuatur.*

AUTHOR LIBRI DE DIVINIS OFFICIIS.

Cap. XIX. *Postquam induti fuerint, dat Pontifex super eos orationem*, IMPOSITA SCILICET MANU SUPER CAPITA EORUM, *cum invocatione* SEPTIFORMIS GRATIÆ SPIRITUS SANCTI. *Oratio.* OMNIPOTENS SEMPITERNE DEUS, QUI REGENERARE. *Hac finita, facit crucem de* CHRISMATE *cum pollice, in singulorum* FRONTIBUS, *ita dicendo:* IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. *Pax tibi. Respondeant omnes: Et cum Spiritu tuo. Hæc verba sunt salutationis ad novum hominem qui regeneratur. Sanè illud præcavendum est, ut hoc non negligatur. Quia in hoc omne Baptismum legitimum christianitatis nomine* CONFIRMATUR. Et postea. *De hac verò* CONFIRMATIONE *S. Innocentius Papa, non ab alio quàm ab* EPISCOPO *fieri licere asserit.*

At, inquit Spalatensis num. XXIV. monet Alcuinus ibi hoc pacto: *Sanè illud præcavendum est, ut hoc non negligatur. Quia in hoc omne Baptisma legitimum christianitatis nomine confirmatur.* Non est igitur hæc consignatio Sacramentum Confirmationis, sed est Confirmatio Sacramenti, nimirùm Baptismi, & consequenter etiam secundum Alcuinum, ad Baptismum spectat.

Respondeo, Alcuinum non esse authorem hujus operis. Rectè author, quisquis tandem ille sit, scribit Confirmationem esse *Confirmationem Sacramenti Baptismatis*: sed est etiam *Sacramentum*: & *Sacramentum Baptismi confirmatur per Sacramentum Confirmationis*, eo sensu, quòd *perficit* gratiam Baptismalem, & facit ut evadamus *digni propriè nomine Christiani.* Sic Rabanus ait *Baptismum confirmari per Eucharistiam*, quæ est Sacramentum penitus à Baptismo distinctum.

ALCUINUS.

Epistolâ ad Oduinum Presbyterum. *De Baptismi cæremoniis,*

ſub finem. *Sic Corpore & Sanguine Domini confirmatur, ut illius ſit capitis membrum, qui pro eo paſſus eſt & reſurrexit. Noviſſime per* IMPOSITIONEM MANUUM A SUMMO SACERDOTE SEPTIFORMIS GRATIÆ SPIRITUM *accipit, ut* ROBORETUR *per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in Baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ.* Initio ſcripſerat. *Ad cognoſcendum ſacri Baptiſmatis ordinem, de miniſteriis totius officii tibi breviter ſcribere volui.* Obſerva, ſermonem hîc haberi de *Confirmatione* poſt *Euchariſtiam.* Ex quo ſequitur Confirmationem non eſſe Baptiſmi ritum. Deinde authorem ſibi propoſuiſſe ſcribere de miniſteriis totius officii, hoc eſt, Baptiſmatis, Euchariſtiæ, & Confirmationis, quæ tertia eſt in eodem officio, & continenter cum duobus aliis celebrabatur.

APONIUS.

Initio hujus ſæculi floruiſſe fertur. Vir doctus ſcripſit in Cantica Cantic. libros VI. in quorum primo circa medium leguntur hæc verba. *Quem cibum Eccleſia de ſupradictis uberibus in Baptiſmatis ſuſcipit Sacramento; ubi trinâ confeſſione Patris & Filii & Spiritus ſancti, notitiæ odorem cognoſcit, cùm ei ſæpe dictum doctrinæ lac, triformem contulerit redemptionis medelam; liquorem ſcilicet Baptiſmatis candidiſſimum, ſuavemque ſuccum Corporis Chriſti, &* PINGUISSIMUM BUTYRUM SACRI CHRISMATIS, OLEUM PER QUOD SPIRITUS SANCTUS INFUNDITUR. Obſerva Chriſma ibi commemorari poſt Euchariſtiam.

CONCILIUM CABILONENSE II.

Canon XXVII. Concilii iſtius celebrati anno DCCCXIII. facit aliquid ad noſtrum inſtitutum. Nam licèt eò ſpectet duntaxat, ut prohibeat iterari Confirmationem; iis tamen verbis illud vetat, quæ ſubindicare videntur eam eſſe Sacramentum. *Dictum nobis eſt*, inquiunt Patres, *quòd quidam de plebe bis aut ter ab* EPISCOPIS, *ignorantibus iiſdem Epiſcopis*, CONFIRMENTUR. *Unde nobis viſum eſt, eandem* CONFIRMATIONEM, *ſicut nec* BAPTISMUM *iterari minimè debere.* Comparatio inſtituitur inter Baptiſmum & Confirmationem, quorum declaratur eſſe eadem ratio.

CONCILIUM PARISIENSE VI.

Congregatum eſt anno DCCCXXIX. Libri primi caput XXXIII. iſta continet. *Perlatum eſt ad nos, quòd in quibuſdam Provinciis, plerique Epiſcopi poſt perceptionem cibi & potûs ſoleant per* IMPOSITIONEM MANUUM *tradere* SPIRITUM SANCTUM; *quod tam excellenti miniſterio prorſus non convenire, & ita deinceps fieri non debere omnibus nobis viſum eſt. Quoniam credibile eſt, & authoritas Eccleſiæ ita ſe habet, ut ſicut Apoſtoli unanimes exiſtentes, Deumque collaudantes & benedicentes; ita nimirum jejunantes accipere meruerunt Paracletum Spiritum ſanctum, eoſque non niſi jejunos, ſicut eorum Acta docent, aliis eum tradidiſſe manifeſtum eſt. Sicut enim Baptiſmus, exceptâ infirmorum causâ, non niſi à jejunis celebratur Sacerdotibus; ita etiam* TRADITIO SPIRITUS SANCTI, *exceptâ præmiſſâ causâ infirmorum, non niſi à jejunis celebranda eſt* PONTIFICIBUS. *Dignum quippe eſt, ut Pontifices Chriſti primùm jejunando & orando, in cordibus ſuis domum præparent Spiritui ſancto, & ſic per* IMPOSITIONEM MANUUM *cæteris fidelibus eum* TRADANT ORANDO. *Sicut autem duobus temporibus, Paſchâ videlicet & Pentecoſte Baptiſmum, ita etiam* TRADITIO SANCTI SPIRITUS *per* IMPOSITIONEM MANUUM *fidelibus tradatur: exceptis videlicet, ut dictum eſt, infirmis & morte periclitantibus, quibus ſicut Baptiſmatis gratiâ ſuccurrendum, ita incunctanter* DONUM SPIRITUS SANCTI *eſt tradendum.* Ecce multoties repetitum, quòd Epiſcopi tradunt Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem. Et anteà c. XXVII. ubi de muniis Chorepiſcoporum, disertè docet noſtram propoſitionem.

Dallæus libro III. c. XIII. & XIV. proponit quatuor diſcrimina Chriſmationis IX. ſæculo receptæ, ab hodierna Latinorum: quorum I. eſt, quòd hæc Chriſmatio, unà cum Baptiſmo, cujus erat confirmatio, quantùm fieri poterat, conjungebatur; Latini nunc à Baptiſmo plenè penituſque ſejunxerunt, ac diviſerunt, velut ritum nihil ad eum pertinentem. II. quòd cùm ex illo ſæculo nemo ſolo Chriſmate ab Epiſcopo ſinè manûs impoſitione confirmaretur; hæc nunc apud Latinos fieri planè penituſque jamdudum deſiit. III. (quod præcipuum ac capitale eſt) Confirmationis Epiſcopalis ritum Latini nunc quidem pro vero & à Baptiſmo di-

ſtincto Sacramento habent; illi verò IX. ſæculi Chriſtiani pro Baptiſmi cæremonia cenſebant. IV. denique, quòd authores hujus ævi arbitrarentur Chriſmationem Epiſcopalem eandem eſſe cum Preſbyterali.

Concedo I. illud diſcrimen intercedere. Sed quid iſtud ad probandum Confirmationem non eſſe Sacramentum propriè dictum, & diſtinctum penitus à Baptiſmate? Euchariſtia etiam eo tempore unà cum Baptiſmo miniſtrabatur: quam tamen nemo niſi amens nudam Baptiſmi cæremoniam eſſe pronunciaverit.

De ſecundo diſcrimine plurimùm abeſt ut conveniam: quin potiùs aſſevero manus imponi Neophytis in Confirmatione, & ſi qui aliud aſſeverent, eſſe explodendos.

Tertium, quod palmare eſt Dallæi fundamentum, impugno. I. quia ritus ille non pertinet ad Baptiſmum, quem ordinarius Miniſter Baptiſmi ſolemnis conferre non poteſt. At ſimplex Sacerdos, qui Baptiſmi ſolemnis eſt Miniſter ordinarius, non poteſt confirmatoriam manum imponere, nec in fronte Chriſmare baptizatos unctione confirmatoria. II. quod recipitur aliquando poſt Euchariſtiam continenter ſuſceptam revocari non poteſt ad ritum Baptiſmi. Sed ex Alcuino Epiſt. ad Oduinum, & Rabano Mauro loco citato, noviſſimè & poſt Euchariſtiam ſuſceptam Confirmatio ſuſcipiebatur. Ergo non habebatur per id temporis ſimplex Baptiſmi ritus. III. Amalarius Epiſt. ad Carolum Magnum citatâ, quæ eſt de *Cæremoniis Baptiſmi*, tacet omnino de Confirmatione, qui tamen ibi meminit Euchariſtiæ continenter adminiſtratæ cum Baptiſmo: quod argumento eſt Confirmationem pro ritu ſimplici Baptiſmi non fuiſſe reputatam. IV. Magnus Epiſt. citatâ ſcribit. *Peractis omnibus Sacramentis, per* MANÛS IMPOSITIONEM *à* SUMMO SACERDOTE SEPTIFORMIS GRATIÆ SPIRITUM *accipi.* Quæ loquendi ratio ſignificat Confirmationem non eſſe cenſendam inter Baptiſmi ritus. V. denique, quia infirma ſunt fundamenta quibus Dallæus nititur.

Ait I. *Quòd authores iſti de Confirmatione nuſquam fere niſi in iis locis ac capitibus agunt, in quibus ipſius Baptiſmi ritus tradunt: ut videre eſt apud eos omnes authores, qui de Eccleſiaſticis officiis ſcripſerunt. Theodulphi libri de Baptiſmi ordine caput* XVII. *de Epiſcopali Confirmatione totum eſt. Eadem eſt, Alcuini*

ratio Epist. ad Oduinum. Quorsùm, si ea nullus Baptismi ritus, nullaque pars est?

Respondeo, opponendum esse Dallæo. I. Ratramnum, Jonam & Aponium scripsisse de Confirmatione, etiam extra locos in quibus agebatur de Baptismi ritibus ac cæremoniis. Concilia quoque Cabilon. II. & Parisiense VI. de ea definivisse, cùm de Baptismo minimè ageretur. II. caput XVIII. libri Theodulphi de *ordine Baptismi* totum est de Eucharistia, sicut caput XVII. totum est de Confirmatione. Viderit ergo Dallæus, quid sit suis ipse verbis repositurus de Theodulpho. *Ille profectò vel stultus fuit, qui de* BAPTISMI ORDINE *ac ritibus dicturum se professus, de re à suo argumento aliena temerè & absque ratione garrit; vel (quod verum & ex toto libro manifestum est) hunc quoque Confirmationis ritum perinde ut alios, quos diligentissimè enarrat, exorcismum, salem, sputum, unctionem ex oleo, albarum vestium amictum, Presbyterale Chrisma, mysticum capitis velamen ad Baptismum pertinere, ejusque cæremoniam esse existimavit.* An stultus Theodulphus, qui de Confirmatione cap. XVII. libri cui titulus est, *De Baptismi ordine*; & non stultus, qui de Eucharistia, ejusdem libri cap. XVIII. disseruit? An de re à suo argumento aliena, & absque ratione garriebat, ubi de Corpore & Sanguine Dominico? Aut si, ne stultitiæ argueretur verba faciens de Confirmatione hæc ad ritum Baptismi revocanda, ridiculus non erit ille dicens, de Eucharistia, quæ nullatenus referri potest ad Baptismum, velut ad ipsius nudam simplicemque cæremoniam? Alcuini, ut bene Dallæus animadvertit, Epistolâ ad *Oduinum*, eadem est ratio. In illa tamen ipse meminit Eucharistiæ, sicut meminit Confirmationis; imò antè meminit Eucharistiæ quàm Confirmationis. *Quorsum*, inquit Dallæus, *si ea nullus Baptismi ritus nullaque pars est?* At, ego aio, Eucharistia nullus Baptismi ritus nullaque pars est. Sed quid de Amalario, Epistolâ quam scripsit de *Cæremoniis Baptismi*, in qua Epistola ne verbum quidem habet de Sacramento Confirmationis, loquitur verò de Eucharistiæ participatione? Si lubet argumentari cum Dallæo; Eucharistia Baptismi ritus erit, Confirmatio Baptismi ritus non erit. Dico denique quamplurimos istorum authorum, de ordine Baptismi scripsisse duntaxat, ut Jesse, Theodulphus, Magnus, suique instituti fuisse Confirmationem, quæ cum

Baptiſmate tradebatur, & Euchariſtiam commemorare.

Ait II. quòd ut ſuprà Iſidorus, ſic ipſe quoque Chriſtianorum Sacramenta recenſens Rabanus lib. I. de Inſtitut. Cleric. c. XXIV. & XXXI. Corpus & Sanguinem Chriſti *duo* Sacramenta æque numerat, ut Baptiſmum & Chriſma.

Reſpondeo, me aperuiſſe ſuprà, quo ſenſu Iſidorus locutus fuerit. Idem Rabani animus verba ipſa Iſidori referentis.

Ait III. Primaſium (quem putat eſſe Haimonem Halberſtatenſem, poſt Blondellum lib. de Epiſcopis pag. LXXII.) commentariis ſuis in Epiſtolam ab Hebræos docuiſſe Confirmationem annumerandam inter Baptiſmi ritus: quia ſcribit ad cap. XIII. SPIRITUM SANCTUM *in* BAPTISMATE *per* EPISCOPALEM MANÛS IMPOSITIONEM DARI.

Reſpondeo, fuiſſe à me obſervatum in Primaſio quid ſignificaret vox iſta *in Baptiſmate*, nimirum id quod continenter poſt Baptiſmum traditur. Eadem videlicet mens fuit ipſius quæ Cypri. Epiſt. LXX. *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui* BAPTIZATUS SIT. Concilii Laodic. c. XLVIII. *Oportet eos qui illuminantur*, POST BAPTISMUM *inungi*. Cyrilli Hieroſ. Catecheſi III. Myſtagogica. *Sic & vos* POST SACRUM BAPTISMA *& Chriſma myſticum*. Hieronymi Dialogo adversùs Luciferianos. Ut *baptizatis* POSTEA *manus imponatur*. Cyrilli Alex. Comment. in Joël. *Acceſſit item uſus olei, qui per ſacrum Baptiſma in Chriſto* JUSTIFICATIS *ad conſummationem confert*. Leonis Magni Serm. IV. de Nativit. RENATI *per aquam & Spiritum ſanctum*, ACCEPISTIS *Chriſma ſalutis*. Hil. Arel. Hom. de Pentecoſte. POST BAPTISMUM *confirmamur*. Gennadii Conſtantinopolitani Patriarchæ: *Baptizati* ſe ipſos ſubjiciant impoſitioni *manuum Sacerdotum ad participationem Spiritûs*. Job Monachi lib. III. de Verbo incarnato. *Baptizamur*, DEINDE *unguento ungimur, inde pretioſo Sanguine dignamur*. Iſid. lib. II. de Officiis c. XXVI. POST BAPTISMUM *per Epiſcopos datur Spiritus ſanctus*. Et lib. VI. Originum c. ultimo. POST *lavacrum*, POST *mundata & benedicta corpora*. Bedæ Homil. in Octavam Epiph. POST *acceptum undæ regenerationis lavacrum, per unctionem ſacri Chriſmatis gratiâ Spiritus ſancti ſignamur*. Magni Senonenſis Epiſt. ad Carolum M. PERACTIS OMNIBUS BAPTISMATIS SACRAMENTIS, *noviſſimè per manûs impoſitionem à ſummo Sacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accipiunt*. Mitto alios.

Ait

Ait IV. Cùm Baptiſmi nonniſi unum vel ſit vel eſſe poſſit propriè dictum Sacramentum, & appellentur ab authoribus illis Baptiſmi *Sacramenta* ſeu *myſteria* in plurali; neceſſariò confitendum eſt, ea voce ritus illos involui, qui unà cum Baptiſmo peragi ſoliti erant, inter quos locum habebat Confirmatio.

Reſpondeo I. Myſteria dici in plurali propriè, nunquam niſi impropriè in ſingulari: quare, ut de re ſingulari, myſteria, dici poteſt, ſic & Sacramenta in plurali. Sed & Auguſtinus de ſolo Baptiſmo loquens, pluralem numerum uſurpat lib. I. Confeſſ. c. XI. *Ut Sacramentis ſalutaribus initiarerer & abluerer.* II. dicuntur in plurali ad ſignificandos ritus eſſentiales & accidentales Baptiſmatis, qui ſanè plurimi ſunt. Verba Magni Senon. id aſtruunt. *Peractis omnibus Sacramentis, noviſſimè per manûs impoſitionem à ſummo Sacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accipiunt.* Obſerva (omnibus Sacramentis) antequam fiat mentio Confirmationis. Probandum eſt Dallæo, Confirmationem locum habere inter Baptiſmi ritus, ſi velit aliquid eo ſuo argumento concludere. III. Ipſe Baptiſmus eſſentialiter ſpectatus dicitur myſteria, & Sacramenta in plurali, quatenus videlicet res multas ſignificat, repræſentat, continet. V. g. immerſio mortem peccati, & emerſio juſtificationem ſeu reſurrectionem animæ. Immerſio, quòd baptizati conſepeliuntur cum Chriſto; emerſio, quòd cum Chriſto reſurgunt per Baptiſmum in novitate vitæ ambulaturi. Seu Trina immerſio ſignificat nos emundari à peccatis per fidem SS. Trinitatis. Seu, Trina immerſio ſignificat nos emundari à peccatis cordis, oris & operis: aut, à peccatis, quæ tribus modis committimus; ſcilicet ſuggeſtione, delectatione, & conſenſu: aut denique quòd homo baptizatus ſolutus intelligitur à prævaricatione naturalis & ſcriptæ legis & Evangelii. IV. Baptiſmus ab illis dicitur in plurali *myſteria* & *Sacramenta*, eodem modo quo aqua & Spiritus à Cypriano & Afris Epiſcopis appellatur *Utrumque Sacramentum*, ratione videlicet aquæ & Spiritûs. Cypr. Epiſt. LXXII. *Si Sacramento utroque naſcantur: cùm ſcriptum ſit; Niſi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu.* Idem Epiſt. LXXIII. Idem Nemeſianus à Thubunis, in Synodo Africana. V. denique Euchariſtia eodem modo poſt Baptiſmum adminiſtrari ſolita erat, quo Confirmatio ipſa. Ergo quemadmodum eſt Sacramentum

à Baptiſmo diſtinctum , ita & Confirmatio.

Quod denique pertinet ad IV. diſcrimen (præmiſſo , quòd per Chriſmationem Epiſcopalem intelligitur confirmatoria adæquatè conſiderata , hoc eſt , prout includit & manuum impoſitionem & formam Sacramentalem) dico authores iſtos, de quibus Dallæus loquitur , magnum inter illas duas unctiones diſcrimen agnoſcere I. quidem , quòd una fiat in *vertice*, alia in *fronte*. II. hæc ab *Epiſcopo* , alia à *Presbytero*. Ita Jeſſè Ambian. III. Preſbyteralis eſt ad ſalutem æternam ſimpliciter, atque ad id quod eſt *neceſſitatis* ; Epiſcopalis autem eſt ad *ornamentum* , *abundantiam & perfectionem*. Unde Amalarius de Eccleſ. Officiis c. XXVII. *Sacerdos qui ungit Neophytum , verbis ſuæ orationis ſolutionem vinculorum & alligationem vulnerum monſtrat , dicendo :* DEUS OMNIPOTENS , PATER DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI , QUI TE REGENERAVIT EX AQUA ET SPIRITU SANCTO , QUIQUE DEDIT TIBI REMISSIONEM PECCATORUM. *In iſtis verbis & curationem intelligimus plagarum , & ſolutionem vinculorum. Poſtea addit memoratus Sacerdos :* IPSE LINIT TE CHRISMATE SALUTIS IN VITAM ÆTERNAM. *Epiſcopus verò tranſilit verba ,* IPSE TE LINIT CHRISMATE SALUTIS : *quaſi ditior , non ſolùm ut ſalvare poſſit , ſed etiam ditare , & dicit :* EMITTE IN EUM SEPTIFORMEM SPIRITUM *&c. Hæc ſunt veſtimenta quibus ornari oportet filium Regis , ut ſtare poſſit in aula cæleſti. Qui baptizantur , filii Dei ſunt..... Epiſcopus deprecatur Deum , ut ſicut lavare dignatus eſt hominem per Baptiſmum ; ita dignetur veſtire regalibus veſtibus , quibus indui oportet filios Regis.* Et infrà. *Audivi quendam interrogare , ſi ſinè* IMPOSITIONE MANÛS EPISCOPI *poſſit Neophytus poſſidere* REGNUM COELORUM ? Et poſtea. *Etiam verba S. Sylveſtri , qui ob remedium difficultatis Epiſcopum conſequendi ante exitum animæ , juſſit ut liniretur Neophytus à Presbytero Chriſmate ſalutis in vitam æternam ; ſic ſonant quaſi poſſit recipi in regno cælorum ſinè* IMPOSITIONE MANÛS EPISCOPI. Obſerva , Chriſmationem Preſbyteralem neceſſitatis ſalutis eſſe, ratione rei quam oſtendit ſeu ſignificat , hoc eſt , ratione Spiritus ſancti in Baptiſmo collati , non quaſi aliquid efficiat. Eſt enim ſymbolum Spiritus ſancti , qui cùm infundatur in ablutione Baptiſmali , per eam tamen in illa haud ſatis expreſsè ſignificatur : & hæc eſt doctrina Hugonis à Sancto Victore lib. I. de Sacram. c.

XIX. Rabanus Maurus lib. cit. c. XXX. *Signatur enim baptizatus cum Chrismate per Sacerdotem* IN CAPITIS SUMMITATE, *per Pontificem verò in* FRONTE : *ut priori unctione significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam: in secunda quoque, ut ejusdem* SPIRITUS SANCTI SEPTIFORMIS GRATIA CUM OMNI PLENITUDINE SANCTITATIS, *& scientia & virtutis venire in hominem declaretur. Tunc enim ipse Spiritus sanctus* POST MUNDATA ET BENEDICTA CORPORA *atque animas, libens à Patre descendit, ut vas suum sua visitatione* SANCTIFICARET *& illustraret: nunc in hominem ad hoc venit, ut* SIGNACULUM FIDEI, *quod* IN FRONTE *suscepit, faciat eum donis cælestibus repletum, & sua gratia confortatum, intrepidè & audacter coram regibus & potestatibus hujus sæculi portare, ac nomen Christi libera voce prædicare. Nec mirum, si homo* BIS *eodem* CHRISMATE *ad accipiendum* SPIRITUM SANCTUM *ungatur, cùm idem Spiritus bis sit ipsis Apostolis datus.* IV. denique discrimen est, quòd Presbyteralis ordinariè absque manùs impositione, & Episcopalis è contra cum manùs impositione conferatur. Ita Jesse, Theodulphus, Magnus, Rabbanus, Walafridus Strabo, Amalarius, Alcuinus. Ordinariè dixi: quia fortè quibusdam in locis unctio Presbyteralis fiebat cum manûs impositione, sicuti verba Ruperti lib. V. de divinis Officiis c. XVI. declarare videntur.

Objicit I. Dallæus, lib. III. c. XIV. *Walafridus Strabo ait: Sylvestrum instituisse, ut* PRESBYTER BAPTIZATUM CHRISMATE LINIAT, PROPTER OCCASIONEM TRANSITÛS MORTIS. QUÒD SI A DIACONO, VEL QUOLIBET ALIO HOMINE BAPTIZATUS, CASU ANTE CONFIRMATIONEM TRANSIERIT, CREDENDUM NON EST PERIRE PROPTER HOC. ANTE CONFIRMATIONEM TRANSIRE *non alios dicit, quàm qui à Diacono, vel à* QUOLIBET ALIO HOMINE *baptizati, mortui fuerunt ab Episcopo non consignati. Inter istos non censet eos, qui à Presbytero baptizati, adeoque & uncti erant. Ergo hos quidem* SINE CONFIRMATIONE TRANSISSE *non putavit: quod falsum esset nisi & Presbyteralis unctio Confirmatio fuisset.*

Respondeo sensum Strabonis esse: à Sylvestro institutam Chrismationem Presbyteralem, ne quando Neophyti ante susceptam Chrismationem decederent, non declararentur

per aliquam unctionem externam Reges ac Sacerdotes effecti fuisse in Baptismo : neque tamen unctionem sive Presbyteralem sive Episcopalem esse de necessitate salutis. Quia baptizati à Diacono & non inuncti ab Episcopo, adeoque duplici illa unctione destituti, non pereunt propter hoc. Ad argumentum itaque, nego Strabonem non alios dicere *transire ante Confirmationem*, quàm baptizatos à Diacono vel laïco, & contendo baptizatos à Presbytero Chrismatosque ab eo in vertice, nec inunctos ab Episcopo, censeri Straboni minimè confirmatos.

Objicit II. Walafridus, Amalarius & Rabanus tradunt præceptam ideo esse à Sylvestro Presbyteris Chrismationem, *ne quis sinè Confirmatione moreretur.* Unde Rabanus : *Propter occasionem transitûs mortis.* Et postea : *Quicunque non est Christi, regni sui particeps fieri nequit. Ideoque necessarium est, ut statim succurratur baptizato cum Chrismatis unctione : ut Spiritus sancti participationem accipiens, alienus à Christo non existat.*

Respondeo, Chrismationem Presbyteralem esse institutam, ne quis moreretur sinè Confirmatione *in re* vel *in voto* : & huic inunctioni Presbyterali seorsim consideratæ convenit significare tantùm, baptizatos esse Reges atque Sacerdotes, nihil verò efficere gratiæ habitualis ; eidem tamen spectatæ ratione Baptismi cujus est ritus, convenit nos efficere Reges & Sacerdotes per gratiam sanctificantem. Sic authores isti conciliantur inter se, quibusdam negantibus eam dare salutem, ut Walafridus Strabo ; aliis asserentibus, ut Amalarius.

Objicit III. Chrismationis Presbyteralis & Episcopalis unum est Chrisma, & unâ eademque benedictione consecratum. Atqui si diversæ essent unctiones, diversa quoque esset materia, saltem diversâ benedictione consecrata.

Respondeo, diversam esse materiam proximam ; quia Episcopalis est conjuncta manûs impositioni : diversa verba quæ proferuntur : diversos effectus : & diversum Ministrum.

Objicit IV. Orationes ipsæ quibus Chrisma conficientes utuntur, idipsum docent. Deum enim precantur *ut quicunque exteriùs perunctus fuerit, interiùs liniatur ; ut Chrisma sit omnibus perunctis propitiatio & custodia salutaris, & in adoptionem filiorum.* Ergo qui à Presbyteris liniuntur, per Presby-

teralem inunctionem hujusmodi consequuntur effectum, qui tamen effectus est Episcopalis Chrismationis. Unde consequitur eandem esse Presbyteralem & Episcopalem.

Respondeo, verba hæc consecratoria esse generalia, quæ cadunt in Presbyteralem & Episcopalem, in quantum commune est utrique ordinari in vitam æternam, sed unaquæque *suo modo*: prior, tanquam *significativa*; posterior, *tanquam efficiens Spiritum sanctum formaliter inhabitantem*: prior, tanquam *ritus Baptismi*, cujus Baptismi est dare *vitam*; posterior, tanquam *Sacramentum* cujus est dare vitæ *perfectionem*: prior, tanquam *ritus Sacramenti* cujus est *salvare*; posterior, tanquam *Sacramentum* cujus est *ditare*.

Objicit v. Presbyteri unctionem eandem cum Episcopali Patres illos censuisse, ex iis colligi, quæ de utriusque officio & usu tradunt.

Respondeo, ex dictis, ad aliud Chrismationem *Presbyteralem*, & ad aliud *Episcopalem* fuisse institutam. Hactenus de authoribus IX. sæculi.

Authores X. sæculi, fatente Dallæo, nihil immutaverunt in doctrina. Instar sit omnium operum hujus ætatis.

VITA SANCTI LUDGERI.

Hic fuit primus Episcopus Monasteriensis, cujus vitam conscripsere Monachi Cœnobii Werthinensis; sæculo ejus obitum sequente, ut observat Surius, aut etiam, quod placet aliis, Synchronus. Obiit Pontifex anno Christi DCCCIX. Vita itaque ejus si conscripta fuerit sæculo sequenti, pertinet ad X. Sic autem in illa de eo Præsule. *Octodecim infantes baptizavit, qui omnes in albis defuncti sunt, exceptis duobus, quos sanctus Sacerdos, pace reddita,* SANCTI CHRISMATIS UNCTIONE, ET MANÛS IMPOSITIONE FIRMAVIT. Hîc videre est Confirmationis ex unctione ac manûs impositione coalescentis effectum, ut videlicet firmet animam: quod non præstat nisi quia est Sacramentum. Venio ad sæculum XI.

OECUMENIUS.

Hic, ad caput VI. Epistolæ ab Hebræos, ita loquitur de Baptismo & de Confirmatione. *Hic* (nimirum Apostolus)

astutè aggreditur sermonem, vocans quidem principium Baptisma, & MANUUM IMPOSITIONEM ac signaculum, quæ in eo sunt: perfectionem verò, doctrinam per opera. Et infra. *Resipiscentes in Deum credant, credentes verò baptizentur, baptizati autem seipsos subjiciant* IMPOSITIONI MANUUM *Sacerdotum, ad participationem* SPIRITUS. Hìc significatur gratia sanctificans collata per manûs impositionem, quæ fit super baptizatum, hoc est, confirmatoriam.

LANFRANCUS CANTUARIENSIS.

Ad eadem Apostoli verba. *Quicunque*, inquit, *Doctor infideles ad fidem convertit, hic inprimis fundamentum mentibus injicit, dicens oportere eos peccatorum suorum pœnitere, in Deum credere, in remissionem peccatorum baptizari, pro* ACCIPIENDIS SANCTI SPIRITUS DONIS IN IMPOSITIONE MANUUM EPISCOPI CONSUMMARI, *resurrectionis & judicii diem præstolari.* Ibi Sacramentum Confirmationis exprimitur, per Ministrum, materiam, effectum.

ANSELMUS CANTUARIENSIS.

Ille in eundem Apostoli textum ita loquitur. *Nec iterum jacientes fundamentum* IMPOSITIONIS MANUUM *Episcoporum in* CONFIRMATIONE *Neophytorum, sed firmiter illud retinentes. Qui enim non credit quòd per* MANUUM IMPOSITIONEM *detur* SPIRITUS SANCTUS *ad remissionem & corroborationem, non est fundatus. Talis est quicunque putat carnales observantias juvare ad acceptionem Spiritus sancti, qui per* MANUUM IMPOSITIONEM *accipitur.* Quo sensu dixerit author *remissionem peccatorum* esse alterum ex effectibus Confirmationis, intelligitur ex dicendis infrà. Quidam, scio, existimant authorem Commentariorum istorum esse Herveum Brittonem, non Anselmum. Ubi probaverint, libens abstinebo ab eo laudando sub nomine Anselmi.

PETRUS DAMIANI.

Sermone I. in Dedicatione Ecclesiæ, in qua de Sacramentis XII. disserit (sumit quippe vocem Sacramenti in latiori

quodam significatu.) Unde Theologorum nemo in hac voce vim facit, sed in verbis istis sequentibus. *In Baptismate Spiritus sanctus datur ad veniam, hic (* nempe in Confirmatione *)* AD PUGNAM. *Ibi mundamur ab iniquitatibus*, HIC VIRTUTIBUS PRÆMUNIMUR. *Nonne in superliminari fronte domus nostræ terrestris, consecrata manus sacri Chrismatis imprimit unctionem? Nec quilibet tanti mysterii legitur executor, sed* SOLUS EPISCOPUS. *Baptismi gratiam omni homini vel omni sexui tradidit authoritas antiquorum*, CONFIRMATIONIS *autem insigne* SOLA PONTIFICALIS PERSONA *suæ vindicat dignitati. Inde est, quòd Decretales paginæ & sanctorum Patrum instituta decernunt non esse differendam post Baptismum Sacramenti hujus virtutem: ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo unquam nocendi inducias extorsit.* En Spiritum sanctum datum ad robur & pugnam, per manûs impositionem Episcopalem, eo modo quo datur in Baptismo ad veniam. Quid præterea desideres ad rationem Sacramenti novæ Legis?

Hoc unum Dallæus opponit, quòd contra veterum disciplinam decernimus differendam esse Confirmationem in aliquot post infantium Baptismum annos. Ego verò Dallæo repono, quòd æque Calvinistæ contra veterum disciplinam differendam esse decernunt sacræ Cœnæ participationem in multos ab infantium Baptismate suscepto annos. Si hoc illi inculpatè, in quo nos rei sumus? Sed etsi in hoc culpabiles essemus, in altero Catholici sumus, qui doctrinam Petri Damiani de Confirmatione suscipimus; illi Hæretici sunt, qui rejiciunt.

SIMEON THESSALONICENSIS.

Author hujus, aut saltem sequentis sæculi. Hic libro de Templo, in Præfatione scribit. *Per* MANUUM VERÒ IMPOSITIONEM, *& insufflationem* UNGUENTI GRATIAM *impertitur.* Sequuntur authores XII. sæculi.

IVO CARNOTENSIS.

Quidam, ut probent Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis à Baptismo distinctum, proferunt Sermonem primum hujus Pontificis, qui est *de Sacramentis Neophytorum*,

habitum in Synodo, in quo exposito ritu unctionis verticalis, antequam explicet ritum vestis candidæ, & velaminis capitis, legitur. *Hoc Sacramento post aquam perfectio fit, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Mihi non arridet ista probatio. I. quia Confirmatio non nisi post traditionem vestis candidæ, & capitis integumenti conferebatur. II. quia Hugo à S. Victore lib. I. de Sacramentis c. XIX. utens ipsissimis verbis Ivonis exhibet legitimum ad quem intelligi debent sensum, de suo illis adjungens. Ita scribit: *Huic Sacramento post aquam Baptismi Spiritus sanctus infunditur, ut sit renatus ex aqua & Spiritu sancto: imò infusus ostenditur. Si quidem Spiritus sanctus in ipsa trina immersione remissionem confert peccatorum. Sed non simul cum immersione poterat exhiberi ejus Sacramentum.* Observa tantùm Ivonem in hoc Sermone uti verbo, *confirmare*, ubi de Eucharistia. *Sacramentis unitatis*, inquit, *id est Christi Corpore & Sanguine confirmatur.* Neque tamen ex eo inferas, non dari Sacramentum Confirmationis à Baptismate & Eucharistia distinctum, nisi ames ludere in vocibus, sicut amat ludere Dallæus lib. III. c. XVI.

Melius ergo probavero doctrinam fidei ex Sermone ejusdem Pontificis, *de excellentia sacrorum Ordinum*, habito etiam in Synodo, ubi pronunciat statim ab initio. *Qui Christianam militiam in Baptismate professi estis, &* ARMA SPIRITUALIA *contra hostes invisibiles* PER MANÛS IMPOSITIONEM *accepistis, in castris Domini tanquam gregarii milites aliquandiu militastis.*

GOFRIDUS VINDOCINENSIS.

Opusculis duobus, VIII. & IX. exponit fidei doctrinam. Priore quidem loco, his verbis. *In Baptismate per Spiritum sanctum datur remissio peccatorum. In* CONFIRMATIONE SPIRITUS SANCTUS *invitatur ut veniat, & domum ipsam quam* SANCTIFICAVIT INHABITET, MUNIAT ET DEFENDAT. Et postea. *Hæc igitur ultima* CONFIRMATIO *fieri jubetur ab* EPISCOPIS *ad* TOTIUS PERFECTIONIS *similitudinem.*

Posterior locus est. *Ubi propter aliud & aliud datur, non iteratur Sacramentum, sed tribuitur ad* VIRTUTIS AUGMENTUM. *Quamvis enim priùs in vertice, & postea in* FRONTE

homo

homo CHRISMATE *ungatur, non tamen iteratur* CHRISMATIS SACRAMENTUM : *quia, ut superiùs diximus, propter aliud & aliud fit. Sicut & Baptismus minimè iteratur, etiamsi multotiens post Baptismum aquis Baptismatis aspergamur.*

Opponit Dallæus suprà. Gofridum appellare Confirmationem *ultimam, quia est ultima in Baptismalibus cæremoniis.* Et præterea clarissimè ostendere Chrismationem Episcopalem eandem esse cum Presbyterali his verbis : *Quamvis priùs in vertice &c.*

Respondeo, Confirmationem appellari *ultimam*, per ordinem ad Baptismum, in quo fideles primò confirmari censentur accipiendo Spiritum sanctum *in remissionem peccatorum:* sed quia non accipiunt Spiritum sanctum in Baptismo *ad totius virtutis & scientiæ perfectionem*, & hoc est proprium Sacramenti alterius ; ideo in hoc, & non in Baptismo ultimò confirmantur. Ad alteram partem instantiæ respondeo, rationem propter quam Gofridus negat iterari Chrismationis Sacramentum, etiamsi homo priùs in vertice, & postea ungatur in fronte ; hanc esse : *Propter aliud & aliud fit. Sicut,* inquit, *& Baptismus minimè iteratur, etiamsi multotiens post Baptismum aquis Baptismatis aspergamur.* Quâ loquendi ratione significat, Sacramentum Baptismatis non esse in sola aspersione positum ; ita neque Sacramentum Chrismationis esse in sola unctione constitutum : quare fas non esse ex duplici illa unctione, altera verticali, & altera confirmatoria, concludere Sacramentum iterari ; sicuti non iteratur Baptismus, quando præcisè baptizatus post Baptismum aquis Baptismalibus aspergitur.

HONORIUS AUGUSTODUNENSIS.

Lib. III. operis, quod *Gemma animæ* dicitur, c. CXIV. hæc habet. *Bis baptizati Chrismate liniuntur, semel à Presbyteris in Baptismo & in capite, secundò ab* EPISCOPO IN CONFIRMATIONE ET IN FRONTE. *Hoc ideo, quia Spiritus sanctus bis datur Ecclesiæ, semel in terra, secundò in cælo. Per Presbyteri unctionem animæ Christo desponsantur:* PER EPISCOPI CONFIRMATIONEM REGNO CHRISTI DOTANTUR. Et postea. *Hanc* CONFIRMATIONEM *fecerunt olim Apostoli* PER MANÛS TANTÙM IMPOSITIONEM ; *illorum posteri, eis tamen tradentibus,*

per CHRISMATIS *consecrationem.* Et c. CXIII. præcedenti. *In octava die baptizati mitras deponunt, & ab* EPISCOPO *in* FRONTE *per Chrisma signantur, & per hoc, per* SEPTIFORMEM SPIRITUM *ad regnum Dei* CONFIRMANTUR.

RUPERTUS ABBAS TUITIENSIS.

Libro III. de Operibus Spiritus sancti c. X. *Qui ergo*, inquit, *testis in Baptismo factus est Spiritus; idem fit & tutor Pupilli, ubi per* IMPOSITIONEM MANUUM, *sacrique* CHRISMATIS *unctionem, secundam, qui renatus est, gratiam accipit.* Et postea. *Apostoli Paracletum istum, id est, datum hujus Spiritus in remissionem peccatorum, ipsa quidem Dominicæ Resurrectionis acceperunt, insufflante Domino ac dicente:* ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, QUORUM REMISERITIS PECCATA, REMITTUNTUR EIS: *sed secundam gratiam ejusdem Spiritus non ante diem quinquagesimum adepti sunt. Primo dato, remissionem peccatorum acceperunt: secundo, fortes, & zelo bono ferventes, scientes atque sapientes, eloquentes & mirabilium potentes effecti sunt.* Et postea. *Primo dato Spiritu per Baptismum scribuntur in cælo nomina electorum, & inde est gaudendum: secundo dato, subjiciuntur spiritus &c.*

Et lib. V. de Divinis Officiis c. XVI. *Omnis Ecclesia unctione* CHRISMATIS *per* MANÛS IMPOSITIONEM *consecratur. Quod* SOLIS *debeatur* EPISCOPIS *ut consignent &* SPIRITUM PARACLETUM *tradant.* Et postea. *Legitur autem in gestis Pontificalibus, quòd Sylvester Papa constituit,* UT BAPTIZATUM LINIAT PRESBYTER CHRISMATE LEVATUM DE AQUA, PROPTER OCCASIONEM TRANSITUS MORTIS: *ne propter absentiam Episcopi & difficultatem eum consequendi, sinè manûs impositione baptizati migrent.* Et postea. *Fortè aliquis dicat: Quid mihi prodest, post Baptismatis mysterium ministerium Confirmationis? Nam si post fontem adjectione novi generis indigemus, quantum video, non totum de fonte suscepimus? Non ita intelligendum est. Nam quid prodest si quisquam parentum magnam parvulo conferat hæreditatem, nisi provideat illi tutorem? Paracletus quippe regeneratis in Christo custos & consolator & tutor est, qui possent, suadente diabolo, sicut parvuli facultatem, perdere Baptismi utilitatem, si hunc non haberent tutorem. Igitur Chrisma Spiritus sancti signum est, cujus & virtutem continet.* Observa, Ruper-

tum censuisse Chrismationi verticali adjunctam esse *manûs impositionem :* fortè quia id usurpabatur in quibusdam Ecclesiis eo tempore.

HUGO DE SANCTO VICTORE.

Lib. I. de Sacramentis c. XII. *Septem sunt*, inquit, *principalia Sacramenta quæ in Ecclesia ministrantur.* Et his recensitis addit. *Confirmatio est stantium in pugna.* Et c. XXII. *Cùm in Baptismo plena sit facta peccatorum remissio, quid confert Confirmatio? In Baptismo datur Spiritus ad remissionem : hic verò ad* ROBUR. *Per hanc enim contra hostes invisibiles armamur. Sinè hoc Sacramento potest homo salvari, si non ex contemptu dimiserit. Est autem adeo necessarium & efficax, ut* EPISCOPALI DIGNITATI *ministratio ejus reservata sit, & ut ab alio traditum habeatur irritum.*

PETRUS LOMBARDUS PARISIENSIS.

Claudit agmen tertium veritatis Magister sententiarum lib. IV. dist. VII. de quo satis sit referre verba Dallæi in fine c. XVI. lib. III. *Hanc*, inquit, *definitionem* (de VII. novæ Legis Sacramentis, inter quæ Confirmatio secundum locum obtinet) *& qui Hugone haud multùm junior fuisse videtur, sententiarum Magister Petrus Lombardus tradit, & omnis ex eo Latinorum Schola secuta est.*

ARTICULUS TERTIUS.

Testimonia ex authoribus incertis pro Confirmationis Sacramento afferuntur & examinantur.

REVOCO ad hanc classem ea omnia, quæ sub nomine Clementis Romani, Justini, Dionysii Areopagitæ Urbani, Fabiani, Eusebii, Melchiadis, Damasi & Joannis III. Romanorum Pontificum, Cypriani demum incautè & ineruditè laudantur.

CLEMENS ROMANUS.

Cujus nomine inter cætera circumfertur opus *Constitutionum Apostolicarum*, cum nonnullis Epistolis. Sed falsò, ut eruditè ostendunt & Catholici, inter quos Baronius & Bellarminus, & ex Heterodoxis Rivetus, Cocus, Dallæus.

Refertur ex libro III. Constit. Apost. pro doctrina Catholica c. XVI. textus iste. *Postea* EPISCOPUS BAPTIZATOS CHRISMATE UNGAT. c. XVII. *Baptismus igitur datur in mortem Filii Dei, aqua adhibetur pro sepultura*, OLEUM *pro* SPIRITU SANCTO, *sigillum crucis pro cruce*, CHRISMA CONFIRMATIO CONFESSIONIS EST. Et lib. VII. cap. XXIII. *Unges autem priùs oleo sancto, deinde baptizabis aquâ, postremò signabis unguento* CHRISMATIS, *ut sit oleum unctionis participatio Spiritus, aqua symbolum mortis, unguentum* CHRISMATIS *sigillum pactionum. Sin autem non fuerit oleum, neque unguentum Chrismatis, satis est aqua, tum ad unctionem, tum ad sigillum & confessionem morientis sive commorientis.* Et c. XLV. habetur oratio quæ pronunciatur quando Chrisma adhibetur baptizato.

Quæ Dallæus opponit lib. I. c. XI. è superiùs observatis evanescunt: ut quòd tituli c. XVI. & XVII. lib. III. c. XXIII. lib. VII. Constitutionum sint de Baptismo: quòd author loquatur de oleo simplici, non de oleo mixto balsamo. Addo, videri fuisse in sententia Tertulliani, de effectu Baptismi & Confirmationis.

Refertur ex Epist. IV. quæ est ad Julium & Julianum, locus iste. *Omnibus ergo festinandum est sinè mora renasci Deo, & demum* CONSIGNARI AB EPISCOPO, *id est* SEPTIFORMEM GRATIAM SPIRITUS SANCTI *percipere: quia incertus est uniuscujusque exitus vitæ. Quum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum* SEPTIFORMIS SPIRITUS GRATIA, AB EPISCOPO, *ut memoratum est*, CONFIRMATUS: *quia aliter* PERFECTUS *esse Christianus nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos.*

Hanc ego Epistolam fateor esse suppostitiam: faceret tamen ad confirmandum dogma Catholicum, si modo alicujus authoritatis esse constaret.

JUSTINUS MARTYR.

Cui tribuitur liber Quæstionum & Responsionum ad Orthodoxos, ex quo cxxxvii[a] pro doctrina nostra producitur.

Liber iste non est Justini. Origenes laudatur quæstione lxxxii. & lxxxvi. & tamen Justinus fuit antiquior Origene. Irenæus citatur & Martyr appellatur quæstione cxv. & tamen Justinus aliquot annis obiit ante Martyrium Irenæi, & Irenæus lib. v. citat Justinum tanquam se antiquiorem. Ea de re Catholici & Heterodoxi conveniunt. Vide Sixtum Senensem, Bellarminum, Possevinum, Cocum, Rivetum, & alios. Opus est iv. sæculi, quia author asseverat suo tempore Paganismum fuisse eversum.

DIONYSIUS AREOPAGITA.

Cujus esse dicitur liber *de Ecclesiastica Hierarchia*, in hujus c. ii. leguntur ista, postquam scriptum est, indui veste alba Neophytum, & duci denuo ad Hierarcham. *Is eum virum* UNGUENTO, *quod maximè* DIVINOS EFFICIT, *insignivit; Eucharistiæ, qua vim maximam habet omnia fere Sacramenta perficiendi, participem esse pronunciat.*

Liber iste vetustus est, & fortè iii. vel iv. sæculi, non Dionysii Areopagitæ.

URBANUS.

Epistolâ unicâ. *Omnes enim fideles per* MANÛS IMPOSITIONEM EPISCOPORUM SPIRITUM SANCTUM POST BAPTISMA ACCIPERE *debent, ut* PLENE CHRISTIANI *inveniantur.*

FABIANUS.

Epistolâ ii. in qua præcipitur consecrari & innovari, vetere combusto, Chrisma singulis annis feriâ v. in Cœna Domini, hæc habentur. *Ipsa enim lavatio pedum nostrorum significat Baptismum, quando sancti* CHRISMATIS *unctione* PERFICITUR *atque confirmatur.*

EUSEBIUS.

Epist. III. quæ est ad Episcopos per Campaniam & Tusciam, sub finem. MANÛS *quoque* IMPOSITIONIS SACRAMENTUM *magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici non potest nisi à* SUMMIS SACERDOTIBUS. *Nec tempore Apostolorum ab aliis quàm ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, neque ab aliis (sicut jam dictum est) quàm ab illis qui eorum locum tenent, unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur Sacramenta.*

MELCHIADES.

Epistolâ suâ unicâ. *De his verò super quibus rogitastis vos informari, id est, utrum majus esset Sacramentum* MANÛS IMPOSITIO EPISCOPORUM *aut Baptismus; scitote utrumque magnum esse Sacramentum. Et sicut unum à majoribus fit, id est, à* SUMMIS PONTIFICIBUS, *quod à minoribus perfici non potest; ita & majori veneratione venerandum & tenendum est. Sed ita conjuncta sunt hæc duo* SACRAMENTA, *ut ab invicem (nisi morte præveniente) nullatenus possint segregari, & unum sinè altero rite perfici non potest. Unde scriptum est:* IN DIEBUS ILLIS, DICIT DOMINUS, EFFUNDAM DE SPIRITU MEO SUPER OMNEM CARNEM. *Advertamus summas divitias bonitatis Dei. Quod in confirmandis Neophytis* MANÛS IMPOSITIO *tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populos donavit universis. Sed quia diximus quod* MANÛS IMPOSITIO ET CONFIRMATIO AD BAPTISMI PERFECTIONEM PERTINEAT, *& qui jam regeneratus in Christo est confirmare aliquid possit, fortè cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium Baptismatis mysterium* CONFIRMATIONIS? *At quantùm video, non totum de fonte suscepimus, si* POST FONTEM *adjectione novi generis indigemus? Non ita, dilectissimi. Attendat charitas vestra. Sicut exigit militaris ordo, ut cùm imperator quemcunque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum; ita in baptizato benedictio illa* MUNITIO *est.* Et postea. *Paracletus* REGENERATIS *in Christo* CUSTOS *&* CONSOLATOR *&* TUTOR EST. Et adhuc. *In*

FONTE *plenitudinem tribuit ad* INNOCENTIAM, *in* CONFIRMATIONE AUGMENTUM *præstat ad gratiam.* Et postea. *In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum* CONFIRMAMUR AD PUGNAM; *in Baptismo abluimur, post Baptismum* ROBORAMUR. *At si continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia,* VICTURIS TAMEN NECESSARIA SUNT CONFIRMATIONIS AUXILIA.

DAMASUS.

Epistolâ V. *Quòd autem solis Apostolis eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum, liber Actuum Apostolorum docet: præsertim cùm nullus ex* LXX. *Discipulis, quorum isti* (Chorepiscopi) *in Ecclesia speciem gerunt, legantur donum sancti Spiritus, per manûs impositionem, ut prædictum est, tradidisse.*

JOANNES III.

Epistolâ suâ prohibet Chorepiscopis *tradere Spiritum sanctum per manûs impositionem*, quia pronunciat hoc *proprium esse Episcoporum.* A verbis referendis abstineo.

Sex istæ Summorum, quæ dicuntur, Pontificum Epistolæ, spuriæ jamdudum atque suppositititiæ habentur apud eruditos, à quibus revocantur ad IX. sæculum, cujus sæculi fidem & praxim ostendunt.

CYPRIANUS.

Ex Sermone, de *unctione Chrismatis, inter Sermones de operibus cardinalibus Christi*, afferuntur aliqua.

Author Sermonum istorum non est Cyprianus, sed eo recentior. Ita Bellarminus lib. II. de Sacram. Confirm. c. VI. Non est Arnoldus Bonævallensis, sed est antiquior ipso Paschasio Radberto: quia laudat Epistolâ ad Fieudegardum, & in illud, *Cœnantibus autem*, Sermonem *de Cœna Domini*, sub nomine Cypriani.

Confirmationem esse ritum Ecclesiasticum, usurpatum olim respectu filiorum Christianorum, qui cùm baptizati essent quamprimum in lucem editi fuerant, coram Episcopo postquam adoleverant, sistebantur, à quo examinabantur secundùm formulam Catechismi quam tunc habebant, certam ac communem. Quo autem hæc actio plus reverentiæ atque dignitatis haberet, cæremoniam quoque adhibitam fuisse manûs impositionis. *Ita puer ille* (scribit) *fide sua approbata, cum solemni benedictione dimittebatur.* In eam quoque sententiam Lutheranorum primipili Philippus Melanchton & Martinus Kemnitius descenderunt, non minùs quàm ipsi Calvinistæ.

Et hanc quidem Lutheranorum Calvinistarumque de Confirmatione sententiam nullo negotio falsi convincimus. Inprimis enim constat ex Actis Apostolorum, Confirmationem ministrari solitam fuisse statim post Baptismum, quoties ille conferebatur ab Episcopo: & quando collatus ab aliis Baptismus fuerat, non legitur eadem impositio manuum confirmatoria fuisse adhibita, prævio aliquo de fide examine. Scriptura docet Apostolos iis manus imposuisse, qui adulti Baptismum susceperant, idque, non ad probandam eorum fidem, sed ut acciperent Spiritum sanctum. Ergo ritus iste non est institutus pro adolescentibus pueritiam egressis qui infantes baptizati sunt, quando illis fidei suæ ratio reddenda erat. II. Patres citati testantur, quòd statim post lavacrum infantibus ipsis Confirmatio conferebatur. III. Nullum proferre possunt fundamentum suæ imaginationis apud veteres, nequidem apud ipsum, ad quem confugiunt, Hieronymum Dial. adversùs Lucifer. Si quidem sanctus ille Pater non meminit hujus prætensi examinis, neque ætatis adultæ: dicit solùm hanc fuisse Ecclesiarum consuetudinem, ut *ad eos qui in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos* BAPTIZATI *erant, Episcopus ad invocationem Spiritus sancti manum impositurus excurreret:* quo modo loquendi significatur Confirmatio dari solita etiam infantibus, quamprimùm Episcopus perveniebat ad eos. Dallæus vim & pondus rationum istarum vidit, atque à magistris suis discessit, novam viam dogmati suo Calviniano propugnando post Spalatensem iniens.

Quamvis autem meliùs ille senserit de tempore Confirmationis apud veteres, quàm cæteri Calvinistæ atque Luthera-

ni: placuit tamen eos illi opponere, quo intelligeret suam hanc de Confirmatione sententiam è diametro adversari Catholicæ veritati, & recedere ex parte à sententia magistrorum suorum.

ARTICULUS SEXTUS.

In quo solvuntur objectiones adversariorum contra doctrinam superiorum articulorum.

OBJICIT 1°, Dallæus lib. I. c. II. Sacramentum Confirmationis nostrum planè abhorrere à cæteris novæ Legis Sacramentis. I. quidem quoad *materiam*, quæ non est quid simplex, qualis est materia Baptismi & Eucharistiæ; sed mixtum ex oleo & balsamo, multiplici tum prece, tum signaculo, denique & salutatione inauguratum; quodque etiam non est ubique obvium, nec facilè à quibusvis comparari potest, cujusmodi sunt aqua, panis & vinum. II. quoad *Ministrum*, qui est solus Episcopus, cùm Eucharistia & Baptismus à quolibet Presbytero possint administrari. III. quoad *formam*, cujus nullum extat in Scripturis divinis fundamentum.

Respondeo I. in rebus quæ sunt de institutione Christi, totam rationem instituti esse voluntatem instituentis, qui aliqua Sacramenta ex materia simplici coalescere voluit, alia ex mixta. Deinde obscurum & controversum est apud Theologos pro Chrismate contendentes; utrùm *admixtio balsami* sit de necessitate *Sacramenti*, an solummodo *præcepti*, idque *Divini*, vel *Ecclesiastici* duntaxat. Similiter incertum est, utrùm *Chrismatis benedictio seu consecratio*, sit de necessitate *Sacramenti* vel *præcepti* tantùm, *Divini* aut *Ecclesiastici*. Neque verò magis repugnat Chrisma benedici, quàm aquam Baptismi: de qua aquæ Baptismalis consecratione seu benedictione Tertull. lib. de Baptismo. *Omnes aquæ de pristina originis prærogativa Sacramentum sanctificationis consequuntur*, INVOCATO DEO: *supervenit enim statim Spiritus de cælis, & aquis superest*, SANCTIFICANS *eas de semetipso, & ita* SANCTIFICATÆ *vim sanctificandi combibunt*. Cyprian. Epist. LXX. *Oportet ergo* MUNDARI *&* SANCTIFICARI *aquam priùs*

à Sacerdote, ut possit Baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere. Basilius lib. de Spiritu san. c. XXVII. BENEDICIMUS *aquam Baptismatis.* Et hoc reponit S. Pater *inter Apostolicas traditiones.* Et in Psalm. XXVIII. *In universo Baptismatis administratur mysterium*, DIVINA INVOCATIONE *aquarum* SANCTIFICANTE *naturam.* Cyr. Hier. Catech. III. Author lib. de Sacram. apud Ambros. lib. I. c. V. Victor Utic. lib. II. de persecutione Vandalica. August. tract. CXVIII. in Joan. & Serm. CLXXXI. de Tempore. S. Gregorii Turon. lib. I. de Miraculis c. XXIV. Lib. de Sacrament. S. Gregorii. Pontificalia quæque vetustissima. Lib. VI. Capitul. Caroli Magni tit. LXXVII. Ad id. II. quod objicitur *de Ministro*, concedo Episcopum solum esse Ministrum Confirmationis, quemadmodum solus Presbyter est Minister Eucharistiæ conficiendæ, & quilibet homo in necessitate Minister est Baptismi : & dico, quòd sicut Christus instituit, ut Baptismus possit conferri ab alio quàm à Presbytero, & Eucharistia non nisi per Presbyterum etiam in necessitate ; ita voluit ut Confirmatio non nisi per Episcopum administraretur. Meminerit Dallæus, apud Lutheranos & Calvinistas, Sacerdotium esse commune omnibus fidelibus, & qui apud eos dicuntur Ministri atque dispensatores Sacramentorum, electos esse à fidelibus ut ea faciant Ecclesiæ nomine, servandæ disciplinæ causâ. Meminerit quoque, apud eosdem Presbyterum non esse distinctum ab Episcopo ex divina institutione ; atque hunc utrumque errorem esse fontem atque originem aliorum in quibus versantur errorum, circa Ministros Sacramentorum novæ Legis. Ad id denique, quod III. loco *de forma* objicitur, cujus nullum contendit extare fundamentum in Scripturis (de ea loquitur quæ concepta est sub istis vel similibus verbis : *Signo te signo Crucis &c.*) respondeo , sufficere, si formæ Sacramentorum habeantur ex traditione, ex quâ docemur utendum in Baptismate verbis istis : *Ego te baptizo* &c. & Eucharistiam confici per verba Christi : *Hoc est Corpus* &c. Legimus quidem de Baptismo : *Baptizantes eos, in nomine &c.* non legimus verò Christum instituisse, ut diceretur baptizando, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti *Ego te baptizo.* Potest corpus ablui in nomine Trinitatis non prolatis verbis istud significantibus. Legimus quoque quòd Christus Eucharistiam instituendo & conficiendo dixerit : *Hoc est Corpus*

meum: ſed non legimus in Scripturis, quòd Chriſtus præceperit nos uti iiſdem verbis. Traditio docet uſurpanda ea eſſe ubi baptizamus & conficimus: & eadem traditio docet utendum his vel æquivalentibus verbis, ubi Neophyti confirmantur per Epiſcopos: *Signo te ſigno Crucis.* IV. reſpondeo argumentum iſtud nullum eſſe in ſententia quæ ſuſtinet *materiam* eſſentialem eſſe *ſolam manûs impoſitionem*, & *formam* eſſe *orationem*, juxta illud Actor. VIII. *Tunc imponebant* (Petrus & Joannes) *manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Hîc manûs impoſitio *materia*, hîc oratio *forma*, hîc *miniſter* Epiſcopus. Baptizati namque Samaritani fuerant à Philippo Diacono, à quo non acceperant Spiritum ſanctum, quem ut reciperent, Apoſtoli miſerunt Petrum & Joannem.

Objicit II. Dallæus, fruſtra inſtitutam eſſe Confirmationem: quia effectus, quos illi tribuimus, eos veteres ipſi Baptiſmo & Euchariſtiæ adſcribunt; nimirum, *munire* nos, *confirmare, roborare, perficere.* Nam Spiritus ſanctus, quem in *Baptiſmate* recipimus, non eſt iners vel ignavus, ſed Spiritus *virtutis:* & panis Euchariſticus cor hominis *confirmat:* & Euchariſtia, teſte Cypriano, percipiebatur à fidelibus ingruente perſecutione *ut eſſet tutela accipientibus*, Epiſt. LIV. & ab iiſdem, eodem authore Epiſt. LVI. calix Sanguinis Chriſti bibebatur, *ut poſſent & ipſi ſuum pro Chriſto ſanguinem effundere.*

Reſpondeo, effectus Confirmationis alios eſſe ab effectibus Baptiſmatis & Euchariſtiæ. Effectus *Baptiſmatis* eſt ſpiritus *renovationis*; & quia ſpiritus ille eſt Spiritus Dei, qui Spiritus Dei eſt *virtutis*, non ſpiritus iners atque ignavus. Quia etiam ſpiritus ille eſt ſpiritus *adoptionis*, quo filii Dei nominamur & ſumus; eo adhuc ſenſu dici poteſt ſpiritus *perfectionis.* Effectus Euchariſtiæ eſt gratia *nutriens*; adeoque etiam aliquo ſenſu gratia *virtutis*, *perfectionis* & *Confirmationis*: quia vires deperditæ reparantur per alimentum, & augetur & creſcit ille qui nutritur. Effectus *Confirmationis* eſt gratia *plenitudinis*, qua ſpiritaliter proficimus ad virilem ætatem Chriſtianam: eſt etiam gratia *roboris* ad pugnandum contra hoſtes viſibiles, id eſt, contra perſecutores fidei, nomen Chriſti publicè confitendo. Confirmatoria gratia diſtinguitur à Baptiſmali, quia hæc eſt perfectio eſſentialis, illa integrans: hæc eſt infantia Chriſtianiſmi juxta illud: *Sicut modò geniti in-*

fantes; illa est virilitas, juxta illud I. Joan. II. *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei in vobis manet, & vicistis malignum:* ut S. Thomas observat III. p. q. LXXII. a. V. ad I. Nec sequitur, quòd injuriam facit Baptismo, qui eam supra Baptismalem admittit. Nam Cyprianus non fecit injuriam Baptismo, quando scribens ad Cornelium Epist. LIV. *inermes & nudos* appellavit eos, qui instante persecutione privarentur Eucharistiæ participatione. *Non morientibus*, inquiebat, *sed viventibus communicatio à nobis danda est: ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus.* Distinguitur etiam gratia Eucharistica à Confirmatoria: quia, ut ait S. Thom. III. p. q. LXXIX. a. I. ad I. *Per Sacramentum Eucharistiæ gratia augetur, & vita spiritualis perficitur: aliter tamen quàm per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc autem Sacramentum augetur gratia, & perficitur spiritualis vita, ad hoc quòd homo in se ipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum.* Gratia Baptismalis itaque est gratia innovationis, filiationis & infantiæ, & virtutis ætati infantili proportionatæ. Gratia Confirmatoria est gratia provectûs spiritualis ad virilem ætatem Christianam, & roboris ad pugnam spiritualem adversùs hostes visibiles fidei. Gratia Eucharistica est gratia augmenti personarum spiritualiter provectarum ad virilem ætatem Christianismi, qua perfecti in se ipsis existunt per conjunctionem ad Deum. Ordo veteris Ecclesiæ istud indicare videtur, quo I. loco Baptismus, ut renasceretur homo; II. Confirmatio, ut ad virilem proveheretur ætatem; III. denique administrabatur Eucharistia, ut nutriretur jam grandis effectus, juxta illud Augustini lib. VII. Confessionum c. X. *Cibus sum grandium, cresce & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Atque ex his patet inanitas instantiæ Dallæi, qua concludit effectum Confirmationis à nobis adscriptum, esse effectum Eucharistiæ: eo quòd iis quibus nutrimur alimentis, ad ætatem perfectam perducimur. Nam hoc verum est duntaxat de alimentis, quibus in ætate infantili ac adolescentia vivimus. At Eucharistia non est cibus infantium, sed grandium. Quare necesse est dare aliud Sacramentum ab illa, quo viri Chri-

ſtiani efficiamur: ut tales effecti, Corpore & Sanguine Chriſti Domini ſaginemur in Sacramento. Cætera, diſput. v. ubi de Confirmationis effectu primario dicturi ſumus.

Objicit III. Confirmationem non fuiſſe olim Sacramentum habitam docere videntur Chriſtianorum cæterorum à Latinis adverſa prorſus opinio. Nam conſtat ignotum eſſe apud Æthiopes, Armenios, Chaldæos, Chriſtianos longè latéque per Arabiam, Meſopotamiam, Chaldæam, Aſſyriam, Perſidem, ipſamque etiam Ægyptum diffuſos, atque apud Indos. Imò & apud Græcos alius eſt ritus Confirmationis à ritu Latinorum. Neque verò tam multas gentes, tam inter ſe & locis & linguâ & moribus diſſitas, ad hæc veterum traditionum retinentiſſimas, Sacramentum illud ignoraſſe credibile; ſi id erat ab initio Chriſtianiſſimi traditum. Sed quia Latinorum fuit inventum, quominus id ipſis innoteſceret, effecit partim terrarum in quibus illi populi degunt à noſtris valde remotarum ſitus, maximè verò eorum ab Eccleſia Romana diſſidium, quod à multis ſæculis cœptum, ad noſtra tempora perſeverat.

Reſpondeo, quidquid ſit de variis iſtis populis: quòd ſi illi non habuerint aut etiamnum non habeant Confirmationem pro Sacramento novæ Legis, in errore verſantur: ſatiſque id frequens eſt ut ſchiſmata pariant hæreſes. Quod de Orientalibus à ſchiſmate in hæreſim miſerrimè prolapſis nimium verè dici poteſt, de Confirmatione Græcorum dicturi ſumus inferiùs.

Objicit IV. Latinorum inter ſe multa & antiqua de Confirmatione certamina docere videntur illam non eſſe Sacramentum novæ Legis. Et quidem de *materia* multiplex eſt controverſia. Canoniſtæ quippe nolunt ſitam eam eſſe in *unctione*; quibus ſubſcripſit Aureolus, aſſerens unctionem non aliter eſſe de ſubſtantia Sacramenti, quàm manus eſt de ſubſtantia hominis. Scholaſtici communiter in unctione reponunt *olei* ſolius, vel ſolius *balſami*, ut Canus: *olei mixti balſamo*; de *neceſſitate* quidam, alii de *præcepto* tantùm *Chriſti*, alii de ordinatione ſolius *Eccleſiæ*. De cujus materiæ *benedictione* ſimiliter controvertitur, Paludano negante eſſe de neceſſitate *Sacramenti* vel *præcepti divini*, ut aliqua determinata benedictio adhibeatur per *Epiſcopum*: Cajetano opinante ſufficere *ſimplicis Presbyteri* benedictionem: Conink defendente be-

nedictionem Chrismatis factam ab *Episcopo* esse etiam de *essentia* hujus Sacramenti : Estio, de necessitate *praecepti*. Similiter disputant, utrùm unctio *in forma crucis* sit adhibenda de necessitate Sacramenti : quod asserit Soto, negat Aureolus. Tum Chrisma utrùm *in fronte* præcisè applicandum de necessitate Sacramenti. Esse contendit Gregorius de Valentia : negat Franciscus Victoria. De ipsa quoque *forma* litigant. Ut enim missa fiat jam antiquata opinio Armacani, Soto docuit *expressionem trium sanctissimæ Trinitatis personarum* necessariò adhibendam tanquam de essentia. Estius tamen pronunciat, eorum qui hanc necessariam negant, opinionem non esse improbabilem : utrùm includat invocationem sanctissimæ Trinitatis, ut vult Aureolus, repugnante Petro de Alliaco: & utrùm hanc includat *explicitè*, quod vult Soto, contradicente Estio. Circa *Ministrum* quoque rixantur. Armacanus olim statuit *Presbyteros & Diaconos* jure Divino esse ordinarios hujus Sacramenti Ministros, adversùs quem Sotus exardescit. Alii ex commissione Papæ id juris posse concedi *simplici Sacerdoti*, sinè qua careret ad illud potestate. Negant id muneris posse committi simplici Presbytero per summum Pontificem Albertus, Bonaventura, & maximè Durandus, qui clamat opinionem adversariorum videri non falsam solùm, sed etiam fidei & Ecclesiæ valde periculosam. His accedunt Major & Hadrianus, qui post Eugenium IV. scripsere. Circa *suscipientes*, in Latinorum quoque Scholis litigatum est. Petrus de Alliaco sustinet Baptismum fluminis non necessariò debere præsupponi, sed æquivalens aliquid sufficere. Soto amentes ab hujus participatione excludit, eos Conink admittit. *De ætate* dissidium est. Glossa super Can. Ut jejuni, de Consecr. dist. v. præscribebat, ne ante annum XII. pueri confirmarentur. Alii septimum definiunt. Quidam post VII. dies à Baptismate suscepto, alii statim ab ejus susceptione, etiam ante usum rationis. Circa *necessitatem* sua quoque est diversitas. Hugo videtur existimasse ad salutem quadantenus necessarium esse hoc Sacramentum, cui concinunt Alliaco, Major, Estius & Aurelius. Alii è contra sufficere, si non contemnatur & negligentiam nullatenus esse culpabilem. Denique Gabriël putat ejus *effectum* esse remissionem peccatorum, quod negant cæteri.

Respondeo, in primis Latinorum consensum de Confir-

matione quòd ſit Sacramentum novæ Legis à Baptiſmo diſtinctum, prohibere ne noſtra ſcholaſtica diſſidia contrarium docere videantur. Illa ſanè diſſidia non ſpectant ad fidem, & ſunt de numero illorum quæ eâ ſalvâ permittuntur hominum diſputationi. Quod enim Auguſtinus olim de *origine animæ* ac de *peccato originali* ſcribebat Optato Epiſt. c. LVII. *Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non eſt*: id ego pari jure de propoſito argumento dico: Si materia Sacramenti Confirmationis lateat (idem cenſeo de cæteris) dum tamen clareat, quòd ratio Sacramenti novæ Legis ei convenit, periculum non eſt. II. Controverſiæ iſtæ non ſunt exortæ niſi à temporibus Scholaſticorum, ante quorum tempora veteres, non ita ut illi minutias ſectantes, docebant quod ſatìs erat ad fidem Sacramenti. III. Quo modo Dallæus argumentatur, ut conficiat Confirmationem non eſſe Sacramentum novæ Legis; poſſet quis alius argumentari probaturus pariter Baptiſmum & Euchariſtiam non eſſe Sacramenta, ſive reſpicere velit ad controverſias quæ agitantur in ſuis Scholis de hoc utroque Sacramento, ſive advertat ad eas quæ noſtras occupant. Et de *Baptiſmi* quidem *materia* ſic inter ſe conveniunt, ut tamen irrideant ritum *benedictionis & conſecrationis aquæ*, quem ab Eccleſia veteri uſurpatum eſſe minimè inficiantur. *De forma* diſputant. Lutherus contendit lib. de Captiv. Babyl. valere Baptiſmum ſuſceptum in nomine Domini, *etſi non datum*. Voſſius lib. de Baptiſmo, diſput. II. Theſi V. ſuſtinet cum cæteris Calviniſtis communiter neceſſe eſſe ut *detur in nomine Domini*, quemadmodum neceſſe eſt ut in eodem nomine Domini ſuſcipiatur. *De Miniſtro* exiſtimant contra veteres, ut ipſi fatentur, mulieres, obſtetrices, laïcos, adeoque privatum neminem jus habere baptizandi in neceſſitate, & Baptiſmum ſic ab illis collatum meram eſſe profanationem. Ita Calvinus lib. IV. Inſtit. c. XV. §. XX. & Beza, qq. & reſponſ. de Sacramentis q. CXL. *De loco* Sacramenti Beza cenſet ſolum publicum eſſe idoneum ad Sacramentorum diſpenſationem & verbi prædicationem inſtitutum: contendunt alii non pauci domi baptizari poſſe conſtitutos in neceſſitate, præſentibus parentibus, familiâ, & paucis viris piis. *Neceſſitatem* Baptiſmi tantam volunt eſſe Philippus Melanchton, Petrus Martyr, & Martinus Bucerus, ut ab Hæreticis peti poſſit, ſi aliter haberi

non

non valeat. Dissentit Calvinus loco mox citato §. XXII. cum multis sectatoribus. Ad nostras verò quod pertinet controversias, de Baptismo notum est nos non instituere minores, quàm de Confirmatione ipsa. Disputamus de *tempore institutionis*. Placet nonnullis institutum, quando Christus à Joanne baptizatus est: aliis quando allocutus est Nicodemum: quibusdam quando elegit Apostolos: cæteris denique, post Resurrectionem, quando proximè ascensurus in cœlum dixit Apostolis: *Euntes docete &c.* Disputatum est olim *circa materiam* proximam, utrum Baptismus valeret collatus per aspersionem, asserente Cypriano Epist. LXXVI. adversùs Magnum: & utrùm deberet adhiberi trina immersio, negante Gregorio Magno lib. I. Epist. XLI. & Conc. Tolet. IV. c. V. contra Gallos: ut constat ex Alcuino Epist. LXIX. & LXXXI. Ac denique utrùm sufficiat ablutionem fieri in qualibet minima parte corporis? Disputatio etiam multiplex est *de forma*. Et quidem olim, XII. videlicet sæculo, quæsitum est à Petro Claromontano Episcopo, utrùm legitima foret sub illis solis verbis; *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*; an verò necesse esset uti verbo (*baptizo*) vel æquivalenti, quo verbo neque simili laïci Diœcesis Clarom. baptizantes in necessitate minimè utebantur. Stephanus Tornacensis opinatus est valere: negavit Mauritius Paris. apud Stephanum Tornac. Epist. III. & IV. Disputatur modò, utrùm expressa & distincta nominatio personarum Trinitatis sub distinctis nominibus, sit de essentia formæ Baptismi? Volunt non pauci sufficere, si unico nomine tres exprimantur implicitè. Disputatur etiam de Baptismo collato sub his verbis: *In nomine Genitoris, Geniti, & ab utroque procedentis: seu Ingeniti, Verbi, & Doni? Circa effectum* disputatum est, utrùm pueri consequantur in Baptismo gratiam & virtutes? Asserit S. Thomas III. p. q. LXIX. a. VI. adversùs quosdam veteres existimantes, in Baptismo characterem duntaxat inprimi infantibus, per quem ubi ad ætatem perfectam pervenerint, consequantur gratias & virtutes. *Circa Ministrum*, disputatum est de Baptismo collato ab infideli: in qua difficultate ipse Augustinus hæsit aliquando, ut liquet ex lib. II. contra Epist. Parmen. c. XIII. Disputant etiamnum de Baptismo collato à duobus, quorum unus mutus abluat, & alter mancus proferat formam? Asserit S. Thom. III. p. q. LXVII. a. VI. ad III. *De suf-*

Ee

cipientibus disputatum est olim, utrùm vivi pro mortuis possint baptizari, occasione verborum Apostoli I. Corinth. XV. Disputamus modò, utrùm infantes infidelium baptizandi sint invitis parentibus; & utrùm, ut adultus validè Baptisma suscipiat, requiratur voluntas illum suscipiendi? contendentibus aliis posse validè suscipi cum actu opposito; aliis opinantibus requiri saltem, quòd non habeant dissensum & voluntatem contrariam, & sufficere si habeant se se negativè. Olim etiam dubitatum fuit de validitate Baptismi clinicorum, à Cornelio Papa Epist. ad Fabium Antiochenum. Quæritur denique, an susceptio Baptismi tantæ sit necessitatis, ut infantes, qui cùm baptizari non potuerint, ex hac vita decesserunt, non possint consequi salutem æternam fide & voto parentum suorum aut aliorum, etiam adjuncto aliquo signo exteriori, quo votum istud & fides illis applicetur? *De Eucharistiæ Sacramento* multiplex est etiam controversia inter novatores nostros. Ac I. quidem *de materia*. Putant Beza Epist. II. ad Tillium, Amandus Polonus lib. V. Syntagmatum c. LVI. & Scharpius, *de causa materiali sacræ Cœnæ*, Controv. III. q. I. deficiente pane & vino, licere in Cœnæ administratione iis uti, quibus pro cibo & potu communiter utimur: cæteri adversantur. Eorum plurimi admixtionem aquæ in calice inter res adiaphoras collocant, Luthero lib. adversus Regem Angliæ ita repugnante, ut & inter humana figmenta reponat, & sinistram atque pessimam significationem habere pronunciet. *De forma* disputant etiam: Kemnitio in Exam. cap. I. & Can. I. de Euchar. statuente, non prece hominis, sed verbo institutionis sanctificari & consecrari Eucharistiam: Scharpio in contrarium reclamante, *De sacra Cœna*, Controv. II. q. IV. in hunc modum: *Nos ergo preces & totam institutionem cum precibus ad consecrationem pertinere probamus.* Quantùm à se invicem dissentiant circa sensum verborum: *Hoc est Corpus meum &c.* necesse non est hîc observare: sicuti neque dissidia quæ versantur inter Lutheranos, Zuinglianos & Calvinistas, de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia. Utrùm in usu sita sit, an sit aliquid permanens, Lutherus quæsivit? Posteriorem sententiam est amplexus Epist. ad Valdenses, à qua recessit anno M. DXXXVI. Et, si in usu sit posita, an duratio ejus coarctetur ad durationem solius cœremoniæ quæ fit in Ecclesiæ, an extendatur

ad tempus quod subsequitur, & intra eandem diem includitur, an protendatur ad biduum, vel triduum, quo reservatur pro infirmis, aut etiam tempus totum, quo mittitur vel defertur ad communicandum, qualecunque illud sit, disputant in Scholis suis Lutherani & Calvinistæ. Concomitantiam asserit Lutherus *in assertione articuli* XVI. & in lib. *ad Valdenses*, & *in responsione ad schedulam inhibitionis Episcopi Misnensis*: Eandem impugnat *in informatione ad quendam amicum*. Non idem sensus discipulorum ipsius circa hoc argumentum. Varius adhuc atque multiplex fuit Lutherus circa communionem sub utraque specie. Alteram speciem sufficere censuit. RESPONSIONE *ad schedulam inhibitionis Episcopi Misnensis*. Et initio libri de *Captivit. Babylonica*, & postea *eodem libro* scripsit pro utraque specie. In nostris quoque Scholis plurima sunt dissidia *circa Sacramentum Eucharistiæ*. Et *de materia* quidem quærimus, utrùm ex quolibet frumento, an solo tritico possit confici panis consecrandus? Utrùm ad illum panem conficiendum aqua naturalis sit necessaria, vel sufficiat aqua rosacea, lac, aut aliquid simile, quod volunt Caïetanus & Victoria? & utrùm massa triticea cruda, seu non cocta sit materia sufficiens consecrationis, quod vult Major adversus S. Thomam? Item, quo jure aqua consecrando vino admisceatur? & utrùm transmutetur mediatè vel immediatè in *Christi sanguinem*? *De forma* similiter controvertitur inter nos, sitane ea sit in precibus Ecclesiæ, aut in verbis quibus usus est Christus, & quibus? *Circa explicationem Transubstantiationis* pariter divisi sumus: aliis, post Scotum, volentibus esse actionem adductivam, & habere pro formali termino præsentiam Corporis & sanguinis Domini sub speciebus: aliis esse actionem unitivam Corporis & sanguinis Christi cum accidentibus panis & vini: quibusdam esse actionem de se efficacem ad producendum Corpus & sanguinem Christi, si jam non existerent, quæ tamen non est productiva, quia jam existunt: aliis esse actionem conservativam Corporis Christi sub speciebus: aliis denique reproductivam. *Circa adorationem Eucharistiæ*, quærimus inter nos, utrùm species conjunctæ sint objectum terminativum adorationis; an solum Corpus & sanguis Christi, quæ constat esse objectum motivum & terminativum simul? Circa *communionem sub utraque specie*, utrùm plus gratiæ sumenti utram-

que ſpeciem conferatur ex opere operato, quàm percipienti unicam. Ut nihil dicam de variis controverſiis, quas inſtituunt circa *ſuſcipientes*, *effectus* atque *Miniſtrum*. Ex quibus omnibus facilè intelligitur, argumentum Dallæi petitum ex diſſidiis noſtris circa Confirmationem æque valere contra Baptiſmum & Euchariſtiam: quibus quum non obſtantibus, hoc utrumque habeat rationem Sacramenti novæ Legis; cauſæ non eſt, cur ea ratio denegetur Confirmationi.

Objicit v. plures è Theologis Scholaſticis aſſeruiſſe Confirmationem non fuiſſe inſtitutam à Chriſto.

Reſpondeo, neminem illorum negaſſe inſtitutam à Chriſto fuiſſe mediatè vel immediatè: & qui mediatè tantùm inſtitutam ab ipſo fuiſſe contendunt, ſentiunt iſtud ſufficere.

DISPUTATIO TERTIA.

De materia Confirmationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm impoſitio manuum ſit materia Confirmationis?

MULTIPLEX atque varius eſt ſenſus Theologorum atque Canoniſtarum de materia Sacramenti Confirmationis, qui tamen ad tres facilè revocantur. I. *Manûs impoſitionem ſolam.* II. *Unctionem ſolam.* III. *Manûs impoſitionem & unctionem ſimul* aſtruit.

Qui *manûs impoſitionem* ſolam agnoſcunt, de materia eſſentiali loquuntur, neque excludunt *unctionem* tanquam *ex inſtituto Eccleſiæ* aſſumptam ad majorem expreſſionem effectus Sacramenti Confirmationis.

Qui exiſtimant *unctionem ſolam* eſſe materiam eſſentialem Sacramenti Confirmationis, triplicem viam ineunt. Quidam enim cum S. Thoma III. p. q. LXXII. art. II. ad I. dicunt, Chriſtum ex poteſtate excellentiæ, quam habet in Sacramentis, contuliſſe Apoſtolis rem hujuſce Sacramenti, id eſt. plenitudinem Spiritus ſancti, ſine Sacramento : quod etiam præſtiterunt Apoſtoli, quando ad impoſitionem manuum eorum, plenitudo Spiritus ſancti deſcendebat ſuper fideles ſub viſibilibus ſignis : neque verò neceſſariam fuiſſe ſenſibilem materiam Sacramentalem, ubi ſenſibilia ſigna miraculosè divinitus adhibebantur. Verumtamen, quòd utebantur Apoſtoli communiter Chriſmate in exhibitione Sacramenti,

quando hujusmodi visibilia signa non exhibebantur. Dicit enim Dionysius c. IV. Eccles. Hierarchiæ : *Est quædam perfectiva operatio, quam duces nostri* (id est Apostoli) *Chrismatis hostiam nominant.* Et art. IV. ad I. *Per ministerium Apostolorum quandoque dabatur effectus hujus Sacramenti, scilicet plenitudo Spiritus sancti, quibusdam visibilibus signis miraculosè à Deo effectis : qui potest effectum Sacramenti sinè Sacramento conferre. Et tunc non erat necessaria nec materia nec forma hujus Sacramenti. Quandoque autem tanquam Ministri Sacramentorum hoc Sacramentum præbebant ; & tunc sicut materiâ, ita & formâ ex mandato Christi utebantur. Multa enim servabant Apostoli in Sacramentorum collatione, quæ in Scripturis communiter propositis non sunt tradita. Unde Dionysius dicit in fine Eccles. Hierarchiæ : Consummativas invocationes, id est, verba quibus perficiuntur Sacramenta, non est justum Scripturas interpretantibus, neque mysticum earum, aut in ipsis operatas ex Deo virtutes, ex occulto ad commune adducere : sed nostra sacra traditio sinè pompa, id est, occultè eas edocet. Unde & Apostolus dicit de celebratione Eucharistiæ. I. Corinth. XI. Cætera, cùm venero disponam.* Alii post Alexandrum Alensem & S. Bonavent. citatos I. disputat. dicunt Christum neque dispensavisse, neque instituisse immediatè hoc Sacramentum quantum ad materiam & formam. Apostolos confirmatos fuisse à Spiritu sancto immediatè sinè ministerio & Sacramento post Christi Ascensionem : eosdem confirmando nec materiam nec formam dispensavisse, sed rem hujus Sacramenti fideles ab iis accepisse sinè elemento seu materia, quâ minime opus erat : quia, ut loquitur Bonaventura, *in datione Spiritus sancti signa visibilia apparebant. Institutis verò successoribus Apostolorum, per quos dandus erat vi verborum & invisibiliter Spiritus sanctus, oportuisse institui sensibile elementum : quod quidem institutum est, Spiritu sancto dictante, ab ipsis Ecclesiæ rectoribus.* Hujusce opinionis patroni minùs consentiunt circa tempus designationis unctionis in materiam Confirmationis ; aliis significantibus id factum à primis successoribus Apostolorum, ut Bonaventura ; cæteris nonnisi in Conc. Meldensi ut Alensis ; vel Aurelianensi, ut Joannes de Baccone : quos B. Thomas indicare voluit (si Bacconem exceperis eo tempore posteriorem) q. citatâ a. I. ad I. scribens : *Quidam dixerunt, quòd hoc Sacramentum non fuit institutum nec à Christo, nec ab Apostolis,*

sed postea processu temporis in quodam Concilio. Cæteri denique post Eugenium IV. in decreto *de unione Armenorum* pronunciantem: *Loco autem illius manûs impositionis* (de qua scilicet Actor. VIII.) *datur in Ecclesia Confirmatio* : censuerunt Apostolos dispensavisse Sacramentum Confirmationis : sed existimant, quod cùm manûs impositio primis illis temporibus fuerit materia illius essentialis unica ; eadem nunc habet rationem puræ cæremoniæ, ejusque loco, Spiritu sancto inspirante, Chrismatio Ecclesiæ suffecta est. Volunt ergo Sacramentum istud à Christo esse institutum in genere, hoc est, quòd sub signo aliquo sensibili vagè & indeterminatè baptizatis robur & virtus conferatur adversùs suæ professionis hostes : determinationem autem materiæ & formæ, hoc est, certi signi sensibilis sub quo Spiritus sanctus daretur, Christum Apostolis suæ Ecclesiæ præpositis reliquisse. Qui Apostoli primò, vel suo spiritu Apostolico, vel Christi suggestione utebantur manûs impositione tanquam hujus Sacramenti materiâ. Deinde verò vel ipsi vel eorum successores, reprobata priore hac materia, aliam in unctione positam determinaverunt, quaque expressiùs significaretur illius effectus. Peculiare id non esse Confirmationi, sed illi commune cum ordine tum Diaconatus, tum etiam Presbyteratus, qui conferebantur olim sola manuum impositione: & cum Matrimonio, cujus materia instituta à Christo est consensus, abstrahendo à clandestino & publico ; & tamen Ecclesia declaravit ea Matrimonia irrita, quæ non contraherentur coram Parocho & duobus aut tribus testibus. Audiatur Estius lib. IV. dist. VII. §. VII. *Dato*, inquit, *quæ communior sententia est, Apostolos initio suæ prædicationis non usos fuisse Chrismate in administratione hujus Sacramenti; probabile quoque videtur, quòd eodem tempore manûs impositio locum materiæ tenuerit, sicut & oratio locum formæ : ita videlicet, ut utraque tunc necessariò adhiberetur ad tradendum humano ministerio Spiritum sanctum, donec introducto Chrismatis usu, simul cum forma illi materiæ accommodata, quæ solæ sunt hujus Sacramenti partes essentiales, necessitas impositionis manuum cessaret, quantùm quidem ad essentiam vel integritatem attinet Sacramenti : cùm jam neque forma ejus sit, neque materia, neque formæ vel materiæ pars ; sed tantùm cæremonia quædam Sacramentalis ex Apostolica traditione accepta, & ideo nequaquam omittenda, ut pote necessitatem*

adhuc retinens pracepti, etsi non Sacramenti. Qua doctrina conformis est Decreto Florentino de Sacramentis, in quo legitur, quòd loco illius manûs impositionis, per quam Apostoli dabant Spiritum sanctum, in Ecclesia datur Confirmatio, cujus materia est Chrisma &c. Ex quibus verbis utrumque colligitur & initio necessariam fuisse manuum impositionem Sacramenti necessitate, & eandem ejus necessitatem signaculo Chrismatis introducto cessasse. Ante eum Ruardus Taper Decanus Lovan. annum XII. *Apostoli primò vel suo Spiritu Apostolico, vel Christi suggestione utebantur manuum impositione tanquam hujus Sacramenti materia.* Et postea. *Quando lingua vel catera miracula cessarunt, oportebat ob confusam, incertam & indistinctam manûs impositionis significationem, proprium & determinatum signum institui, atque assumi: ad varios namque effectus Apostoli manum imponebant.*

Qui denique opinantur materiam essentialem Confirmationis coalescere ex duplici partiali, *manûs* videlicet *impositione* atque *unctione*; ii vel aiunt manûs impositionem esse præviam ad unctionem, cui oratio tanquam forma deprecatoria respondet, vel unà cum unctione peragi. Ita Hugo de S. Victore lib. II. de Sacram. p. VII. c. II. *Manûs impositio,* inquit, *qua usitato nomine Confirmatio vocatur: qua Christianus unctione Chrismatis per impositionem manûs in fronte signatur.* Et cap. IV. *De Sacramento Confirmationis, id est, impositionis manuum.* Ita etiam Thomas Valdensis tom. II. de Sacram. c. CXIII. & ex recentioribus Bellarm. de Sacram. Confirm. lib. II. c. II. & IX. ubi arguit falsi Kemnitium, quòd scripserit apud Latinos, manûs impositionem confirmatoriam esse abolitam, & ait; *Apostolos autem mutasse materiam, nescio an ullo modo probari possit, nisi recentiorum authoritate.* Isambertus ad q. LXXII. III. p. S. Thom. disput. I. a. IV. scribens. *Ipsa quoque inunctio Episcopali manu facta in fronte, est quadam manûs impositio.* Et Maldonatus tractatu de Confirmat. q. II. his verbis. *Materia, quam inter Apostolos non aliam fuisse legimus, quam externam manuum impositionem, qua ipsa etiam hodie appellanda est materia. Sed tamen vocavit etiam Ecclesia semper materiam hujus Sacramenti Chrisma: quod ab Apostolis etiam fuisse adhibitum manifestum est ex authoribus qui sub id tempus vixerunt. Ergo Ecclesia non ita vocat materiam Chrisma, ut putet solum Chrisma esse materiam; sed quia quotiescunque*

cunque adhibetur aliquod elementum, aut est tota materia, aut pars materiæ Sacramenti Ecclesiæ, vocavit materiam Confirmationis Chrisma.

Prima sit propositio. Impositio manuum est materia essentialis Sacramenti Confirmationis. Ita Canonistæ & Theologi primæ ac tertiæ sententiæ, adversùs propugnatores secundæ. Probatur. Signum sensibile, quod junctum verbo producit gratiam sanctificantem confirmatoriam, est materia Sacramenti Confirmationis. Atqui *manûs impositio* in Confirmatione usurpata est hujusmodi. Quod ostendo inprimis, tum ex illo Hebr. VI. *Impositionis quoque manuum*: tum ex Act. VIII. *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum.* Et postea. *Tunc* IMPONEBANT MANUS *super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Cui simile est quod habetur Act. XIX. Quæ ostendimus disput. II. a. III. intellecta esse à Patribus de Sacramento Confirmationis. Unde & refelluntur defensores secundæ sententiæ, etiam in eo quòd contendunt Apostolos non dispensavisse Sacramentum Confirmationis, quando Spiritus sanctus descendebat super Neophytos per manûs impositionem: quorum opinio destruitur per hæc verba Cypr. Epist. LXXIII. relata. *Tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum est, ut* ORATIONE *pro eis habita, &* MANU IMPOSITA *invocaretur & infunderetur super eos* SPIRITUS SANCTUS. *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur,* PRÆPOSITIS *Ecclesiæ offerantur, & per nostram* ORATIONEM *ac* MANÛS IMPOSITIONEM SPIRITUM SANCTUM *consequantur, ac signaculo Dominico consummentur.* Quibus videlicet habetur idem factitatum fuisse ab Apostolis, quod nunc fit ab Ecclesiæ Præpositis quando confirmant, neque tantum idem quoad effectum, sed etiam idem quoad Sacramentum, ut evincunt hæc verba: *Et per nostram* ORATIONEM *ac* MANÛS IMPOSITIONEM *Spiritum sanctum consequantur.* Destruitur per Chrysost. ad c. VIII. dicentem, *Hoc nunc facere Episcopos, quod Apostoli manuum impositione & oratione super Neophytos faciebant.* Per Hieronymum Dialogo adversùs Luciferianos ita loquentem: *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per* MANÛS EPISCOPI *non accipiat* SPIRITUM SANCTUM? *Disce hanc observationem ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit.* Antea verò Luciferianus di-

xerat: *Exigis ubi ſcriptum ſit? In Actibus Apoſtolorum.* Deſtruitur per Auguſtinum lib. XV. de Trinitate c. XXVI. pronunciantem. *Neque enim aliquis diſcipulorum ejus dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus* MANUM IMPONEBANT, *non ipſi eum dabant. Quem* MOREM *in ſuis* PRÆPOSITIS *etiam nunc ſervat Eccleſia.* Deſtruitur per Iſidorum Hiſpal. lib. II. de Officiis cap. XXVI. his verbis. *Sed quoniam poſt Baptiſmum per* EPISCOPOS *datur* SPIRITUS SANCTUS *cum* MANUUM IMPOSITIONE, *hoc in Actibus Apoſtolorum feciſſe meminimus Apoſtolos.* Deſtruitur denique per Bedam & cæteros, quorum teſtimonia ſuperiùs adduximus.

Oſtendo II. ex Patribus attribuentibus effectum Confirmationis *manûs impoſitioni* Epiſcopali. Ita Tertullianus libro de Baptiſmo. *Dehinc* MANUS IMPONITUR, *per benedictionem advocans & invitans Spiritum ſanctum.* Libro de Reſurrect. Carnis c. VI. *Caro* MANÛS IMPOSITIONE *adumbratur, ut & anima Spiritu illuminetur.* Cyprianus verbis mox relatis: *Ut per noſtram orationem ac* MANUUM IMPOSITIONEM *Spiritum ſanctum conſequantur.* Firmilianus Epiſt. ad Cyprianum expreſsè habet de Paulo reſpectu nonnullorum Joannis Baptiſmate baptizatorum Actor. XIX. *Baptizavit denuo ſpirituali Baptiſmo, & ſic eis* MANUS IMPOSUIT *ut acciperent Spiritum ſanctum.* Et hanc manûs impoſitionem ibidem in Eccleſia eſſe agnoſcit, hoc eſt, confirmatoriam. Concil. Eliberit. Can. XXXVIII. *Ad Epiſcopum eum perducat, ut per* MANÛS IMPOSITIONEM *perfici poſſit.* Ambroſiaſter in c. VI. ad Hebr. IMPOSITIONEM MANUUM, *per quam Spiritus ſanctus accipi poſſe creditur.* Hieron. Dial. adverſus Lucifer. *Non abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad invocationem Spiritus ſancti* MANUM IMPOSITURUS *excurrat.* Joan. Chryſ. in cap. VIII. Actor. ait *Impoſitionem manuum, quam Apoſtoli faciebant, ſuo tempore in Eccleſia fieri.* Idem habet in c. VI. ad Hebr. Auguſtinus lib. XV. de Trinitate cap. XXVI. *Apoſtoli orabant ut veniret* (Spiritus ſanctus) *in eos quibus* MANUS IMPONEBANT. *Quem* MOREM *in ſuis Præpoſitis* ETIAM NUNC *ſervat Eccleſia.* Et expoſit. in Epiſt. ad Rom. *Iſta omnia* (Baptiſmum videlicet atque manûs impoſitionem) *negat* (Apoſtolus) *eſſe repetenda, utique in conſecrandis fidelibus.* Et lib. III. de Baptiſmo c. XVI. *Spiritus autem*

ſanctus, quòd in ſola Catholica per MANÛS IMPOSITIONEM *dari dicitur.* Et poſtea. *Ii quibus* MANUS *ad accipiendum Spiritum ſanctum* IMPONITUR. Et tract. VI. in I. Joan. *Nunquid modò quibus* IMPONITUR MANUS, *ut accipiant Spiritum ſanctum &c.* Sedulius Scotus effectum quoque Confirmationis attribuit manûs impoſitioni. IMPOSITIONIS MANUUM *ſcilicet*, inquit, *Epiſcopi.* Theodoretus ad c. VI. Epiſt. ad Hebr. *Per* MANUM SACERDOTALEM *Spiritûs gratiam accipiunt.* Hilarius Arelat. Homil. de Pentecoſte. *Quod nunc in confirmandis Neophytis* MANÛS IMPOSITIO *tribuit ſingulis, hoc tunc Spiritus ſancti deſcenſio in credentium populo donavit univerſis.* Gennadius Conſtantinop. apud Oecum. c. VI. ad Hebr. *Baptizati ſe ipſos ſubjiciant* IMPOSITIONI MANUUM *Sacerdotum ad participationem Spiritus.* Primaſius ibidem. IMPOSITIONEM MANUUM *appellat*, inquit, *per quam pleniſſimè creditur accipi donum Spiritus ſancti, quod poſt Baptiſmum ad confirmationem unitatis in Eccleſia à Pontificibus fieri ſolet.* Et ad c. XIII. *Donum etiam Spiritus ſancti, quod datur in Baptiſmate per* IMPOSITIONEM MANUUM. Gregorius Magnus in Sacramentario. LEVATA MANU *ſua ſuper capita omnium.* Et Hom. XVII. in Evangelia. *Per* IMPOSITIONEM NOSTRARUM MANUUM *à Deo Spiritum ſanctum percipiunt.* Eulogius Alexandrinus lib. II. contra Novat. *Dignior reddi adventu Spiritus ſancti, qui per* IMPOSITIONEM MANUUM *Apoſtolorum fiebat.* Conc. Hiſpal. II. c. VII. *Nec per* IMPOSITIONEM MANUUM *fidelibus baptizatis Paracletum Spiritum tradere.* Iſidorus Hiſpal. lib. II. de Officiis c. XXVI. *Poſt Baptiſmum per Epiſcopos datur Spiritus ſanctus cum* MANUUM IMPOSITIONE. Et lib. VI. Originum cap. ultimo. MANÛS IMPOSITIO *ideo fit, ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus ſanctus.* Beda in I. Cant. Cantic. *Quatenus fideles omnes cum* IMPOSITIONE MANÛS *Sacerdotalis, qua Spiritus ſanctus accipitur.* Gregorius III. Epiſt. VII. *Oportet eos per* MANÛS IMPOSITIONEM *& ſacri Chriſmatis unctionem confirmari.* Zacharias Epiſt. XI. *Per* EPISCOPALIS MANÛS IMPOSITIONEM. Ordo Romanus in Sabbato ſancto. *Elevata &* IMPOSITA MANU *ſuper capita omnium, det orationem ſuper eos, cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti.* Jeſſe Ambian. Epiſt. de Baptiſmo. MANÛS IMPOSITIO *fit, ut per benedictionem advocatus & invitatus Spiritus ſanctus ſuper eos deſcendat.* Theodulphus

Aurel. lib. de Ordine Baptiſmi c. XVI. *Spiritus ſancti gratia per* IMPOSITIONEM MANUUM *& miniſterium Epiſcoporum fidelibus traditur.* Magnus Senon. Epiſtol. ad Carolum Magnum. *Noviſſimè per* MANÛS IMPOSITIONEM *à ſummo Sacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accipiunt.* Amalarius Fortunatus lib. I. de Officiis c. XXVII. *De illis qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam & non ſuſcipiunt* MANUS IMPOSITIONEM. Rabanus Maurus lib. I. de Inſtit. Cleric. c. XXX. *Noviſſimè à ſummo Sacerdote* PER IMPOSITIONEM MANÛS *Paracletus traditur illi Spiritus ſanctus.* Ratramnus Corbeïenſis lib. IV. c. VII. *Gratia Spiritus ſancti per* IMPOSITIONEM MANUUM *tribuatur ab Epiſcopis.* Jonas Aurelian. lib. I. de Inſtit. Laïc. c. VII. *Spiritus ſancti gratia per* IMPOSITIONEM MANUUM, *miniſterium adminiſtratum Epiſcoporum fidelibus inviſibiliter tribuatur.* Author lib. de Divinis Officiis cap. XIX. *Dat Pontifex ſuper eos orationem ,* IMPOSITA *ſcilicet* MANU *ſuper capita eorum , cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti.* Alcuinus Epiſt. ad Oduinum. *Noviſſimè, per* IMPOSITIONEM MANUUM *à ſummo Sacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accipit.* Conc. Pariſ. VI. c. XXXIII. *Traditio Spiritus ſancti per* IMPOSITIONEM MANUUM *fidelibus tradatur.* Vita S. Ludgeri. MANÛS IMPOSITIONE *firmavit.* Oecumenius ad cap. VI. Epiſt. ad Hebr. *Baptizati ſe ipſos ſubjiciant* IMPOSITIONI MANUUM *Sacerdotum, ad participationem Spiritus.* Lanfrancus ibidem. *Pro accipiendis ſancti Spiritus donis in* IMPOSITIONE MANUUM *conſummari.* Anſelmus Cantuarienſis, aut ſi quis alius , ibidem. *Ad acceptionem Spiritus ſancti, qui per* MANUUM IMPOSITIONEM *accipitur.* Simeon Theſſalon. lib. de Templo. *Per* MANUUM IMPOSITIONEM *& inſufflationem unguenti gratiam impartitur.* Ivo Carnot. Serm. de Excellentia ſacrorum Ordinum. *Arma ſpiritualia contra hoſtes inviſibiles per* MANÛS IMPOSITIONEM *accepiſtis.* Rupertus lib. III. de operibus Spiritus ſancti c. X. *Per* MANÛS IMPOSITIONEM, *ſacrique Chriſmatis unctionem, ſecundam qui renatus eſt gratiam accipit.* Petrus Lombardus ad c. VI. Hebræorum Epiſt. *Niſi quis credat , quòd per manûs impoſitionem detur Spiritus ſanctus ad remiſſionem & corroborationem, non eſt fundatus ac fundamentum.* Robertus Pullus Sententiarum parte V. c. XXIII. exponit Confirmationem per voces *manûs impoſitionis*, aitque : *Soli Epiſcopo Confirmatio nunc conceditur,*

sicut tempore Apostolorum quoque concedebatur. Confirmatio igitur, inquit, *impositione manuum* Episcopi data, *quantò difficiliùs obtinetur, tantò pretiosior æstimatur.* Quibus omnibus adjungimus Epistolas quæ dicuntur esse Urbani, Eusebii, Melchiadis, Damasi & Joannis III.

Atque hoc acervo testimoniorum abundè refellitur sensus tertius authorum secundæ sententiæ, sive illi velint *manûs impositionem* de materia *essentiali* factam esse ritum *accidentalem*, meramque Sacramenti cæremoniam; sive etiam putent hanc penitus *abolitam*, unctionemque in ejus locum fuisse suffectam. Nam perspicuum fit ex dictis, ritum *impositionis manuum* ad usque tempora Magistri perseverasse eodem modo quo cœpit ab initio.

Dices 1°. Quid ad Eugenii IV. decreto de unione Armenorum verba hæc: *Loco* MANÛS IMPOSITIONIS *datur in Ecclesia* CONFIRMATIO? Et quid ad Innocentium III. cap. *Cùm venisset. De sacra Unctione*, scribentem: *Per frontis Chrismationem designari* MANÙS IMPOSITIONEM *Apostolorum?*

Respondet Bellarminus lib. II. de Sacram. Confir. c. IX. inprimis: *Non omnia quæ habentur in decretis aut Conciliis ad fidem pertinere, sed solùm ea quæ definiuntur: Hoc autem*, inquit, *de quo agimus, non definitur, sed tantùm obiter dicitur ad rem explicandam.* Pergit Cardinalis. *Dico tamen secundò, & meliùs ac tutiùs, Innocentium & Concilium* (loquitur de decreto Eugenii) *non velle dicere, Chrisma esse loco* IMPOSITIONIS MANUUM, *quasi Apostoli non uterentur Chrismate, & nos non utamur* IMPOSITIONE MANÙS; *sed velle dicere id ipsum quod Apostoli faciebant, cùm dicebantur* IMPONERE MANUS, *facere nunc Episcopos, cùm dicuntur* CONFIRMARE *vel* CHRISMARE. *Distinguitur enim in his locis non ritus à ritu, sed* MODUS LOQUENDI *à* MODO LOQUENDI, *&* PERSONÆ *à* PERSONIS, *& denique illa particularis* IMPOSITIO MANUUM *ab ista, quæ* MODÒ *est: siquidem tunc communiter dicebatur hoc Sacramentum* IMPOSITIO MANUUM; *nunc dicitur communiter* CONFIRMATIO. *Præterea illam dabant Apostoli, istam Episcopi. Denique illa erat efficacior, quia cum effectu interno dabat etiam externum, & cum gratia gratum faciente dabat etiam dona gratìs data linguarum & miraculorum &c. Hac ergo ratione dici potest, id quod fit, esse loco ejus quod tunc fiebat, licèt sit idem quoad substantiam. Et quòd hic sit sensus eorum lo-*

torum, probatur dupliciter. I. *quia Concilium & Innocentius non dicunt, Chrisma esse loco* IMPOSITIONIS MANUUM; *sed,* SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS ESSE LOCO IMPOSITIONIS MANUUM. *At certè Apostoli, omnium consensu, dabant Sacramentum Confirmationis; sive adhibuerint Chrisma, sive non.* II. *quia Concilium & Innocentius ibidem dicunt, Episcopos esse in Ecclesia loco seu vice Apostolorum. At certè Apostoli verè Episcopi erant, licèt aliquid etiam ampliùs haberent.*

Respondet Ysambertus ad III. p. q. LXXII. disp. I. art. IV. *Decretum Eugenii velle tantùm Episcopos per Confirmationem nunc id agere in Ecclesia, quod ipsi Apostoli agebant per* MANUUM IMPOSITIONEM: *quòd scilicet, dent Spiritum sanctum, quem tunc dabant Apostoli, ut patet ex antecedentibus.*

Respondet Ægidius Conink ad eundem locum S. Thomæ art. III. dubit. II. *Innocentium tantùm dicere, per frontis Chrismationem* DESIGNARI *seu* SIGNIFICARI *(hoc enim verbum illud ibi significat, non autem figurari, quia res posteriores non sunt figura priorum) impositionem manuum. Quare tantùm ibi velle dicere, hæc tria, Chrismatio, impositio manuum, Confirmatio,* IDEM SIGNIFICARE. *Sensum quoque Eugenii eundem esse. Nec enim* REM REI, *sed* NOMEN NOMINI *successisse indicat.*

Respondet Suares ad cit. S. Thom. q. art. IV. disp. XXXIII. sect. IV. *Illis verbis non significari diversa esse hæc Sacramenta, aut diversos illorum ritus, sed solùm hoc facere Episcopos nunc confirmando, quod Apostoli faciebant manus imponendo; & idem nunc* SIGNIFICARI *nomine Confirmationis, quod tunc* MANÛS IMPOSITIONIS. *Ac denique sicut Episcopi dicuntur successisse loco Apostolorum, quamvis Apostoli fuerint verè Episcopi, quoad substantiam & potestatem Ordinis ejusdem rationis cum suis successoribus; superiores tamen in jurisdictione & aliis gratiis: ita nostra Confirmatio esse dicitur loco illius* MANÛS IMPOSITIONIS, *non quia in ritu substantialiter differat, sed potiùs quia eandem Sacramenti rationem retinet, licèt in quibusdam effectibus & gratiis majorem quandam excellentiam habuerit Apostolorum* MANÛS IMPOSITIO.

Respondet Meratius tract. de Confirm. disput. II. sect. II. *Explosâ Bellarmini responsione secundâ, concedendum esse Innoc. & Eugenium favere ei sententiæ, quæ asserit Apostolos aliquando sinè Chrismatis unctione per* MANÛS IMPOSITIONEM *Confir-*

mationis Sacramentum administrasse : quo non obstante, licet contrariæ sententiæ tanquam probabiliori adhærere : cùm, quod ab illis dictum est, non fuerit ab iis tanquam dogma fidei definitum; sed ad uberiorem doctrinæ quam de Sacramento Confirmationis tenebant explicationem, obiter & ex occasione insertum.

Mea hæc est mens de Innocentii III. & Eugenii IV. dictis. I. summos illos Pontifices nihil definivisse de quæstione proposita : & quæ ab illis de ea dicta sunt, obiter tantum, ad majorem doctrinæ explicationem atque ex occasione dicta & inserta fuisse. II. utriusque sensum esse, quòd eadem res quæ olim *manûs impositio* dicebatur, appellatur nunc *Confirmatio.* De Innocentio planum est ex ejus verbis : *Per frontis Chrismationem* MANÛS IMPOSITIO DESIGNATUR, *quæ alio nomine dicitur* CONFIRMATIO. Hoc est, tria hæc nomina, frontis unctio, manûs impositio & Confirmatio, unam eandemque rem significant. De Eugenio probatur : quia nisi sensus ejus fuerit, *Id quod vocabatur olim manûs impositio, vocatur nunc Confirmatio*; sensus erit iste: Res ipsa nomine *Confirmationis* expressa, successit alteri rei, quæ nuncupabatur *manûs impositio.* Unde consequens erit, damnatam ab Eugenio tum opinionem asserentem Apostolos confirmasse per *manûs impositionem*, quæ tamen est gravissimorum authorum, imò & Concilii Moguntini referendi inferiùs ; tum etiam aliam, quæ censet eo tempore, quo Apostoli per *manûs impositionem* conferebant effectum Confirmationis sinè Sacramento, non contulisse eundem effectum per Sacramentum: nam rem alteri succedere est incipere altera desinente, quæ tamen sententia est S. Thomæ. Tum denique sequeretur damnatam esse opinionem quæ in Confirmatione retinet ipsam *manûs impositionem*, quam tamen esse retinendam constat non modò ex dictis suprà, sed etiam ex Pontificalibus, quibus etiamnum utimur, & ex Concilio Moguntino an. M. DLXIX. c. XVII. his verbis. *Ea verò ut erant à Christo promissa, ipsis Apostolis in die Pentecostes exhibita, & ab eisdem per* MANÛS IMPOSITIONEM *in alios transfundi cœpta, Actus ipsorum satìs testantur. Unde Ecclesia Catholica Spiritum sanctum per* MANUS EPISCOPORUM *fidelibus tradendi normam accepit.* Ex Remensi anni M. DLXXXIII. tit. de Confirmat. *Quamvis quisque per Baptismum catalogo fidelium sit adscriptus ; ad diaboli tamen, carnis, mundique tentationes perferendas ac superandas,*

non nisi per IMPOSITIONEM MANUUM *Episcopi plus roboris & gratiæ recipit.* Et Narbon. anni M. DCIX. *SS. Patrum institutionibus constat, nos in Baptismo regenerari ad vitam, & post Baptismum in hoc Sacramento, quo per* IMPOSITIONEM MANUUM *Episcopi Spiritus sanctus diffunditur in corda fidelium robur atque fortitudinem dari.* Quare mihi videntur Patres Concilii Senonensis celebrati an. M. DXXVIII. assecuti mentem Eugenii, quando in Decreto de Sacram. Confirmationis ita locuti sunt. *Nec obscuriùs quidem Sacramentum Confirmationis Christus instituit, cùm parvulis manum imponeret. Quod & ab Apostolis legimus promulgatum cùm ad Samaritanos miserunt Petrum & Joannem. Unde &* TUNC IMPOSITIONIS MANUUM, NUNC CONFIRMATIONIS APPELLATUM EST SACRAMENTUM. III. quia per *manûs impositionem* intelligi potest confirmatoria, ratione adjunctæ speciei visibilis, & gratiarum gratìs datarum quæ erant transiens effectus illiûs ad primordia Ecclesiæ dilatanda institutus; sumpta *manûs impositione* sub hoc significatu præcisè, fateor *Confirmationem* reipsa spectatam *loco manûs impositionis* sic usurpatæ dari: & eo sensu *rem* ipsam cum *re*, non merum *nomen* cum *nomine* comparari ab Eugenio. Quia videlicet loco *manûs impositionis* conferentis Spiritum sanctum, hoc est, gratias gratis datas & gratum facientem, sub specie visibili, datur nunc *Confirmatio*, hoc est, manûs impositio collativa gratiæ sanctificantis absque istiusmodi specie visibili. Sicque Confirmatio dicitur ab Eugenio dari loco manûs impositionis, ad eum modum, quòd in eodem decreti paragrapho, dicuntur Episcopi vicem tenere Apostolorum. Ut enim Apostoli verè erant Episcopi, sed præterea per dignitatem Apostolatus eminebant supra cæteros Episcopos: ita *manûs impositio* Apostolorum erat *Confirmatio*, & duabus insuper prærogativis istis gaudebat, quæ post priora tempora Ecclesiæ desinere debuerunt, remanente Sacramento Confirmationis nudè atque præcisè spectato.

Ex his quoque intelligitur *manûs impositionem* minimè fuisse abolitam in Confirmatione postremis Ecclesiæ sæculis; quandoquidem illius meminere Pontificalia, & Synodi Moguntina, Remensis, atque Narbonensis laudatæ. Neque verò sic eandem hactenus retinuit Ecclesia, ut cùm haberet antea rationem materiæ, habere postea voluerit rationem

puræ

puræ Sacramenti cæremoniæ. Neque enim ſummorum Pontificum aut decretum aliquod, aut ullus Conciliorum Canon proferri poteſt, quo ejuſmodi immutatio facta fuiſſe doceatur.

Dices II. poſt Blondellum lib. de Epiſcopis, pag. CCXIII. *Manûs impoſitio* in Græcorum cæterorumque Orientalium praxi, nec eſt, nec unquam fuit. Concilium Laodic. Cyrillus Hieroſolym. Theodoretus ſolius *olei* ſeu unctionis mentionem faciunt, quibus etiam Euchologia concinunt.

Reſpondeo, Firmilianum Græcum fuiſſe, qui tamen Epiſt. citatâ ad Cyprianum ſcribit. *Et ſic eis* MANUS IMPOSUIT, *ut acciperent Spiritum ſanctum.* Et antea. *Quandò omnis poteſtas & gratia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi,* & MANUM IMPONENDI, *& ordinandi poſſident poteſtatem. Hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec* MANUM IMPONERE, *ita nec baptizare.* Blondellum namque falli oſtendimus exponentem voces iſtas (manum imponendi) de reconciliatione Pœnitentium, ejuſdem libri pag. XLIV. Chryſoſtomus Græcus fuit, & ejuſdem *manûs impoſitionis* meminit in caput XIX. Actorum & in cap. VI. Epiſt. ad Heb. Theodoretus Græcus fuit, & ad eundem locum ſcribit. *Per* MANUUM SACERDOTALEM IMPOSITIONEM *Spiritûs gratiam accipiunt.* Gennadius Conſtantinopolitanus Græcus fuit, qui tamen apud Oecumenium in eadem Apoſtoli verba habet. *Meritò ipſos primùm adhortantes, ut à mortiferis operibus reſipiſcant, reſipiſcentes autem in Deum credant, credentes verò baptizentur, baptizati autem ſe ipſos ſubjiciant* IMPOSITIONI MANUUM *Sacerdotum ad participationem Spiritus.* Et infrà. *Neque enim licitum eſt, ut ſi ſegniter vivas, rurſum baptizeris, & per* MANUUM IMPOSITIONEM *accipias Spiritus ſancti ſuperventionem.* Eulogius Alexandrinus Græcus erat, qui tamen lib. II. contra Novat. apud Photium in Bibliotheca ſic loquitur. *Deinde progreſſione facta dignos reddi adventu ſancti Spiritus, qui per* IMPOSITIONEM MANUUM *Apoſtolorum fiebat.* Et infrà ad verba cap. VI. Heb. *Non poteſtis fundamentum fidei iterum recipere, nec Baptiſma, neque* MANUUM IMPOSITIONEM. Photius Conſtantinopolitanus Græcus erat, & explicuit apud eundem Oecumenium Confirmationem *per manuum impoſitionem.* Græcus erat Oecumenius, & ad eadem verba Apoſtoli ſcribebat. *Vocavi quidem principium Baptiſma & manuum impoſitionem ac*

ſignaculum quæ in eo ſunt. Græcus erat Simeon Theſſalonicenſis, & ita loquebatur lib. de Templo. *Per* MANUUM IMPOSITIONEM *& inſufflationem unguenti gratiam impartitur.* Et lib. de Sacramentis ſeptem, ubi de Confirmatione, ferè à principio operis. *A Philippo baptiʒati, tanquam qui ſolum Baptiſma ſuſcepiſſent, Petro ac Joanne* IMPONENTIBUS MANUS *Spiritum ſanctum accipiebant. Quod ſanè hoc Sacramentum eſt: ſiquidem* IMPOSITIO MANUUM *unguentum præbebat, ut & in Apoſtolis factum eſt, ac per ipſos multis aliis.* Quòd autem nihil de manus impoſitione legatur expreſsè in Euchologiis, non moror. Nam cùm legatur in illis *oratio* fundenda ſuper confirmandos, ſubintelligitur *manûs impoſitio*, quæ, ut loquitur Auguſtinus, nihil eſt niſi *oratio ſuper hominem.* Si nihil haberemus præter Euchologia, quibus inſtrueremur de ritu veteris Eccleſiæ Orientalis, fortè valeret argumentum: ſed inane penitus efficitur per ſubjecta teſtimonia Firmiliani qui III. ſæculo, Chryſoſtomi qui IV. Theodoreti & Gennadii qui V. Eulogii Alexandrini qui VI. Photii qui IX. Oecumenii qui XI. ac denique Simonis Theſſalonicenſis qui vixit XII. At inquies, etiamnum hodie Græci in eo ritu perſeverant ſine ulla manuum impoſitione. Dico ſi in ea praxi nunc verſantur, eſſe quòd illis meritò opponatur, non modò Eccleſiæ Latinæ, ſed etiam veteris Eccleſiæ Orientalis conſuetudo contraria, quæ adhuc ſæculo XII. perſeverabat. Sed, ut dixi, Euchologia etiam quibus nunc utuntur, habent orationem ſuper confirmandum quâ advocatur & invitatur Spiritus ſanctus, & hæc funditur manus imponendo ſuper illum.

Secunda propoſitio. Manûs impoſitio eſſentialis materia Confirmationis, non eſt ipſa *inunctio manu Epiſcopali facta in fronte*, quæ ſic nuncupetur eo quòd manu fiat. Eſt contra Hugonem, Valdenſem, Bellarminum, Iſambertum locis recenſitis ſuprà, & pleroſque alios recentiores. Probatur I. Quia & prioribus, & mediis, & poſtremis Eccleſiæ ſæculis, manûs impoſitio habita fuit tanquam aliquid diſtinctum ab unctione in Confirmatione, ut conſtat ex Tertulliano, Cypriano & aliis veteribus; ut etiam liquet ex ordine Romano, cæteriſque authoribus IX. ſæculi; ac denique ut conſpicuum evadit ex praxi Eccleſiæ præſentis, qua impoſitio manuum præmittitur unctioni. Neque enim moror Dallæum

obſervantem lib. II. c. VI. In Pontificali Romano haberi: *Tùm* EXTENSIS *versùs confirmandos* MANIBUS; & non haberi: *Tùm* IMPOSITIS *ſuper confirmandos* MANIBUS: quæ duo contendit ibi valdè diſtingui: *cùm extendere manum* ſuper aliquem non ſit *manuum imponere* ſuper illum; & ſi id eſſet, hoc tamen minimè dicendum foret de extenſione manus versùs confirmandum. Quam obſervationem Dallæus acceperat à Blondello lib. de Epiſcopis pag. CCXIV. ſcribente, quòd *olim* ELEVABATUR ET IMPONEBATUR MANUS *ſuper capita confirmandorum, ex ordine Romano, c. de Sabbato ſancto. In Sacramentario Gregorii manus* LEVATA *non* IMPOSITA *ſuper capita eorum. In Pontificali Romano, utroque antiquato ritu, manus* EXTENSA, *non* LEVATA, *non* IMPOSITA. *Tunc, ibi legitur, extenſis versùs confirmandos manibus: quod antiquitatis totius authoritate caret.* Non, inquam, iſta moror. Nam idem planè ſignificatur tribus iſtis loquendi formulis, ſcilicet ritus externus, ſeu cæremonia manu facta, qua qui utitur, ſignificat ſe orare, benedicere, bene precari pro eo quem manu deſignat. Quia, ut ait S. Auguſt. l. III. de Baptiſmo c. XVI. toties laudato. *Quid enim eſt aliud manûs impoſitio, quàm oratio ſuper hominem?* Juvat hìc audire Zonaram ad Can. I. Apoſt. de manûs impoſitione Ordinationis loquentem. *Nunc quidem,* inquit, CHIROTONIA *vocatur abſolutio precum, ſanctique Spiritus invocatio, dum Sacerdotio quis initiatur, & conſecrationem ſortitur: ex eo dicta, quòd Pontifex* EXTENDAT *manum benedicens homini ad ſacra deligendo. Sed ipſum ſuffragium quondam nominatum eſt* CHIROTONIA. *Nam cùm turbæ liceret in urbibus eligere ſacrorum Præfectos, conveniebat ipſa turba, & alii quidem hunc, alii verò deligebant illum. Quatenus autem plurium ſuffragium vinceret, eligentes ferunt ſolitos* EXTENDERE *manus: & per manus ita* PORRECTAS *numerabantur, qui vel hunc vel illum delegiſſent. Plurium verò calculis electum ſummo Sacerdotio præfecere. Chirotoniæ nomen hinc deſumptum, &c.* Quo ex loco intelligitur manûs impoſitionem, manus elevationem, manus extenſionem idem penitus eſſe. Et certè vox Græca ſignificat manûs extenſionem. Nam, ut Zonaras ibi obſervat, χειροτονία dicitur ἀπὸ τοῦ τείνειν χεῖρας, quod eſt, tendere ſeu extendere. Et apud ipſos profanos authores ſuffragium dicitur χειροτονία, quòd antiquitùs ſuffragia manûs elevatione, ſeu in altum extenſione & porrectione ferrentur apud Græ-

cos. Sic manûs impoſitio, manûs elevatio, manûs extenſio unam eandemque rem planè ſignificant, & apud ſacros & apud prophanos authores.

II. Unctio baptizati in vertice non eſt *manûs impoſitio*, etſi ea fiat manu Preſbyteri à quo Baptiſmus adminiſtratur. Ergo multo minùs unctio baptizati in fronte manu Epiſcopi facta, manûs impoſitio cenſeri debet.

III. Quilibet contactus manûs non eſt manûs impoſitio. Ergo unctio Epiſcopalis non eſt manûs impoſitio, eo quòd manu fiat. Neque eſt quòd Bellarminus opponat, Marci VII. cùm poſtulaſſent quidam, ut Dominus *manum imponeret* Lunatico, id ab eo factum, tangendo ſcilicet linguam & aures ejus: ex quo effici videtur contactum manûs quemlibet rectiſſimè appellari *manûs impoſitionem*. Nam ſacer quidem contextus habet, quòd adducentes ſurdum hunc & mutum ad Jeſum deprecabantur eum, ut *imponeret* illi MANUS: habet quòd reſtituerit ſanitati ſicut optabant, & per *manûs impoſitionem* futurum eſſe ſibi perſuadebant, eo quòd ſoleret Chriſtus uti *manûs impoſitione* ad miracula per petranda: ſed non habet illum adhibuiſſe hunc ritum *manûs impoſitionis* ad præſtandum id de quo rogabatur. Miſit quidem digitos ſuos in auriculas ejus, expuens etiam tetigit linguam ejus; ſed & apprehendit illum de turba ſeorſum, & ſuſpiciens in cælum ingemuit, & ait: *Epheta, quod eſt, adaperire; ſtatimque*, inquit Scriptura, *apertæ ſunt aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ ejus*. Singulis illis ritibus æque nomen *manûs impoſitionis* dari poteſt, ſive, ut veriùs loquar eorum nulli. Oſtendit imò Chriſtus virtutem ſuam non eſſe alligatam ritui *manûs impoſitionis*, ſibique liberum eſſe pro nutu ſuo quæ voluerit ſymbola adhibere, qui omnia ſolo nutu & abſque ſymbolis præſtare poterat. Sanando Lunaticum miſſis in aurem digitis, & ſputo linguâ adſperſâ noſtræ conſuluit utilitati, erudiens nos à Chriſto loquelam & auditum precariò habere, quatenus virtutem ſuam linguis auribuſque noſtris inſpirat.

Quæres I. An *utraque* manus imponenda ſit, vel altera ſufficiat?

Reſpondeo videri ſufficere ſi *altera* imponitur. Probatur, quia veteres utuntur promiſcuè numero *ſingulari* vel *plurali*. Et *ſingularem* quidem numerum adhibent, Tertull. lib. de

Baptiſmo, & de Reſurrect. carnis, Cyprianus Epiſt. LXXIII. Concil. Eliberit. c. XXXVIII. Hieronymus Dialogo adversùs Luciferanos. Auguſtinus lib. XV. de Trinit. c. XXVI. & lib. III. de Bapt. cap. XVI. Hilarius Arelat. Homiliâ de Pentecoſte. Gregorius lib. de Sacrament. Iſidorus lib. VI. Originum c. ultimo. Zacharias Epiſt. XI. Ordo Romanus, Sabbato ſancto. Jeſſe Ambian. Epiſt. de Baptiſmo. Magnus Senon. Epiſt. ad Carolum Magnum. Amalarius Fortunatus lib. I. de Officiis c. XXVII. Rabanus Maurus l. I. de Inſtit. Clericorum c. XXX. Author lib. de divinis Officiis c. XIX. Vita Sancti Ludgeri. Ivo Carnotenſis Serm. de Excellentia ſacrorum Ordinum. Rupertus lib. III. de Operibus Spiritus ſancti c. X. Petrus Lombardus ad c. VI. Epiſt. ad Hebræos, Robertus Pullus p. V. c. XXIII. Quibus adde Epiſtolas, quæ dicuntur Urbani, Euſebii, Melchiadis, Damaſi, & Joannis III. ut & Innocentium III. Eugenium IV. Synodum Moguntinam. Unde colligere eſt, quòd cùm illi ipſi vel alii locuti ſunt in *plurali*; vel reſpexerunt ad *multitudinem* Miniſtrorum, vel *plurale* pro *ſingulari* uſurpaverunt. Sed & Actor. VIII. *pluralis* & *ſingularis* numerus habentur. *Tunc* IMPONEBANT MANUS *ſuper illos & accipiebant Spiritum ſanctum. Cùm vidiſſet autem Simon, quia per* IMPOSITIONEM MANÛS *Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus.* Et c. XIX. poſtquam Lucas ſcripſiſſet: *Cùm* IMPOSUISSET *illis* MANUS *Paulus.* Paulò poſt ſcripſit: *Virtuteſque non modicas quaſlibet faciebat Deus per* MANUM PAULI. Imò & in Evangelio pluralis ita numerus uſurpatur, ut quandoque ſingularis commemoretur: quemadmodum patet ex Matth. IX. Marci V. & VII. ubi de ritu illo qui frequenter Chriſto Domino erat in uſu.

Quæres II. *Dextrane* ſit imponenda neceſſariò, an poſſit etiam imponi *ſiniſtra?*

Reſpondeo, veteres alteram non excluſiſſe: quare alterutra ſufficit: & cùm frequenter uſurpaverint numerum pluralem, ubi de unico Miniſtro agebant; unde conſequens eſt utramque ſimul adhiberi poſſe; cauſæ nihil occurrit, cur ſiniſtra ſola non adhibeatur ſicut adhibetur ſola dextera.

Quæres III. Quare ritus *manûs impoſitionis* aſſumatur in Confirmatione.

Reſpondeo, aſſumi 1°, ut ſignificetur deſcenſus Spiritus ſancti, per quem anima hominis illuminatur. *Caro*

manûs impositione adumbratur, inquit Tertullianus, *ut & anima illuminetur.* Proprium quippe est Spiritus sancti obumbrare sua virtute. Unde illud Angeli ad B. Virginem Luc. I. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* II. ut exprimatur hominem in Confirmatione recipere virtutem Dei, quâ protegitur atque firmatur adversùs hostes fidei.

Objicit I. Dallæus lib. 1°. c. ultimo contra doctrinam præsentis articuli. *Neque in Baptismi neque in Eucharistiæ Sacramentis Ministrorum vel manus, vel aliquod aliud membrum materiæ vicem tenet, sed elementum extra Ministri personam aliunde assumptum. Ergo det Confirmationis eadem ratio esse debet, si modo Sacramentum sit novæ Legis.*

Respondeo, in his quæ sunt institutionis Christi non licet argumentari à simili, quando quidem tota ratio institutionis dependet à voluntate instituentis. Quòd autem Christus voluerit *manûs impositionem* habere rationem materiæ in Sacramento Confirmationis, docent nos Scripturæ, docent Concilia, docent Patres, docet denique traditio universa.

Objicit II. Ritus pluribus communis materia Sacramenti esse nequit: hinc enim Sacramenta quæ constat à Christo esse instituta, Baptismus videlicet ac Eucharistia suam singulam propriam habent materiam. Sed ritus *manuum impositionis* est pluribus communis. Per hanc quippe reddebantur ægri sanitati, reconciliantur pœnitentes Ecclesiæ, Ministri consecrantur.

Respondeo, negando majorem. Sicut enim in Physicis communis materia, sic in moralibus communem esse nihil vetat. Sufficit Sacramenta distingui inter se per formam & per effectus: addo, si lubet, etiam per Ministros.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm unctio sit materia proxima Sacramenti Confirmationis?

PRÆMITTO materiam Sacramenti esse duplicem *remotam & proximam*, utraque est *essentialis* vel *integralis.* Si unctio sit materia Confirmationis, proximam eam esse ne-

cesse est. Sed an sit essentialis vel integralis? Si sit *essentialis* est ex Christi *institutione*, mediatè vel immediatè. Si sit integralis est ab Ecclesia.

Anteaquam verò progrediar ulteriùs, operæ pretium esse puto observare inprimis quæstionem hanc, si ad Hæreticos nostros respiciamus, esse de earum numero quas Augustinus (in alio licèt fidei argumento) *incidentes*, Cœlestinus Papa *incurrentes* appellavit, hoc est, de quibus quicquid pronuncietur, stat dogma Catholicum, & hæresis opposita profligatur. Dogma est, quòd Confirmatio sit Sacramentum novæ Legis distinctum à Baptismate. Hæretici dicunt: Confirmatio non est Sacramentum; quia materia Sacramenti est ex institutione Christi; & unctio non est ex institutione Christi, quæ tamen habetur loco materiæ. Dicimus verò nos, quòd, quicquid tandem illi sentiendum esse velint de unctione, Confirmatio censeri debet Sacramentum. Nam si supponant unctionem esse materiam essentialem, certè non aliâ de causâ, nisi quia producit gratiam: nihil vero in genere instrumenti potest esse productivum gratiæ sanctificantis, nisi quia Christus ita instituit mediatè saltem, si non immediatè. Quòd si placuerit eisdem unctionem esse ex institutione pura Ecclesiæ, non erit materia essentialis Confirmationis, neque per se productiva gratiæ, sed solùm per accidens ratione manûs impositionis cui adjungitur.

Observa II. Nihil extare in Scripturis expressum de unctione confirmatoria. Rem hanc perspicuam esse in traditione; atque ita, ut qui primi ejusdem meminisse leguntur, non significaverint eam esse ritum suo tempore introductum, aut esse duntaxat humanæ institutionis: quod manifestius longè est ex Tertulliano, Cypriano, cæterisque laudatis operibus, quàm ut probatione indigeat. Quare Blondellus lib. de Episcopis pag. ccxv. immeritò pronunciavit, nullo primitivæ Ecclesiæ exemplo commendatam Chrismationem; eadem libertate usurpatam primùm & retentam, imò duplicatam, quâ ritus *manûs impositionis abolitus*, cujus selecta aliquot extabant in sacra novi Testamenti historia, scilicet in Actis Apostolorum & Hebræorum IV.

Sirmondus Anthirretici II. c. IV. & sequentibus contendit, *Chrismationis* Neophytorum, & *impositionis manuum* triplicem esse in Ecclesia varietatem per diversas ætates: quarum

1ª, quæ *ad usque tempora Constantini* pervenit, *Chrismationem* sic adjunctam habebat *manûs impositioni*, ut ab ea tamen *distingueretur*, eamque *anteiret*, utrumque munus primis illis sæculis obeunte solo Episcopo. IIª, Chrismationem ita sejunctam habebat non re ipsa tantùm, sed *temporis* quoque *intervallo* ab *impositione manuum*, ut illa seorsim unà cum Baptismo perageretur ab ejus Ministro, seu ille esset Presbyter seu Diaconus; & manum postea confirmans Episcopus imponeret. III. denique, quâ Chrismatio rursus tempore *manûs impositioni* conjuncta est, hoc tamen discrimine quòd recepta in usum duplici Chrismatione, cum unica olim esset, frontis unctionem, quæ vera & propria est consignatio, Confirmationi seu manus impositioni adhærere placuit, alteram verticis in Baptismi ritibus observandam relinqui.

Iª sit propositio. Rectè Sirmondus observat *prima illa ætate* conjungi solitam *unctionem impositioni manuum*. Probatur, quia veteres istorum sæculorum Scriptores ea conjungunt.

II. propositio. Sirmondus non rectè probat solitam prima illa ætate Chrismatis *unctionem* ante *manuum impositionem* peragi, & hanc illi confestim succedere, authoritate Tertulliani lib. de Baptismo, Optati lib. IV. & Cornelii Romani Epistolâ ad Fabium Antiochenum. Probatur de Tertulliano: quia etiamsi verbis istis: *Egressi de lavacro perungimur benedicta unctione*; & postea: *Dehinc manus imponitur per benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum*; significetur, quòd eo tempore Confirmatio continenter post Baptismum administrabatur in Ecclesia Carthaginensi, & quòd ipsa *Chrismatio* anteibat *manûs impositionem*: non significatur tamen, quòd si per alium ab Episcopo baptizari contingeret, unctio non fieret in Baptismate, posteaque manus imponeretur ab Episcopo absque ulla unctione. De Optato probatur, quia authoritas ejus non est ad institutum. *Suppar fuit Constantino*; scripsit enim teste Hieronymo, *sub Valentiniano & Valentino*, hoc est, circa annum CCCLXX. *Cornelius* denique meminit solius *Chrismationis* & de *manûs impositione* omnino conticuit.

III. propositio. Quando per ea tempora Baptismus peragebatur sine Confirmatione, Episcopus qui baptizatum à Presbytero confirmabat, *manûs* adhibebat *impositionem*, & postea *Chrismate* perungebat. Probatur ex Cypriano Epist. ad Jubaïanum.

baïanum. *Quod nunc quoque*, inquit, *apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, &* MANÛS IMPOSITIONEM *Spiritum sanctum consequantur, &* SIGNACULO *Dominico consummentur.*

IV. propositio. Secundâ illâ ætate, quam Sirmondus designat, sejuncta non fuit re ipsa & tempore *Chrismatio* à *manûs impositione*, quam *Chrismationem* Presbyteri & Diaconi inter baptizandum facerent, reservatâ soli Episcopo *manûs impositione.* Probatur: quia authores ejus ætatis attribuunt effectum Confirmationis ipsi *Chrismationi*: quod nulla ratione potuit ab illis pronunciari, sejuncta si fuerit etiam tempore à *manûs impositione* confirmatoria. Ita inprimis Concilium Laodic. can. XLVIII. Optatus lib. IV. quem pro sua sententia de prima ætate Sirmondus attulerat. Is enim si eo loci scripserit hæc duo esse conjuncta tempore, noster est: sin minus, extra propositum à Sirmondo laudatus est. Cæterùm author ille satis superque declarat duo ista conjuncta esse tempore, scribens *unctionem* spiritualem præfiguratam fuisse per descensum columbæ in Christi Baptismate, & antè *manûs impositionem* præfiguratam per vocem Patris dicentis: *Hic est Filius &c.* & iterum quando lib. VII. attribuit *Chrismati* effectum Confirmationis, scribens in illo esse *suavitatem, qua cutem conscientiæ mollit, exclusa duritie peccatorum: qua animum innovat lenem: quæ sedem Spiritui sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur*: & rursum quando Confirmationem appellat inunctionem. *Rebaptizastis, iterum* UNXISTIS. Cyrillus Hierosolym. Catech. III. Mystagog. CHRISTI *facti estis posteaquam sancti Spiritus imaginem recepistis.* Et postea. *Datum est* CHRISMA, *quod imaginem gerit illius, quo unctus est Christus: hoc autem est Spiritus sanctus.* Et adhuc. *Vos verò* UNCTI *estis* UNGUENTO, *facti participes & consortes Christi.* Et iterum. *Corpus quidem isto visibili* UNGUENTO *perungitur, anima verò sancto vivificoque Spiritu sanctificatur.* Pacianus non modò Epistolâ primâ, in qua Confirmationem appellat *Chrisma*, sicut appellat Baptisma *lavacrum*: sed etiam Sermone de Baptismo, his verbis: CHRISMATE *sanctus Spiritus superfunditur.* Ambrosius lib. de Salomone c. III. *Daturus Spiritum sanctum per* CHRISMATIS INUNCTIONEM. Author librorum de Sacramentis lib. III. cap. I. *Spiritale* SIGNACULUM, *ut perfectio fiat, quando ad invocatio-*

nem Sacerdotis Spiritus ſanctus ſuperfunditur. Prudentius Pſycomachiæ ſect. VI.

> *Poſt inſcripta oleo fronti ſignacula, per quæ*
> *Unguentum regale datum eſt, & Chriſma perenne.*

Et rurſum alio loco.

> *Te Chriſmate innotatum.*

Auguſtinus lib. v. de Baptiſmo c. XX. *Quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptiſmi, vel ſuper* OLEUM, *vel ſuper Euchariſtiam?* Lib. II. contra litteras Petiliani c. IV. *In hoc* UNGUENTO *Sacramentum* CHRISMATIS *vultis interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus.* Tractatu 1°. in Joan. *Unctio ſpiritalis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cujus ſacramentum eſt in* UNCTIONE VISIBILI. Sermone de Cataclyſmo c. I. *Baptizatus es, ſignatus es regio charactere, cœpiſti conſequi annonam de menſa Domini tui.* Et cap. II. UNCTUS ES OLEO. His adde Serm. v. & XI. in appendice, & authorem lib. de Eccl. Hierarchia.

Probatur etiam ex Innocentio I. Epiſt. ad Decentium ita ſcribente: *Nam Presbyteris Chriſmate baptizatos ungere licet, non tamen* FRONTEM *ex eodem* OLEO *ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum Paracletum.* Quibus verbis ſummus ille Pontifex diſtinguit Chriſmationem Baptiſmalem à confirmatoria, quæ neceſſariò adjuncta eſt manuum impoſitioni. Neque verò de eo tanquam de re nova loquitur, ſed tanquam de re ſuperioribus ſæculis uſu recepta in Eccleſia Romana, quod ſequentia iſta verba ſignificant: *Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, ut vel* CONSIGNENT, *vel Paracletum Spiritum tradant, non ſolùm* CONSUETUDO ECCLESIASTICA *demonſtrat &c.*

Dices. B. Hieronymum Dialogo adversùs Luciferianos docere, Eccleſiarum ſui temporis fuiſſe conſuetudinem, ut Preſbyteri & Diaconi baptizando chriſmarent, quod ſignificant hæc verba: *Inde venit, ut ſinè* CHRISMATE *& Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi.* Et ut ſic baptizati atque inuncti poſtea per manus Epiſco-

palis impositionem confirmarentur : quod exponit in hunc modum. *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati sunt, Episcopus ad invitationem sancti Spiritus* MANUM IMPOSITURUS *excurrat.* Ergo inunctio à manûs impositione per ea tempora sejungebatur.

Respondeo, sejungebatur unctio *verticalis* à *manûs impositione* confirmatoria, non sejungebatur unctio in *fronte*. Innocentii locus mox propositus responsionem istam confirmat. Hieronymus non negat, etiamsi non meminerit ibi expresse *Chrismationis* in fronte : sicut non negant *impositionem manuum* esse necessariam in Confirmatione, qui *Chrismatis* mentionem faciunt, *manûs impositionis* expressa commemoratione non facta.

V. propositio. A temporibus Innocentii I. *unctio* semper adhibita fuit in Confirmatione. Ita Sirmondus de tertia sua ætate (quam tamen ætatem non dicit inchoari in Innocentio primo) consentiens in eo cum omnibus Theologis. Probatur nostra propositio percurrendo sæcula.

Habemus quippe V° sæculo præter recensitos, Theodoretum lib. IV. in Cantica. *Recipientes gratiam invisibilem sanctissimi Spiritus* UNGUENTO *tanquam in typo.* Et lib. III. Hæreticarum fabul. de Novat. *Iis qui ab ipsis tinguntur sacrum Chrisma non præbent.* Cyrillum Alexand. loco citato in Joëlem. Leonem Magnum Sermone IV. de Nativitate Domini : *Permanete stabiles in ea fide, quam confessi estis coram multis testibus, & in qua renati per aquam & Spiritum sanctum accepistis* CHRISMA *salutis & signaculum vitæ æternæ.*

VI. sæculo S. Remigium Remensem in Testamento suo apud Flodoardum lib. I. c. XVIII. Gregorium Turonensem lib. II. Histor. c. XXXI. ubi de Baptismo Clodovæi. *Baptizatus est*, inquit, *delibutusque sacro* CHRISMATE, *cum signaculo crucis Christi.* Job Monachum lib. III. de Verbo Incarnato. Gregorium Magnum lib. Sacrament.

VII. sæculo Conc. Hispal. II. c. VII. Tolet. IV. c. LVI. & Isidorum Hispalensem lib. VI. Originum c. ultimo.

VIII. sæculo Bedam in Psalmum XXVI. in cap. XXII. Lucæ in c. VIII. Actuum Apostol. & in I. Cantic. Gregor. III. Epist. VII.

IX. sæculo Joannem VIII. Epist. CCXXXII. & CCXXXIII.

Ordinem Romanum, Jesse Ambian. Theodulfum Aurel. Amalarium, Rabbanum Maurum, Ratramnum, Jonam Aurelianensem, authorem lib. de divinis Officiis, Aponium.

X. sæculo vitam S. Ludgeri, & acta Concilii Romani sub Joanne IX. anno MIV. ubi declaratur Sacramentum Confirmationis à Formoso celebratum esse ratum atque legitimum his verbis: *Consignationes autem sacri* CHRISMATIS *&* OLEI *vel quæque pro statu Ecclesiæ gessit, firma & immutilata ut omni tempore permaneant, Apostolica authoritate sancimus.*

XI. sæculo Petrum Damiani, Simonem Thessalonic.

XII. Gofridum Vindocin. Honorium Augustod. Rupertum, Hugonem à Sancto Victore, Petrum Lombardum.

De sequentibus sæculis res notior est, quàm ut necesse sit authores recensere, vel testes proferre.

VI. propositio. Probabilius est, quòd unctio non *sit materia* essentialis Sacramenti Confirmationis, sed integralis duntaxat. Ita Petrus Aureolus in IV. dist. VII. q. I. ubi præmisso, quòd duæ sunt opiniones, altera affirmans unctionem seu Chrisma esse materiam Confirmationis, & altera negans, subjicit. *Videtur mihi, quòd istæ duæ opiniones possent faciliter reduci ad concordiam: propte quod distinguo de hoc quod est esse* DE ESSENTIA. *Aliquid enim potest esse dupliciter de* SUBSTANTIA *alterius. Uno modo de* NECESSITATE INTRINSECE, *quo corrupto aliud necesse est corrumpi. Alio modo,* QUOAD BENE ESSE, *quo corrupto non necesse est totum corrumpi, licet removeat imperfectum. 1° modo, cor est de essentia hominis.* II. *modo, manus. Tunc dico ad propositum, quòd de essentia Sacramenti Confirmationis primo modo sunt tactus & prolatio aliqua verborum. Est enim necessaria verborum prolatio: quia secundùm Dionysium* IV. *c. de Ecclesiastica Hierarchia, Apostoli quando confirmabant, certis verbis utebantur: & necessarius est tactus, qui antiquitus dicebatur manuum impositio ratione significationis: significat enim effectum quod efficit Sacramentum, scilicet robur ad defendendam fidem Christi.* SED CHRISMA EST DE SUBSTANTIA HUJUS SACRAMENTI TANTÙM SECUNDO MODO, SICUT MANUS EST DE SUBSTANTIA HOMINIS. *Nam sicut homo carens manu est quidem homo, non tamen integer: sic in Confirmatione si non adhibeatur Chrisma, est quidem Sacramentum, non tamen integrum: ideo ad integritatem Sacramenti oportet quòd suppleatur Chrisma.* Concinit Sirmondus Antirrhetico II. p. I. cap. ult. non solum

illud idem adſtruendo tanquam conſectarium ex ſua ſententia de Confirmatione per ſolam *manûs impoſitionem* adminiſtrata à temporibus Conſtantini ad Innocentii I. Pontificatum; ſed etiam ſubjungendo, ex hac ſententia *damni vel incommodi nihil ad Scholam Theologicam pertinere, imò permulta in Scholis eluceſcere, quæ alioquin obſcura & tenebris obſita viderentur.* In eadem eſt ſententia Vabrenſis Epiſcopus illuſtriſſimus Habertus, notis ſuis ad Euchologium Græcorum.

Probatur quòd *unctio* non ſit materia *eſſentialis* Confirmationis. 1. Quia nihil nos cogit iſtud admittere. Non *Scriptura*; apud quam ne verbum quidem illius. Non *Traditio*: quia hæc ſolummodo nos docet unctionem ſemper uſurpatam, ex quo Chriſmari ab Eccleſia Neophyti cœperunt; ſed ea minimè docet, quo tempore inungi cœperint. Poteſt admitti tanquam neceſſaria neceſſitate præcepti divini vel Eccleſiaſtici, & non admitti tanquam materia Sacramenti eſſentialis. Non cogit *Decretum Eugenii* IV. de unione Armenorum: tum quia non diſtinguit inter materiam eſſentialem & integrantem ſeu accidentalem, aitque ſolum: *Cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo & balſamo per Epiſcopum benedictum.* Quibus ex verbis inferri nequit materia eſſentialis Confirmationis, niſi pari jure ſtatuatur quòd admixtio balſami & benedictio Chriſmatis eſſentialiter requiruntur ad illam: & tamen plerique Theologi propugnant hæc duo non eſſe de neceſſitate Sacramenti. Tum etiam quia Eugenius pronunciavit ibi de materia Confirmationis eodem modo, quo inferiùs de materia Ordinis, quam declaravit eſſe *porrectionem inſtrumentorum.* Hæc verò non eſt materia eſſentialis Ordinationis, ſecundùm plures Theologos, qui etiam poſt Eugenii tempora floruerunt, quoſque relaturi ſumus diſput. ſeq. art. 1. Non cogit *Concilium Tridentinum*: quia ſeſſ. VII. Can. II. anathema ait *dicentibus duntaxat injurios eſſe Spiritui ſancto, qui ſacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt.* Illi autem qui virtutem aliquam Chriſmati tribuunt, Theologi ſunt, quibus placet Chriſma eſſe materiam eſſentialem Confirmationis. Quare Concilium definit tantùm eos non eſſe injurios Spiritui ſancto, qui exiſtimant Chriſma eſſe materiam Confirmationis. Non cogit denique *multitudo Theologorum*, quibus videtur eſſe de fide quòd Chriſma ſit materia Confirmationis, aut ſaltem contrarium eſſe erro-

neum. Quia tanti eſt eorum opinio quantùm valent fundamenta quibus innititur. Hæc vel incerta ſunt & dubiæ fidei, vel falſa : tales ſunt Epiſtolæ *Fabiani* & *Melchiadis* : vel falſum ſupponentia, quale eſt illud quod deducitur ex Eugenii IV. Decreto ; quatenus ſupponitur, quòd quicquid continetur in illo, ſpectat ad fidem, & quòd ibi definitur Chriſma eſſe materiam eſſentialem Confirmationis : vel nihil faciunt ad inſtitutam quæſtionem, qualis eſt authoritas *Concilii Trid.* quod revera ne attingit quidem controverſiam : vel denique teſtimonium libri de Eccleſiaſtica Hierarchia, quod non eſt ejus authoritatis ut aliquid de fide poſſit efficere. Uno verbo, ut aliquid ſit *de fide*, debet eſſe clarè & apertè expreſſum *in Scripturis*, vel definitum *in Concilio Oecumenico*, vel *univerſali traditione* propoſitum atque traditum tanquam res fidei. Sed nihil tale de Chriſmate poteſt dici. Ut contrarium ſit *erroneum*, debet inferri per conſequentiam neceſſariam ex oppoſito propoſitionis de fide. Sed nihil tale inferri poteſt. Accedit & aliud, videlicet, quòd ſi licuit Caïetano & Soto contra communem ſententiam Theologorum ſui temporis ſuſtinere balſamum non eſſe de neceſſitate Sacramenti : *Quia*, inquiebat Soto in IV. diſt. VII. art. II. *contrarium non eſt hactenus ab Eccleſia tanquam Catholicum definitum* ; licebit pari ratione ſuſtinere Chriſma non eſſe de neceſſitate Sacramenti Confirmationis.

Probatur II. ex Conc. Moguntino anni M. DLXIX. quod c. XVII. ſic loquitur. *Hoc Sacramentum ab initio ſola manûs impoſitione exhibitum, mox ſub ipſis temporibus* APOSTOLORUM, *& ex eorundem* TRADITIONE, *adhibita* CHRISMATIS UNCTIONE *cœpit conferri.* Si ſola manùs impoſitione collatum fuit ab initio : ergo quidquid huic adjunctum fuit, revocari par eſt ad materiam integralem, non ad eſſentialem. Et confirmatur ex Conc. Hiſpalenſi c. VII. quod *manuum impoſitionem* per quam fideli baptizato datur Spiritus ſanctus à *Chriſmatione* in fronte longè antè diſtinxerat.

Probatur III. Materiæ eſſentiali Sacramenti ſua forma debet ſemper conſentire atque congruere. Atqui obtinuit per multum temporis in Romana Eccleſia, ut fideles ungerentur in Confirmatione, & forma nulla conſentiens unctioni pronunciaretur. In lib. Sacrament. S. Gregorii : *Pontifex ſignat frontem* CHRISMATE, *& ſignando pronunciare nihil planè*

legitur. In Ordine Romano Episcopus signando invocat tantummodo sanctissimam Trinitatem dicendo : *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* ; sicut ex Amalario planum est. Ex libro qui nomine Alcuini circumfertur , *de divinis Officiis*, idem pronunciari solitum fuisse constat. Unde sequitur VI. VII. & VIII. sæculo usurpatam minimè fuisse formam consentientem unctioni. Nam forma Sacramenti consistit in verbis, quæ nulla leguntur in lib. Sacram. S. Gregorii : & verba quæ habent rationem formæ Sacramenti Confirmationis, debent esse alia ab invocatione nuda & simplici personarum sanctissimæ Trinitatis.

Probatur IV. Qui materiam omnem essentialem Confirmationis in sola *Chrismatione* statuunt, vix probabunt Calvinistis & Lutheranis Confirmationem esse Sacramentum novæ Legis : quod invictissimè concludunt ex Actis Apostolorum quotquot in eam partem concessere , quæ in *manuum impositione* unica positam esse contendit. Sirmondus loco citato : *Laborant* , inquit , *in explicanda Confirmationis origine Theologi si Chrisma secernas , & hanc in* MANUUM IMPOSITIONE *colloces , quin à Christo didicerint Apostoli, nulla erit dubitatio, nec opus erit Sacramenti, quod totum divinæ authoritati debetur, partem aliquam ab Ecclesia institutam augurari.*

Probatur V. Materia Sacramenti essentialis eadem est specie in utraque Ecclesia. Sed *unctio* quam *Orientales* adhibent, distinguitur specie ab unctione *Occidentalium* Ecclesiarum. Nam *Græci* componunt unguentum suum ex XXXV. *speciebus aromatum* seu fragrantium herbarum cum *oleo* & *vini* non modica quantitate, iisque omnibus simul *concoctis* : *Occidentales* verò suum componunt ex *oleo* & *balsamo* , iisque *non decoctis*.

Posterior pars nostræ propositionis , qua contendo *unctionem* esse materiam integralem Confirmationis , ostenditur. I. Eugenius IV. in decreto *unionis Armenorum* , ait esse *materiam* : & ex mox dictis, non est *essentialis*. Ergo est integralis. II. signum sensibile significans expressius effectum Sacramenti, in quo usurpatur ubique & perpetuò , est materia integralis , si non *sit essentialis*. Atqui unctio est signum sensibile significans expressius gratiam Spiritus sancti, & usurpatur in Confirmatione ubique ac perpetuò, nec est illius materia *essentialis*. III. signum sensibile in Sacra-

mento, cui effectus Sacramenti tribuitur, & sinè quo est Sacramentum, est materia *integralis* illius. Atqui unctio est signum sensibile in Confirmatione, cui effectus illius tribuitur, & sinè quo est Sacramentum.

VII. propositio. Si *Chrismatio* sit de institutione Christi *mediata* vel *immediata*, est materia partialis *essentialis* Sacramenti Confirmationis. Intelligitur propositio ex antecedentibus.

ARTICULUS TERTIUS.

In quo expenditur Canon Concilii primi Arausicani.

QUANDOQUIDEM Sirmondus opponit pro sententia sua Canonem Concilii I. Arausicani celebrati anno CCCCXLI. ex quo putat inferri Confirmationem peractam fuisse temporibus istis sola *manûs impositione*, & absque *Chrismate*, quotiescunque confirmandus in Baptismo Chrismatus fuerat: non erit abs re dicere de famosa, quæ inter ipsum & Aurelium circa eum Canonem controversia emersit.

Canon ille est *primus* ordine in vulgatis editionibus Conciliorum, *secundus* in Codice Tilliano, & apud Sirmondum tomo 1° Conciliorum Galliæ.

Sirmondus Canonem hunc ita legit. *Nullum Ministrorum, qui baptizandi recipit officium, sinè Chrismate usquam debere progredi: quia inter nos placuit* SEMEL *Chrismari. De eo autem qui in Baptismate, quacunque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est. Non ut præjudicans quicquam, sed ut* NON NECESSARIA *habeatur repetita Chrismatio.*

Aurelius legit. *Nullus Ministrorum, qui baptizandi recipit officium sine Chrismate usquam debet progredi: quia inter nos placuit semel in Baptismate Chrismari. De eo autem, qui in Baptismate quacunque necessitate faciente, Chrismatus non fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter nos Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est. Non ut præ udicans quicquam dico, sed ut* NECESSARIA *habeatur Chrismatio repetita.*

Ita

Ita duæ iſtæ lectiones in eo maximè differunt, quòd huic *neceſſaria* Chriſmatio repetita, illi non *neceſſaria*.

Poſtquam *Aurelius* in Vindiciis cenſuræ Facultatis Pariſienſis præmiſiſſet, Canonem hunc, quo *ſpongia* nitebatur, eſſe particularis Synodi, cujus editio ſic obſcura videbatur atque depravata, ut ad diſputationem dogmaticam adhiberi ſinè temeritate non poſſit; obiter ſubjunxit neſcire ſe cur *Sirmondus* antiquam editionem Colonienſem ſequi maluerit contra Frontonem *Ducæum*, qui exploratis diligenter vetuſtis manuſcriptis ultimæ illi parti non adjecerat negationem. Hinc exordium percelebris diſſertationis, quæ inchoata à *correctione* Canonis defecit in *ſenſum*. *Sirmondus* opinionem ſuam *Epiſtolâ ad Aurelium* tutatus eſt, cui Aurelius dedit ediditque reſponſionem. Hanc *Sirmondus* Antirrhetico 1° excepit, cui Aurelius oppoſuit Anhæreticum. Huic Sirmondus Anhæreticum repoſuit alterum, Aurelius Orthodoxum.

Pro *Sirmondo* ſtant Codices aliquot manuſcripti.

Aurelio favent Gratianus, *de Conſecrat.* diſt. IV. c. *nullus*. Editiones *Merliniana* tres, *Biniana* duæ, *Suriana*, *Crabianæ* duæ, ita tamen ut Crabus rejecerit ad marginem particulam negativam, de qua ambigitur. Fortè quia rationem habuit nonnullorum Codicum MSS. quibus hæc intexta conſpiciebatur negatio.

Concertationi alteri circa *ſenſum* Canonis exortæ, longè graviori, occaſionem præbuere verba iſta: *Nam inter nos Chriſmatis nonniſi una benedictio eſt &c. Non ut præjudicans &c.* *Sirmondus* propugnavit Sacramentum Confirmationis fuiſſe olim adminiſtratum ab Epiſcopis tempore Conc. Arauſicani *ſinè Chriſmate*, per ſolam *impoſitionem manuum*: ac præterea Chriſmationem *Baptiſmalem* non diſtingui à *Confirmatoria*: quare & iterari & peragi poſſe à Preſbytero. *Aurelius utrumque*, quantum potuit, acerrimè confutavit.

Dallæo ſi credimus, eruditiſſimi illi viri de nihilo dimicarunt. Nam poſtrema pars non eſt Canonis, ſed aſſuta Canoni. Sic ille lib. III. c. II. ſcribit: *Sed vereor, ne tanta iſtorum* (*Sirmondi* ſcilicet atque *Aurelii*) *lites aërem fruſtra tamdiu verberarint. Omnis enim illa clauſula, quæ ab his verbis incipit.* NAM INTER QUOSLIBET *& de qua tam acriter, tamque pertinaciter inter ſe conflixerunt, omnino videtur* NON ARAUSICANÆ SYNODI *eſſe*, *ſed recentioris alicujus Scrip-*

toris manu Arausicano Canoni ASSUTA. *Blondellus* id antea suspicatus fuerat lib. de Episcopis pag. CXLV. suæque suspicionis momenta proposuerat, quæ & *Dallæus* amplexatus est & iis alia de suo subjunxit haud sanè verisimiliora.

Proponit post *Blondellum Dallæus* inprimis vetustissimum exemplar Concilii Arausicani è Bibliotheca V. C. *Justelli*, in quo Canon controversus desinit in hæc verba: *Quia inter nos placuit semel Chrismari.*

Respondeo. Quid hoc unicum exemplar, si cum benemultis conferatur optimæ notæ Codicibus MSS. quos vidêre *Sirmondus* & *Aurelius*, & cum cæteris etiam, ad quorum fidem *Gratianus*, *Merlinus*, *Surius*, *Crabus* & *Binius* editiones suas adornaverunt? Præstat dicere *Justelli* Codicem complecti *summam* Canonis, non Canonem *integrum*, quàm cæteros omnes Codices respuere tanquam impuros atque laciniosos.

Proponit II. Arelatensis II. (quod celebratum est annis XI. post Arausicanum) Canone XXVII. laudari Canonem controversum, planè ut in *Justelli* Codice, hoc modo. *Nullum Ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sinè Chrismate usquam debere progredi: quia inter nos, juxta Synodi*, (nempe Arausicanæ) *constitutionem, placuit semel Chrismari.*

Respondeo. Quid inde? Quasi verò Synodus posterior non potuerit idem statuere, quod in prima parte Canonis Concilii anterioris definitum fuerat, nihilque pronunciare simile parti ejus posteriori? Vis exemplum non longè petitum? Concilium ipsum Arausicanum c. XXIV. *De non ulteriùs promovendis, qui jam ordinati fuerant incontinentes*, ita decernit. *De his autem qui priùs ordinati hoc ipsum inciderunt, Taurinatis Synodi sequendam esse sententiam, qua jubentur non ulteriùs promoveri.* Et tamen Concilium Taurinense c. VIII. decernit non de iis duntaxat, sed etiam de ordinatis contra interdicta.

Proponit III. *Burchardum* lib. IV. c. LXXIII. & *Ivonem* p. I. c. CCLXVII. qui Canonem ipsi quoque absque illa lacinia exhibent, eumque in illis verbis: *Sacerdos commonebitur:* clausisse videntur.

Respondeo I. quòd *Burchardus* & *Ivo* observaverunt Canonem hunc quem retulerunt esse v^m^ Vasensis Concilii, non Canonem Arausicanum. II. quòd Canon iste conceptus est

aliis verbis, quàm Arausicanus. III. quòd non desinit ibi, ubi Arausicanus. In Codice Justelli ita refertur. NULLUM PRESBYTERORUM *in plebe sibi commissa, sinè Chrismate usquam debere progredi: quia inter nos placuit semel in Baptismate. Quacunque necessitate faciente qui non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdotis perficiatur.* Arausicanus habet: *Nullum* MINISTRORUM; qua voce Diaconi vel significantur, vel saltem includuntur. Iste: PRESBYTERORUM. Arausicanus habet: QUI BAPTIZANDI RECIPIT OFFICIUM. Iste: IN PLEBE SIBI COMMISSA. Arausicanus, secundùm quod extat apud Justellum, quæ lectio genuina *Blondello* atque *Dallæo* videtur, non habet. *Quacunque necessitate faciente qui non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdotis perficiatur.* Habet ea verba iste relatus Canon ab illis.

Proponit IV. Dallæus Codicem MSS. ab Aurelio memoratum, in quo facta olim per Reginonem Abbatem, circa annum DCCCC. variorum Canonum collectio continebatur. In ea enim collectione hunc ipsum Canonem Arausicanum legi, his omnino verbis, sinè ulla clausula scriptum, testatur Aurelius.

Respondeo. Id pugnare cum antedictis à Dallæo. Nam si Canon Arausicanus integer desinat in hæc verba: *Semel Chrismari:* lacinia est quicquid præterea legitur in collectione *Reginonis*, videlicet: *De eo autem qui in Baptismate, quacunque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdotis commonebitur.* Si mutilus sit ille Canon in exemplari *Justelli*, quia legitur aliquid ampliùs in collectione *Reginonis*, pari jure mutilus ille Canon in collectione Justelli censeri debet: quia legitur eo aliquid ampliùs in *Gratiano*, cæterisque tum MSS. tum etiam editis exemplaribus.

Proponit V. Ineptum & absurdum esse & veterum exemplo carere, ut Synodus, quæ scilicet ex pluribus constat Episcopis, in singulari numero ita loquatur: *Non ut præjudicans quicquam dico.* Quibus addat, si libuerit, Dallæus, posteriora Canonis haud congruere prioribus: quia immediatè antè sermo est in plurali: *Inter nos*; & postea in singulari: *Non ut præjudicans quicquam dico.*

Respondeo, optimum fore argumentum Dallæi, si lectio ista Canonis esset certa & indubitata. Sed Gratianus legit:

Non præjudicantes cuiquam hoc dicimus. Crabus aſſentitur. Quâ ſtante lectione, propoſitio Dallæi abit in fumum. Neque verò magis ea ſtabit, ſi cum *Sirmondo* legas: *Non præjudicans quicquam*, ſinè hac voce (*dico*) vel (*dicimus.*) Argumentum iſtud ſi quid probet, probat corrigendam eſſe lectionem *Binii* per *Gratianum* & *Crabum*; ſed non probat poſtrema Canonis verba eſſe laciniosa.

Proponit VI. Inuſitatum fuiſſe Arauſicanæ Synodi temporibus (*præjudicare*) dicere pro (*nocere:*) recentem eſſe & infimorum temporum proprium, ejus vocis tam ab origine ſua alienum abuſum: quod rectè obſervavit *Grotius*, qui *Bartolum* & *Baldum* putat verbum præjudicare, in hoc nocendi ſenſu primos uſurpare cœpiſſe, & exortum ab iis authoribus idiotiſmum hunc, poſtea ad alios quoque Scriptores diffuſum eſſe.

Verbum (præjudico) habes in privilegio Monaſterii Sancti Dionyſii, conceſſo per Landericum Paris.

Reſpondeo. Quicquid ſit de iſta Grammaticali obſervatione, de qua lis eſto inter Dallæum & amicos *Sirmondi* ac Aurelii, ipſumque *Toloſanum Archiepiſcopum*, quibus tribus viſum fuit idem ibi ſignificari atque (*nocere:*) ſi bene rem capio, nihil cogit verbum iſtud uſurpari eo in ſignificatu; imò hîc uſurpatur in proprio, quo videlicet (*præjudicare*) eſt rem ſtatuere, quæ afferat judicaturis exemplum quod ſequantur, juxta illud Hieronymi lib. I. Apologiæ adversùs *Rufinum* circa finem. *Nulli præjudicantes ſequi quod velit, nec alterius decretum noſtrâ ſententiâ ſubvertentes.* Nam commodè ſic poteſt Canon exponi. *Unica benedictio Chriſmatis apud quoſlibet unius Chriſmationis peragendæ præjudicium eſſe non debet, ſed neceſſaria eſt Chriſmatio repetita.*

Atque hinc patet viros illos eruditiſſimos non fruſtra aërem verberaſſe, non dimicaſſe de nihilo, imò de correctione Canonis legitimi, deque ejus proprio ſenſu decertaviſſe. Neque enim pars ultima, de qua tunc agebatur inter eos, aſſuta Canoni cenſeri debet propter unius manuſcripti Codicis authoritatem, cui cæteri omnes refragantur. Ad rem ipſam veniamus.

Sirmondo placuit eo Canone Concilium præcipere *unicam* eamque *frontis* Chriſmationem fieri in Baptiſmo; adeoque prohibere ne Miniſter baptizaturus ſinè Chriſmate progrediatur: quòd ſi aliquo caſu contigerit baptizatum quempiam fuiſſe non adhibito Chriſmate, de eo monendum Epiſ-

copum *à quo chrismetur.* Chrismatis unam esse benedictionem, vel in *Baptismo*, vel in *Confirmatione*, non nocentem quicquam, sed ut *non necessaria* habeatur repetita Chrismatio *semel* à Presbytero in Baptismo, & *iterum* ab Episcopo in Confirmatione: quia *quando priùs facta est in Baptismate, tunc Confirmatio solâ manûs impositione confertur, & absque Chrismate.*

Fateor Concilium præcipere Chrismationem adhiberi deinceps in Baptismo, & prohibere ne Minister baptizaturus absque Chrismate progrediatur. Sed nego inprimis Concilium præcipere unctionem *hanc Baptismalem* fieri in *fronte.* Innocentius I. ad Decentium contrarium definiverat, post Sylvestrum dicens. *Nam Presbyteris seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizent, Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non tamen* FRONTEM *ex eodem oleo signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum Paracletum.* Nego II. quòd si casu contigerit aliquem sinè Chrismate fuisse baptizatum, monendum esse Episcopum à quo ille chrismetur *in fronte.* Bene quidem admitto monendum Episcopum à quo chrismetur in *vertice* (quæ Chrismatio ad Baptismi cæremonias pertinebat:) nego monendum Episcopum à quo chrismetur in *fronte.* Scilicet cæremoniæ Baptismi inter quas ista *verticalis unctio* non infimum locum occupat, debent suppleri ante Confirmationem: & hæc fuit semper Ecclesiæ praxis, ut constat ex Conc. Trid. & Innocentio III. c. *Pastoralis*, & quod maximè facit ad institutum, ex Epist. Cornelii ad Fabium Antioch. de Novatiano, qua constat in more fuisse, ut si quandoque Baptismus administraretur in necessitate absque cæremoniis, illæ cæremoniæ omissæ postmodum adhiberentur. *Sed neque*, inquit, *postquam liberatus est morbo,* RELIQUA *percepit, quæ juxta* ECCLESIASTICAM REGULAM *percipi debent, neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum sanctum potuit accipere?* Nego III. verborum istorum: *Chrismatis non nisi una benedictio est:* sensum esse: quòd *unica* sit adhibenda Chrismatio, scilicet vel in *Baptismo*; vel *in Confirmatione*, si ea non fuerit adhibita in Baptismate. Nam, propriè loquendo, Chrismatis *benedictio* non est *usus* seu *applicatio* Chrismatis, sed est ipsius Chrismatis *consecratio*, quæ pertinet ad Episcopos. Nego IV.

ſenſum verborum iſtorum : *Non præjudicans quicquam* : (dato quòd *præjudicare* ſignificet ibi (*nocere*) eſſe, unctionem facciendam ab Epiſcopo nocere Baptiſmali : ſed ſenſus eſt quòd hæc *verticalis* unctio, quæ ſuppletur ab Epiſcopo, non nocet alteri faciendæ *in fronte* adminiſtrando Confirmationem : quia utraque, *verticis* videlicet ac *frontis*, eſt neceſſaria. Aut ſi *præjudicare* non ſignificet, *nocere*, ſed *ſtatuere quod ſit in exemplum judicaturis* ; ſenſus eſt : unicam Chriſmatis benedictionem non eſſe præjudicium, quo ſtatuatur Epiſcopum poſſe Chriſmare tantum ſemel : quandoquidem neceſſaria eſt Chriſmatio repetita.

Aurelio viſum fuit eo Canone Chriſmationem *verticalem* antehac *ignotam* in Galliis, præcipi in Baptiſmo adhiberi : quòd ſi aliquo caſu ea omiſſa fuerit, de omiſſione monendum Epiſcopum, quando ad Confirmationem ſe accingit, ne talem confirmet, niſi cùm antè *ad Presbyterum remiſerit* Chriſmandum in *vertice*. Epiſcopum talem Chriſmationem verticalem præbere *non poſſe*, quia Chriſmatis ipſius *non niſi una benedictio eſt*. Non quòd omiſſio Chriſmationis *verticalis* ſolâ neceſſitate contracta obſit cuiquam, neque etiam, quòd eo decreto de Chriſmatione Epiſcopali aliquid imminuatur : ſed quia *utraque*, Baptiſmalis videlicet ſeu verticalis & Confirmatoria, quæ in fronte fieri debet, *eſt neceſſaria*.

Sed quærerem ab Aurelio, unde habuerit Chriſmationem verticalem *ignotam* fuiſſe in Galliis ante annum CCCCXLII. quam & in Eccleſia Romana uſurpatam ante XXVI. annos, perſpicua Innocentii verba prædicant & ante C. & ampliùs annos Sylveſter inſtituerat ? An quia Synodus Arauſicana decernit, ut nemo *Miniſtrorum* Baptiſmi ſinè Chriſmate progrediatur ? Neutiquam. Quia non decernitur eo Canone ut baptizandi ungantur in vertice, ſed decernitur ut Diaconi, quibus officium baptizandi concreditum erat, *ungerent* eos quos baptizabant : quod ungendi munus antehac in Galliis, abſente Preſbytero, non erat illis conceſſum ; ſed erat tantummodo baptizantium Preſbyterorum. Nam Sylveſter iſtud conceſſerat ſolis Preſbyteris. Innocentius primus de ſolis quoque Preſbyteris locutus fuerat.

Unde cùm *Diaconi* in Hiſpania munus iſtud ungendi ſibi voluiſſent uſurpare, prohibiti ſunt Canone XX. Concilii Tolet. I. celebrati non infra a. CCCC. *Statutum eſt*, inquit, DIA-

CONUM *non* CHRISMARE, *ſed Presbyterum abſente Epiſcopo; præſente verò, ſi ab ipſo fuerit præceptum.* Quod itaque fuerat ad hæc uſque tempora *Diaconis* prohibitum, Arauſicana permittit, imò *præcipit* Synodus. Unde Concilium Vaſenſe, celebratum in Galliis anno ſequenti, ſignificat uſum *Chriſmatis* ad ipſos quoque ſpectare *Diaconos*: ante quod Concilium ne verbum quidem reperire eſt, quo poſſit oſtendi chriſmaſſe Diaconos. *Per ſingula territoria*, inquit Canon. III. *Presbyteri vel* MINISTRI *ab Epiſcopis non prout libitum fuerit à vicinioribus, ſed à ſuis propriis, per annos ſingulos Chriſma petant, appropinquante ſolemnitate Paſchali: nec per quemcunque Eccleſiaſticum, ſed ſi qua neceſſitas aut* MINISTRORUM *occupatio eſt, per Subdiaconum: quia inhonorum eſt inferioribus ſumma committi. Optimum eſt ut ipſe ſuſcipiat qui in* TRADENDO USURUS EST. Audis *Presbyteri vel Miniſtri*: qua poſtrema voce *Diaconi* exprimuntur in Concilio Vaſenſi. Ergo & in Arauſicano. Sed cur Concilium vult Preſbyteros & *Diaconos* à proprio ſuo Epiſcopo Chriſma petere? Rationem hanc reddit, *quia* nempe *optimum eſt, ut ipſe ſuſcipiat, qui in tradendo uſurus eſt*. Ergo *Diaconi* quoque chriſmabant. Tempus verò quo id in Gallia peragere cœperint nemo eſt qui deſignare queat, ſi aliud à tempore Concilii Arauſicani ſtatuerit. Antea Preſbyteri, decernente Sylveſtro, confirmante Innocentio, Chriſmate baptizatos ungebant in vertice, quod erat ſtrictiſſimè prohibitum *Diaconis*, ut conſtat ex Concilio Toletano I. ſed poſtea in Arauſicano non permiſſum illis modò imò *præceptum* eſt: illoſque in poteſtatis hujus exercitio fuiſſe liquet anno ſequenti ex Concilii Vaſenſis Can. V.

Non placet etiam quod ſubjungit *Aurelius*, ad hoc *monendum* Epiſcopum, cui ſe ſteterit aliquis confirmandus qui baptizatus abſque Chriſmate fuerit, non ut ipſe eum liniat in vertice, *ſed ut liniendum mittat ad Presbyterum*. Cum etenim unctio *verticalis* in Baptiſmi ritibus deputetur, adminiſtratio illius magis eſt Epiſcopi ad quem præcipuè ſpectat Baptiſmi collatio, quàm Preſbyteri. Eadem quippe ratio eſt cæremoniarum alicujus Sacramenti reſpectu Miniſtri, quæ eſt ipſius Sacramenti conferendi, cujus illæ ſunt ritus atque cæremoniæ. Denique *Aurelius* nititur iſtis verbis Canonis: *Nam apud nos* CHRISMATIS *non niſi una benedictio eſt*: quorum ſenſum hunc eſſe putat: unica eſt benedictio Chriſmatis à

Presbytero, & unica ab Episcopo, non duplex à Presbytero, aut etiam ab Episcopo. Sed immeritò sensum hunc verbis illis affingit : quia benedictio Chrismatis est *consecratio*, non usus seu *applicatio* Chrismatis consequens ad Chrismatis *consecrationem*.

Jam verò, quod idem subjungit Aurelius, sensum sequentium istorum verborum : *Non ut præjudicans quicquam dico* : seu (*dicimus*) hunc esse : *Non quòd omissio Chrismationis verticalis solâ necessitate contracta cuiquam obsit, neque etiam quòd eo decreto aliquid de Chrismatione Episcopali imminuatur* : verum non est si (*præjudicare*) non sit ibi idem ac (*nocere* :) etsi (*nocere*) significet, verum est quoad posteriorem partem, videlicet quòd eo decreto non imminuitur aliquid de Chrismatione Episcopali : sed non videtur verum quod ad priorem. Quia non videtur animus Concilii fuisse, pronunciare Chrismationis verticalis omissionem ex necessitate obesse, qua de re nemo hactenus dubitaverat, imò neque dubitandi rationem habere debuerat aut potuerat. Quòd si (*præjudicare*) hîc usurpetur in proprio suo significatu, sensus : *Benedictionem unicam Chrismatis non esse præjudicium, ut adhibeatur Chrismatio unica, sed bis ex eodem Chrismate esse inungendos, semel in vertice, ac semel in fronte, qui absque Chrismate baptizati sunt.*

Tertia est interpretatio Canonis hujus, quam Petrus de Marca illustrissim. *Tolosæ* Archipræsul exposuit in notis suis ad Can. XXVIII. *Concilii Claromontani*. Is adjectâ cum *Sirmundo* negatione, existimat mentem Concilii Arausicani esse præcipere Chrismationem adhiberi in Baptismo, quæ antè *licita* erat, non *imperata*. Quæ Baptismalis Chrismatio, si omissa fuerit, Episcopum de eo admonendum tempore Confirmationis. Ille enim sic monitus poterit 1° supplere hanc Baptismi cæremoniam, ac deinde confirmare *manûs impositione*, ac postea *Chrismare*, si ita illi videbitur : illaque unctio verticalis non nocebit Confirmationi : quia *superflua* non nocent. Quòd si magis placuerit, unget in fronte unctione confirmatoria. Neque enim Chrismationem, repetitam esse necessariam : quia Chrisma quo in Baptismate, & quo in Confirmatione ungimur, est una eademque benedictione *consecratum* ; & resarcitur copiosè unctio verticalis omissa, per consignationem in fronte confirmatoriam.

Certè

Certè Chriſmatio ante Concilii Arauſicani definitionem non erat tantùm *licita* in Baptiſmo, ſed *imperata*. Diu ante Sylveſtrum præceptam fuiſſe ex Pontif. in ipſius vita: *Conſtituit*, inquit, *ut liniat Presbyter chriſmatum levatum de aqua, propter occaſionem tranſitus mortis.* Quod quis minimè hactenus in Gallia ſervatum fuiſſe dixerit? Neque verò dicenti favet modus loquendi Innocentii ad Decentium ſcribentis, *licere Presbyteris ungere in vertice.* Nam quicquid *imperatum* eſt *licet*, quamvis quicquid *licet* non ſit *imperatum*. Innocentius pronunciat *licere* Preſbyteris, quemadmodum pronunciat *licere* Epiſcopis frontem baptizatorum conſignare oleo, quando tradunt Spiritum ſanctum. At hoc Epiſcopis erat de *præcepto*. Ergo & illud erat de præcepto Preſbyteris.

Quod ſecundo loco Toloſanus Pontifex habet, *Concilium relinquere voluntati Epiſcopi ut ungat in vertice ſi libuerit, vel ut omittat verticalem unctionem alioqui ſuperfluam, ſed non nocivam, quia ſuperflua non nocent*, mihi non placet. Nam Eccleſia ſemper voluit omiſſas cæremonias ſuppleri, ut ex Cornelio, Innocentio III. & Concilio Tridentino ſuperiùs obſervabamus: adeoque non eſt cur unctio verticalis, quæ una eſt è Baptiſmi cæremoniis, inter *ſuperflua* homini confirmando, neque in Baptiſmo Chriſmatio connumeretur: &, ſi planum eſt, quòd unctio verticalis à Preſbytero in Baptiſmo vel poſt ſuſceptum Baptiſmum facta non nocet Confirmationi, cauſæ nihil video, cur ſupponatur aliquis fuiſſe ſuſpicatus nocere eam, quando ſuppletur per Epiſcopum, quæ ſuſpicio dedit occaſionem Synodo pronunciandi. Quare probabile non eſt Concilium definiviſſe unctionem hanc non eſſe nocivam Confirmationi. Adde quòd Eccleſia non permitteret Epiſcopo id facere quod ipſa judicaret eſſe ſuperfluum.

Quod denique ſubjungit Canonem pronunciare *Chriſmationem repetitam non eſſe neceſſariam, quia unâ eademque benedictione conſecratum eſt Chriſma quo in Baptiſmo & quo in Confirmatione ungimur, & reſarcitur copiosè unctio verticalis omiſſa per unctionem confirmatoriam*, non magìs arridet. Nam nihil eſt in Canone quod ſignificet unctionem frontis reſarcire unctionem verticis omiſſam: & non ſequitur Chriſmationem repetitam non eſſe neceſſariam, ex eo quòd Chriſma quod in Baptiſmo, & quod adhibetur in Confirmatione, unâ eademque benedictione conſecratum eſt: alioqui non

esset chrismandus in fronte necessariò qui Chrismatus fuit inter baptizandum in vertice.

De proposito Canone mea est sententia 1° optimam esse lectionem *Petri Aurelii*, quæ vocem hanc (*in Baptismate*) repetit, non attexit negationem postremæ illius parti, legitque: *Sed ut necessariæ habeatur repetita Chrismatio:* ita tamen ut loco illius particulæ (*dico*) legatur cum *Gratiano* & *Crabo* (*dicimus;*) vel cum *Sirmondo* neque legatur (*dico*) neque (*dicimus*,) sed simpliciter: *Non ut præjudicans quicquam.* II. eo Canone præcipi *Diaconis* ut nunquam baptizent sinè Chrismate, atque ut suppleatur ab Episcopo Chrismatio omissa, priusquam ille sinè Chrismate baptizatum confirmet, quia utraque Chrismatio est necessaria. Sensus ergo, ut mihi videtur, legitimus iste est: *Nullus* DIACONORUM, *quibus potestas baptizandi concredita est, sinè Chrismate progrediatur: quia inter nos placuit semel in Baptismate Chrismari. De eo autem qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, chrismatus non fuerit, Episcopus admonebitur*, UT SUPPLEAT QUOD PRÆTERMISSUM EST IN BAPTISMO, UNGENDO IN VERTICE EX EODEM *Chrismate*, QUO ET POSTEA UNCTURUS IN FRONTE: *quia Chrisma quod in* BAPTISMO, *& Chrisma quod adhibetur in* CONFIRMATIONE *unâ est eademque benedictione consecratum. Neque verò cùm decernitur verticalis unctio facienda tùm ab Episcopo, præjudicium id est, ut confirmandus non ungatur in fronte: quia* UTRAQUE *Chrismatio, verticis scilicet ac frontis*, EST NECESSARIA.

Et quidem quod ad lectionem Canonis pertinet, unica nonnullorum MSS. authoritas non præponderat Gratiano, neque omnibus editionibus *Merlini*, *Surii*, *Crabi & Binii.* Suos illi quoque, eosdemque optimæ notæ Codices habuere manuscriptos, in quibus & reperitur vox ista (*in Baptismo*) & particula *negativa* non extat. Particula hæc in *Baptismate* illustrat Canonem, glossema non sapit. Particula negativa, vel sensum facit, quo rejicitur unctio verticalis supplenda, vel quo unctio in fronte excluditur in Confirmatione, quando Episcopus supplevit omissam verticalem in Baptismate. Utrumque pugnat cum mente Ecclesiæ, quæ semper studuit ut cæremoniæ Baptismi prætermissæ supplerentur, sicut compertum est ex authoritatibus citatis: & unctio frontis semper adjuncta est unctioni confirmatoriæ, quod testimonia

articuli ſuperioris abundè confirmant.

Ad ſenſum verò quod ſpectat I. quòd Canon ille reſpicit *Diaconos* præcisè, probatur ex ea voce (*Miniſtrorum*) cui adjungendum quòd illud fuerat antè præceptum *Presbyteris*, cautum *Diaconis*, qui anno ipſo ſequenti in Concilio Vaſenſi, non antè, leguntur Eccleſia non reclamante in Baptiſmo unxiſſe. II. quòd ad hoc monendus ſit Epiſcopus, ut ſuppleat unctionem *verticalem*, anteaquam adminiſtret Confirmationem, eamque ſuppleat ex præparato ad confirmandum Chriſmate, probatur: quia ea ſemper fuit Eccleſiæ mens, ut ſupplerentur Baptiſmi cæremoniæ omiſſæ. III. quòd ſenſus eorum verborum: *Non ut præjudicans quicquam*, ſit iſte: *Decretum quo ſtatuitur ſupplenda unctio, non eſt aliquid præjudicium ad decernam unctionem non debere peragi ab Epiſcopo in fronte.* Probatur, quia quod dicitur: *non præjudicare*, aliud non poteſt intelligi, quàm id quod ſtatutum atque judicatum eſt eo Canone. Judicatum eſt autem, quòd unctio verticalis ſupplenda ſit. Cenſet itaque Concilium, quòd decretum iſtud de unctione verticali ſupplenda non eſt aliquod præjudicium. At præjudicium dicitur reſpectu alterius rei judicandæ, & judicandum erat, utrùm ſecunda unctio adhiberetur, nec ne, ſuppoſitâ præcedenti mox facta inunctione. Senſus itaque eſt iſte. *Decretum, quo ſtatuitur unctio verticalis ab Epiſcopo ſupplenda, non eſt aliquod præjudicatum contra repetitam unctionem, ſed utraque unctio eſt neceſſaria.*

ARTICULUS QUARTUS.

De Chriſmatis confectione.

CHRISMA vox Græca eſt, *unguentum* ſignificat, à χρίω ungo. Hinc eſt quòd in Epiſtola Innocentii ad Decentium, materia unctionis infirmorum, quæ eſt *oleum* purum, *Chriſma* nuncupatur. Ex uſu Eccleſiaſtico, nomine generis proprio facto alicui ſub ipſo ſpeciei, uſurpatur ad ſignificandum ſpeciem unguenti, quod eſt *mixtura quædam ex oleo & aliquibus aliis*, adhibeturque in Confirmatione tam in Eccleſia Occidentali, quàm in Orientali, quanquam diverſâ ut modò ſumus obſervaturi ratione.

Orientales olim ante DCCC. annos objecerunt Occidentalibus per summam calumniam, quòd ex aqua fluminis Chrisma conficerent. De qua calumnia Nicolaus I. Epist. LXX. ad Episcopos Galliæ conqueritur. *Quòd*, inquit, *Chrisma nos ex* AQUA FLUMINIS *conficere fallaciter arbitrantur.* Unde Ratramnus in eo opere quod occasione istius Epistolæ jussu Episcoporum Gallicanæ Ecclesiæ (ad quos erat scripta) adversùs Græcos edidit, lib. IV. c. VII. *Non autem ipsum Chrisma (quod mentiuntur Græci)* DE FONTE *conficiunt* (scilicet Occidentales,) *sed ex* SUCCO BALSAMI *vel* OLIVÆ LIQUORE: *quod fit non solùm à Græcis, verùm ab universis Christi Ecclesiis.* Particulam (*vel*) sumit copulativè non disjunctivè.

Refert Gregorius VII. lib. VIII. Epist. I. Armenios *non ex balsamo, sed ex butyro Chrisma confecisse* : id abusum esse declarat.

Oleum illud debet esse olivarum secundùm S. Thomam III. p. q. LXXII. a. II. ad III. neque sufficit oleum nucum, amygdalorum, aut aliud simile. *Nam*, inquit, *proprietates olei quibus significatur Spiritus sanctus, magìs inveniuntur in oleo olivarum, quàm in quocumque alio oleo. Unde & ipsa oliva semper frondibus virens, virorem & misericordiam Spiritus sancti semper significat. Hoc etiam oleum propriè dicitur oleum, & maximè habetur in usu ubi haberi potest. Quilibet autem alius liquor ex similitudine hujus, oleum nominatur : nec est in usu communi nisi in supplementum, apud eos quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus & quorumdam aliorum Sacramentorum.*

Balsamum Judaïcum sit vel Indicum perinde est. Soli quidem Judeæ olim concessas has arbusculas fuisse credebatur. In Indiis tamen utrisque postea repertæ sunt, ex quibus quod exsudat adsportatur ad nostras regiones, imò & apud nos quædam invisuntur arbusculæ balsami ex Indiis delatæ. Maxima erat balsami copia in Galliis tempore Clodovæi, teste Gregorio Turonensi, de Baptismo ipsius principis lib. II. Historiæ c. XXXI. *Baptisterium*, inquit, *componitur*, BALSAMA *diffunditur, micant flagrantes odore cerei, totumque templum baptisterii divino respergitur ab odore. Talemque ibi gratiam astantibus Deus tribuit, ut æstimarent se Paradisi odoribus conlocari.*

Eugenius IV. in decreto de unione Armenorum ait, materiam Confirmationis esse *Chrisma confectum* EX OLEO,

quod nitorem significat conscientiæ, & BALSAMO qui odorem significat bonæ famæ. Pontificalia quoque Ecclesiarum Occidentalium, observant Chrisma ex duobus illis confici solitum. Honorius Augustodunensis l. III. de antiquo Missæ ritu c. LXXXI. Rupertus lib. III. de divinis Officiis c. XVI. idem docent. Liber Sacramentorum S. Gregorii Magni, in Cœna Domini quando Chrisma benedicitur. *Præparantur*, inquit, *ampullæ duæ cum OLEO, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto BALSAMO & commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam.* Ordo Romanus eodem die. *Primò misceat BALSAMUM cum OLEO.* Liber de divinis Officiis : *Conficitur ex OLEO mundissimo & optimo BALSAMO.* Amalarius Fortunatus lib. de Ecclesiasticis Officiis c. XII. *Nunc transeundum est ad principalem consecrationem Chrismatis : ipsa enim dicitur principalis, quia ad e us unctionem principalis Spiritus tribuitur.* Et postea. *Hic non solùm OLEUM, sed & BALSAMUM consecratur.* Et adhuc. *Additur OLEO BALSAMUS.* His adjungimus authorem Sermonum *de operibus Cardinalibus Christi*, Sermone *de unctione Chrismatis. Hodie*, inquit, *sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum OLEO BALSAMUM Regiæ & Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem.* Et Concilium Cabilonense II. celebratum anno DCCCXIII. quod prohibet Can. XVI. *Ne Episcopi à Presbyteris pro BALSAMO emendo ad Chrisma faciendum, quidquam accipiant.* Eo verò Canone habetur. *Quidam fratres dixerunt, consuetudinis antiquæ fuisse in eorum Ecclesiis, ut pro BALSAMO emendo ad Chrisma conficiendum, sive pro luminaribus Ecclesiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios Presbyteri darent.* Refertur ab Ivone I. p. decreti CCLXXXVII. & à Gratiano I. q. I. c. *Statuimus.* Unde ab antiquo irrepsit abusus iste : ex quo inferre licet *balsami* liquorem fuisse tùm admixtum *oleo.* Et Gregorius Magnus, ad hæc verba I. Cantic. *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. In Engaddi*, ait, *BALSAMUM gignitur, quod cum OLEO Pontificali benedictione Chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur.* Si tamen Gregorii sunt hæc verba, quæ certè videbuntur adscititia atque assuta textum accuratiùs expendenti, neque extant in Codicibus MSS. melioris notæ. v. g. in Regio, quod fuit Caroli V. Francorum Regis : extant verò in duobus Sanvictorianis, quorum alter ante D. annos, alter ante DC. exaratus est. Sed si non sunt Gregorii Magni, sunt Venerabi-

lis Bedæ ad eundem locum Cantic. *In vineis Engaddi*, inquit, BALSAMUM *gignitur, quod in Chrismatis confectione liquori* OLIVÆ *admisceri, ac Pontificali benedictione solet consecrari, quatenus fideles omnes cum* IMPOSITIONE MANUS SACERDOTALIS, *qua* SPIRITUS SANCTUS ACCIPITUR *hac unctione signentur.* Bracarense II. celebratum anno DLXXII. Can. IV. meminit *balsami* quod in modica quantitate admiscetur oleo benedicto, quo Presbyteri utuntur inter baptizandum. Augustinus lib. II. contra litteras Petiliani c. CIV. eò quoque flecti potest: quia dicitur ibi, præfiguratum Chrisma per unguentum descendens in barbam Aaron, quod fragans cùm esset, innuit fragrantiam esse nonnullam in Chrismate, quæ sanè est à balsamo.

Græci, ut docemur ex eorum Euchologio, præter *oleum* & *balsamum*, triginta quinque genera AROMATUM, *seu herbarum fragrantis odoris* admiscent, unà cum *vini* non exigua quantitate, de quibus aromatibus seu herbis legi possunt *Haberti* Vabrensis Episcopi, & *Goarii* notæ ad hunc Euchologii locum. Cumque Occidentales Episcopi Chrisma suum conficiant tùm cùm benedicunt illud, Orientales speciebus illis omnibus infra quadragesimam coacervatis, statis diebus primò eas per Ministros ad id destinatos tundunt & cribrant, dehinc compositionem faciunt, demum decoctionem, decoctumque ac confectum unguentum reservant usque ad Feriam V. in Cœna Domini, quâ illud consecrant ritu solemni, quemadmodum dicturi sumus inferiùs. Scilicet μύρον appellant istam materiam: & ex Justino martyre dialogo cum Tryphone docemur, μύρον non nisi ex plurium aromatum simplicium compositione coalescere. Cyrillus Hieros. Catech. III. mystagogica, unguentum Chrismatis ab oleo distinguit. Et author libri de Ecclesiast. Hierarchia, c. IV. *Sic ergo*, inquit, *statuimus unguenti confectionem concretionem esse quandam rerum bene olentium, quæ in se magnam vim & copiam fragrantium qualitatum contineat, cujus qui facti sunt participes, odorem bonum ex se efflant, proportione fragrantis communionis quæ in eis inest.* Infer ex hoc loco, tot species aromatum, quot modò Græci admiscent, non esse necessarias, sufficere si fiat mixtio rerum bene olentium. Et certè medici testantur, quædam ex illis fuisse ignota antiquitati. Multitudo illa aromatum atque herbarum bene olen-

tium, quæ in Oriente ſolo reperitur, dedit eis occaſionem dicendi, ut legere eſt in Nicolao I. ad conſulta Bulgarorum c. XIV. *Quòd in illorum patria Chriſma oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur.*

Sed an *balſamum* de neceſſitate requiratur ad confectionem Chriſmatis, ita ut Sacramentum Confirmationis non foret validum, ſi ex oleo ſolo adminiſtraretur? Negans certa, propugnantibus unctionem integralem eſſe non eſſentialem Confirmationis materiam. Apud eos verò, quibus Chriſma rationem habere videtur eſſentialis materiæ, duæ ſunt ſententiæ. Affirmans altera *balſamum* eſſe de neceſſitate *Sacramenti*. Negans altera eſſe de neceſſitate *Sacramenti*, ſed concedens eſſe de neceſſitate *præcepti*.

Affirmans nititur modo loquendi Eugenii IV. decreto citato dicentis: materiam Confirmationis eſſe Chriſma *confectum ex oleo & balſamo.* Nititur communi uſu loquendi, quo per Chriſma ut plurimum intelligitur *mixtum* aliquid, non *oleum* ſimplex. Nititur denique authoritate Innocentii III. c. Paſtoralis *de Sacramentis non iterandis*: ubi rogatus Pontifex, *an iteranda eſſet Confirmatio* cujuſdam hominis *ſolo oleo* inuncti, abſque *balſamo* decernit, *nihil iterandum eſſe, ſed cautè ſupplendum id quod incautè omiſſum fuerat.* At, inquiunt Theologi iſti, non poteſt talis unctio ſuppleri per ſolum balſamum: quia ſuppleri tantum poteſt per balſamum benedictum, neque illud ſeorſim benedicitur: ergo ſuppleri debet per verum Chriſma ex oleo ſimul & balſamo: neque verò ſuppleri debet ſinè verbis: ergo verba repetenda ſunt, quod eſt, adminiſtrare Sacramentum. Subjungunt, non urgere quod dicit Innocentius, *nihil eſſe iterandum.* Nam interrogatus ille fuerat, utrum eſſet Confirmatio iteranda? Reſponderque, non eſſe iterandam, & meritò; quia ut ipſe alibi c. *Veniens. De Presbytero non baptizato* ſtatuit, *Non intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum.* Ergo multo minus quod ſcitur non eſſe factum. Ita Hadrianus, & ex recentioribus, Gamachæus & Yſambertus.

Negans, quam tuentur Caïetanus, Dominicus à Soto, & alii non ignobiles Theologi, his maximè firmatur argumentis I. authoritate Conciliorum & Patrum, qui meminerunt aliquando ſolius *olei* in hoc Sacramento II. authoritate Innocentii III. citata ab adverſariis. Nam, inquiunt, Papa di-

cens ***non esse iterandum*** Sacramentum Confirmationis, ***sed supplendum***, planè docet fuisse Sacramentum, atque adeo balsamum non esse de ejus substantia. Et si nullum fuisset Sacramentum hoc Papa expressisset dicens, iterandum: ridiculum quippe est dicere non iterandum, propterea quòd nullum fuit; & est notissimum, id quod non est, non iterari: & ideo Pontifex non fuisset sollicitus, id admonere. Ubi itaque dixit non iterari, docuit priùs fuisse Sacramentum: & ubi adjecit, ***cautè supplendum quod incautè fuerat prætermissum***; docuit balsamum ad substantiam non pertinere: nam quod est de substantia, non suppletur, quandoquidem tunc totum Sacramentum est iterandum. Et tamen illic Papa non præcipit nisi quòd apponatur Chrisma absque ulla forma. III. quòd apud veteres Patres nulla expressio balsami, ubi de Confirmatione; & Chrisma non semper significat mixturam ex pluribus, sed sæpe simplex oleum. IV. quia materia Sacramenti debet esse clara & apertissima, de qua nemo possit dubitare: balsamum autem multis modis adulteratur, adeo ut viri prudentes vix arbitrentur balsamum quod ad regiones nostras defertur, esse legitimum. V. Eugenium non cogere ut aliter sentiant: quia commodè potest exponi de necessitate præcepti.

Probabilior videtur hæc sententia, & abundè satisfacit argumentis propositis. Addendum est duntaxat Innocentium loco utrinque relato nihil definire circa materiam controversam, & tradere solùm regulam generalem pro omnibus Sacramentis, secundùm quam, si quid essentiale aut integrale omissum fuerit, illud suppleri debet. Neque verò definit, an *balsamum* sit essentiale vel integrale Confirmationis. Neque etiam definit, an ***manûs impositio*** sit ***essentialis*** vel ***integralis*** ordinationi Subdiaconi. Consultus de Confirmatione facta ex *oleo* & sinè ***balsamo***; & de Subdiacono absque ***manûs impositione*** ordinato, respondet in hæc verba. ***In talibus non est aliquid iterandum: sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum.*** Constat manûs impositionem integralem esse ordinationi Subdiaconi. Faciunt ad rem verba ista Pontificis (*in talibus*,) hoc est, in iis generatim quæ sunt Sacramentorum.

ARTICULUS

Articulus quintus.

De benedictione seu consecratione Chrismatis.

CHRISMA quod in utraque Ecclesia adhibetur confirmando, debet esse *benedictum* seu *consecratum*. Hinc enim appellatur à Concilio Tridentino *Chrisma sacrum*. Eugenius IV. in decreto Armenorum disertè ait esse debere *ab Episcopo benedictum*. Concinunt omnia Pontificalia Ecclesiarum Occidentalium, in quibus ritus benedictionis illius referuntur. His addimus Honorium Augustodunensem, Rupertum, Amalarium Fortunatum, librum de divinis Officiis, Bedam in Cantica, authorem libri de operibus Cardinalibus Christi, Ordinem Romanum, Gregorium Magnum. Proferimus insuper Meldense Can. XLIV. quo vetatur *Chorepiscopis ne Chrisma* BENEDICANT. Can. XLV. quo *sacrum* appellatur, cautumque est *pro eo aliquid muneris accipi*. Can. XLVI. *Ne conficiatur nisi in Cœna Domini*. Zachariam Romanum Pontificem Epistolâ XII. ad Bonifacium: v[a] *feriâ Paschæ, dum sacrum Chrisma* CONSECRATUR. Concilium Hispalense II. Canone VII. quo prohibetur *Chorepiscopis Chrisma conficere: cùm illud sit proprium munus Episcoporum*. Bracarense III. Canone IV. *Placuit, ut modicum balsami quod* BENEDICTUM *&c. Ne fortè quod pro salute animarum per invocationem sancti Spiritus* CONSECRATUR. Montanum Episcopum Toletanum, Epistolâ ad Palestinæ habitatores, in qua, inquit Ildefonsus Toletanus, de viris Illustribus c. III. *Presbyteros Chrisma conficere, Episcoposque alienæ Diœcesis alterius territorii Ecclesias consecrare, magnâ perhibetur prohibere auctoritate, sacrarum litterarum testimoniis affirmans idipsum fieri penitus non licere*. Sed lubet verba ipsa referre. *Nova*, ait, *præsumptio præsidentium vobis Presbyterorum nostrorum pulsavit auditus: si tamen nova tantùm & non detestabilis dici poßit, quæ ab initio fidei Catholicæ nunquam, præter nunc, subrepsisse probatur, ut id quod per* MANUS SUMMI PONTIFICIS *Trinæ Divinitatis* INVOCATIO SANCTIFICARE *consuevit, Presbyter ignarus disciplinæ conficere sibi Chrisma præsumeret*. Augustinum lib. v. de Baptismo c. XX. *Cur autem ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ,*

poßit tamen Deus oleum SANCTIFICARE. Et tractatu CXVIII. in Joannem. *Quid est, quod omnes noverunt signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive* OLEO *quo Chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Innocentium ad Decentium. *Chrismate quod ab Episcopis fuerit* CONSECRATUM. Carthaginense III. c. XXXVI. *Ut Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret, Chrisma verò nunquam conficiat.* Carthag. II. c. III. Ab universis Episcopis dictum est: *Chrismatis confectio & puellarum consecratio à Presbyteris non fiant.* Toletanum I. c. XX. in quo prohibentur Presbyteri *Chrisma conficere*, & declaratur id esse proprium *Episcoporum.* Optatum lib. VII. *Oleum nominant illum scilicet liquorem qui ex nomine Christi conditur, quod Chrisma, postquam conditum est, nominatur. Antequam fiat, adhuc oleum est, naturâ simplex fit & suave est, dum de nomine Christi conditur.* Et infra. *Oleum antequam à nobis conficiatur, tale est quale natum est: confectum, suavitatem ex nomine Christi accipere potest.* Et adhuc. *Oleum simplex est, & nomen suum unum & proprium habet: confectum, jam Chrisma vocatur, in quo est suavitas.* Cyprianum Epistolâ LXX. *Porro autem Eucharistia & unde baptizati unguntur* OLEUM *in altari* SANCTIFICATUR. Tertullianus de Baptismo. *Exinde egreßi de lavacro perungimur* BENEDICTA *unctione.*

De Ecclesia Orientali probatur I. Ex Euchologiis II. ex S. Basilio lib. de Spiritu sancto c. XXVII. CONSECRAMUS *aquam Baptismatis &* OLEUM *unctionis.* Adjungitque id servari *ex Apostolica traditione.* III. ex Cyrillo Hierosolymitano Catechesi III. Mystagogica. *Quemadmodum panis Eucharistiæ, post sancti Spiritus invocationem, non ampliùs est panis communis, sed est Corpus Christi: sic & sanctum hoc unguentum non ampliùs est unguentum nudum, neque (si quis ita appellare nolit) commune, postquam jam* CONSECRATUM *est, sed est Chrisma.* Adjungimus authorem libri de Eccles. Hierarchia, in quo legitur antiquus ritus consecrationis Chrismatis.

Authoritates istæ probant potestatem benedicendi seu consecrandi Chrisma esse penes Episcopum. Controvertitur, an penes Presbyterum esse queat? Placet affirmans, quoties Ecclesia non repugnabit: cæterùm, Ecclesiâ repugnante, non valebit facta per Presbyterum.

Facit pro priori parte hujuſce noſtræ ſententiæ Canon. xx. Concilii Toletani I. *Quamvis*, inquit, *pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo Chriſma nemo conficiat, tamen quia in aliquibus locis vel Provinciis Presbyteri dicuntur Chriſma conficere, placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum Chriſma conficere.* Ibi Concilium non declarat irritam conſecrationem Chriſmatis factam à Preſbytero ; neque obſervat jus divinum, aut veteres Eccleſiæ Canones, vel antiquam conſuetudinem cauſam ſuæ legi dediſſe, ſed uſum præſentis temporis in plurimis regionibus. *Quamvis pene ubique*, inquit, *cuſtodiatur* : & vetat ne deinceps niſi per Epiſcopum Chriſma benedicatur : *Placuit ex hac die nullum alium niſi Epiſcopum Chriſma facere.* Ergo exiſtimabant factum hactenus valuiſſe. Idem decretum puta in Eccleſiis Africanis.

Facit pro poſteriori parte noſtræ ſententiæ caput CCCXXIX. lib. VII. capitulorum Caroli Magni, ubi Chriſma confectum à Chorepiſcopis declaratur non eſſe *pro ſacrato* habendum: quia dicitur ibi : *Quæ illi non habuerunt, dare non potuerunt: quoniam ex his eis quicquam agere non licet, quæ omnia ſummis Pontificibus debentur, & non Chorepiſcopis; qui nec ſummi Pontifices vel Epiſcopi fuerunt, nec deinceps uſquam fieri poſſunt.* Et poſtea. *Hæc verò omnia à Cathedralibus Epiſcopis agenda ſunt, & non à Presbyteris vel Chorepiſcopis, qui ambo unius formæ eſſe videntur. Quæ ſi ab eis, aut propter imperitiam, aut propter præſumptionem acta, ut prædictum eſt, ab imperitis eſſe putantur; à Cathedralibus tamen Epiſcopis reformanda vel peragenda ſunt. Quia, quæ illi in his agere cogitarunt, imperfecta remanſerunt; &, ut jam prælibatum eſt, quod illi non habuerunt, dare non potuerunt. Epiſcopi namque non fuerunt, quia nec à tribus Epiſcopis, nec ad aliquam Epiſcopalem Cathedram ordinati fuerunt : & ideo ex his nihil agere potuerunt : & ne alicui talis ordinatio, vel Confirmatio, aut conſecratio, reiteratio eſſe videatur, attendat illud quod ſcriptum eſt : Quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum.* Eadem eſt doctrina cap. CCLXXXIV. lib. II.

Ex quibus ſequitur benedictionem Chriſmatis ab Epiſcopo non eſſe de neceſſitate *Sacramenti* Confirmationis, quamvis ea ſit de neceſſitate *præcepti*. An *Eccleſiaſtici* ſolùm, aut etiam *Divini* ? Eccleſiaſtici duntaxat : quia nullum eſt fundamentum aſtruendi præceptum divinum in Scripturis, nul-

lum in Conciliis, nullum in traditione: &, ex dictis, valuit aliquando benedictio Chrismatis facta per Presbyteros.

Superest ut ea de re quædam observemus.

I. est, licuisse aliquando Episcopis *omni die* Chrisma conficere: ut evidens est ex Can. LI. veterum Canonum Orientalis Ecclesiæ, collectionis Martini Bracarensis: OMNI TEMPORE *Episcopis liceat Chrisma conficere, & per suas Diœceses destinare.* Et ex Can. XX. I. Concilii Toletani. *Episcopo sanè certum est* OMNI TEMPORE *licere Chrisma conficere.* Sed Ecclesiam postea diem unicum huic consecrationi assignavisse, feriam videlicet V. in Cœna Domini, ut patet ex Concilio Meldensi c. XLVI. cui adjungo Epistolam sub nomine Fabiani. Jubebantur tamen Presbyteri circa festivitatem Paschæ petere Chrisma ab Episcopo, ex locis relatis, & ex Liptin. c. III. ac Vasensi c. III. Cujus rei ratio hæc esse videtur, quia necesse erat Chrisma illos habere pro solemni Baptismo Paschali. Hinc mihi facilè persuadeo moris fuisse, ut in sancta hebdomada consecraretur. Bonifacius Epist. XII. laudatâ observat diem intra illam hebdomadam præscriptum suo tempore fuisse feriam V. in Cœna Domini. Cujus diei designationis ratio multiplex affertur. I. est Isidori & authoris lib. de divinis Officiis: quia *ante biduum Paschæ Maria caput & pedes Domini unguento perfudisse perhibetur.* II. ejusdem authoris: quia V. *ætate mundi Christus ad nos venisse perhibetur.* III. Ruperti: quia *agnus ea die immolabatur, & ejus sanguine postes obsignabantur.* IV. S. Thomæ III. p. q. LXXII. a. XII. ad III. his verbis: *Dies ille satis congruit ad materias Sacramentorum, quo fuit Eucharistia Sacramentum institutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur.*

II. Chrisma *quotannis renovandum*, & *vetus comburendum.* Inde præceptum datur Presbyteris, *singulis annis* circa illud tempus petere Chrisma ab Episcopis. Ex Epistola Fabiani visum est nonnullis, necesse non esse Chrisma conficere, quando superest veteris satis: maximè verò propter penuriam *balsami*, quod ibi reprobatur, quia novo diei novam Chrismatis confectionem Ecclesia respondere voluit. Accedit quòd ejusmodi cæremoniarum repetitione fidelium animi ad majorem ejus cultum ac religionem accenduntur.

III. Presbyteros Parochiarum debere ab *Episcopo proprio* Chrisma petere, non à viciniore. Ita Conc. Vasense suprà.

Antiſſiod. c. VI. Liptinenſe ſuprà. Eademque eſt ratio Monaſteriorum quoad hoc.

IV. Cautum eſſe in Conc. Cabil. II. can. XVI. *Ne Epiſcopi à Presbyteris pro* BALSAMO EMENDO *ad Chriſma faciendum aliquid accipiant.* Et in Aquiſgranenſi II. can. V. Et in Meldenſi can. XLV. *Ne pro acceptione ſacri Chriſmatis aliquid* EXIGANT *Epiſcopi, vel cæteri Miniſtri Eccleſiæ.* Eadem lex fuit ſancita in Hiſpania Conc. Barcinon. c. II. *Ut cùm Chriſma Presbyteris Diœceſanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris* PRETIO *accipiatur.* Et antea in Conc. Tolet. XI. c. VIII.

V. Ut Chriſma quod ſuſceperunt, *ſub ſigillo* cuſtodiant & *ſera*, neque ulli donare præſumant pro aliqua neceſſitate, neque ſub prætextu medicinæ vel maleficii, neque ad ſubvertendum judicium. Herardus Turon. c. XXII. *Ut Chriſma pro* SUBVERTENDIS JUDICIIS *nemini detur, & ut ſub* SIGILLO *cuſtodiant.* Moguntinum cap. XXVII. *Presbyteri ſub ſigillo cuſtodiant Chriſma, & nulli ſub prætextu* MEDECINÆ *vel* MALEFICII *donare inde præſumant. Quod ſi fecerint, honore priventur.* Lib. III. capitul. Caroli Magni c. LV. *Si Presbyter Chriſma dederit, ab Epiſcopo degradetur, & poſtmodum à judice manum perdat, ſi propter* JUDICIUM SUBVERTENDUM *hoc fecerit.* Aperit nobis Concilium Turon. III. quid ſit *ſubverſio judicii* can. XX. pronuncians in hunc modum. *Item Presbyteris injungendum eſt, ne ſacrum Chriſma foras conclave dimittant, ubi à quolibet attingi poſſit. Nam criminoſos eodem Chriſmate unctos, aut potatos, nequaquam ullo examine deprehendi poſſe à multis putatur.*

VI. Ritum quo Chriſma benedicitur in Eccleſia Latina quatuor involuere I. *preces funduntur* juxta Apoſtolum I. Tim. IV. ſcribentem *omnia ſanctificari per verbum Dei & orationem.* II. fit *ſignum crucis* ſuper oleum & balſamum. Nihil quippe ſinè eo conſecrari poſſe docent Joan. Chryſ. Hom. LV. in Math. Auguſt. Serm. CLXXXI. de Tempore, & tract. CXVIII. in Joan. *Quod* (ſignum crucis) *niſi adhibeatur ſive frontibus credentium, ſive ipſi aquæ ex qua regenerantur, ſive oleo quo Chriſmate unguntur, ſive ſacrificio quo aluntur, nihil horum rite perficietur.* III. Epiſcopus halat aliquoties ſuper ampullam Chriſmatis, quam cæremoniam eſſe quid ridiculum, magicum, ſuperſtitioſum & blaſphemum audent aſſerere Lutherani & Calviniſtæ. Antiqua tamen eſt, & extat in Ama-

lario, Ordine Rom. lib. Sacrament. S. Gregorii, & ab exemplo Christi sumpta, qui insuflavit in Apostolos Joan. XX. ut ostenderet Spiritum sanctum in eos illabi. Amalarius lib. I. c. XII. HALITUS *ab interioribus & secretis procedit in publicum, & vocatur spiritus, in naribus ejus est. Pontifex per spiritum suum substantiam Spiritus sancti nuntiat in corpore assumpto à Divinitate inhabitare, cujus adventu renovata sunt omnia.* IV. Chrisma jam consecratum *salutatur* ab Episcopo & Presbyteris in hunc modum: *Ave sanctum Chrisma.* Quam cæremoniam pariter novatores isti redarguunt tanquam idololatricam, aut saltem ridiculam, quia salutatur res inanima. Verùm antiqua est, & extat pariter in Amalario & Ordine Romano. Salutatio non est adoratio : quare nihil continet idolatricum. Usitatissimum denique est in signum gaudii, exultationis & gratulationis, etiam res inanimas salutare, ac si viverent. Sic B. Andræas videns crucem ait : *Salve crux.* Sic Fortunatus crucem Christi alloquitur, in hæc verba : *Sola digna tu fuisti &c.* & salutat diem festum Resurrectionis: *Salve festa dies toto venerabilis ævo.* Paula salutavit Bethleem cùm eam primò vidit, Hieronymus Epist. de ejus obitu. Greg. Nazianz. orat. ad CL. quando abdicavit se Episcopatu Constantinopolitano vale dixit Cathedræ, templo &c. Apud profanos authores nihil quoque frequentius. Addo, non salutari Chrisma physicè, substantialiter, absolutè; sed relativè, moraliter, prout est Christi symbolum. Rupertus lib. V. de divinis Officiis c. XVIII. *Ampulla verò postquam benedicta fuerit, & ab altari redit, à Pontifice & Ministris altaris visibiliter & nuda* SALUTATUR. *Hoc significat, quòd Christus postquam ab altari crucis transivit, præsentiam suam corporalem eis tribuit, quos testes suæ Resurrectionis esse voluit. Quòd cæteris invisibilis & operta ad salutandum defertur, significat, quòd Christus rediens in cælum, invisibilis hominibus factus est.* Amalarius suprà. *Ampulla cum Chrismate quodammodo Corpus Domini ex Virgine Maria assumptum significat : quod antequam transiret ad altare crucis, aliquo tempore coopertum erat & aliquo nudum; at postquam transivit ad altare crucis, idest, ad immolationem quasi ad consecrationem Episcopi, aliqua parte corporis nudum corpus suum demonstravit. Quæ pars ad memoriam reducitur per ampullæ nuditatem, quam Episcopus & Diaconi salutant. At postquam salutata est à Pontifice & Ministris altaris ampullæ,*

cooperitur, ut à nemine nuda videatur : cooperta tamen salutatur ampulla. Christus namque postquam præsentiam suam eis secundùm suam dispositionem exhibuit, quos voluit esse testes suæ Resurrectionis, ascendit in cœlum, & invisibilis hominibus factus est.

ARTICULUS SEXTUS.

Qua in parte hominis unctio confirmatoria fieri debeat?

RITUS Occidentalis Ecclesiæ diversus est à ritu Orientalis.

Occidentales ungunt in fronte duntaxat. Eugenius IV. in decreto de unione Armen. *Ideoque* IN FRONTE, *ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, Gentibus autem stultitia, secundùm Apostolum : propter quod* SIGNO CRUCIS *signatur.* Innocentius III. de sacra Unctione. IN FRONTE *ungitur baptizatus, ut liberè confiteatur quod credit.* QUIA CORDE CREDITUR AD JUSTITIAM, ORE AUTEM CONFESSIO FIT AD SALUTEM. Ita etiam XII. sæculo Honorius Augustodun. lib. III. cap. CXIV. Rupertus lib. V. de divinis Officiis c. XI. Gofridus Vindocin. opusc. IX. Sæculo XI. Petrus Damiani Serm. I. in Dedic. Ecclesiæ. Sæculo IX. Walafridus Strabo lib. de rebus Ecclef. c. XXVI. Ratramnus l. contra Græcos c. VI. Amalarius lib. de Officiis c. XXVII. Author lib. de divinis Officiis c. XIX. Theodulfus Aurel. c. XVII. Jesse Ambian. Epist. de Baptismo. Ordo Romanus. Sæculo VII. Isidorus Hispal. lib. II. de divinis Officiis c. XXVI. Sæculo VI. Gregorius Magnus tum in libro Sacram, tum etiam Epist. XXVI. libri III. Epist. ubi id vocat *veterem Ecclesiæ suæ usum.* Sæculo V. Aug. in Psal. CXLI. & Innocentius, Epist. ad Decentium. Sæculo IV. Aurelius Prudentius Psycomach. sectione VI. Sæculo III. Tertullianus lib. de Præscriptionibus, ubi ait : *Dæmonem æmulari in mysteriis idolorum Sacramenta nostra. Signat illic* IN FRONTIBUS *milites suos.* S. Thomas complexus est rationes istas Tertulliani, Innocentii III. & Eugenii IV. hoc ratiocinio III. p. q. LXXII. a. IX. *Dicendum*, inquit, *quòd in hoc Sacramento homo accipit Spiritum sanctum ad robur spiritalis pugnæ, ut fortiter etiam inter adver-*

sarios Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur Chrismate signo crucis IN FRONTE *propter duo.* I°. *quidem quia insignimur signo crucis, sicut miles signo ducis. Quod quidem debet esse evidens & manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maximè frons manifesta est, quæ quasi nunquam obtegitur. Et ideo linitur confirmatus Chrismate in fronte, ut in manifesto demonstret se esse Christianum.* II°. *quia aliquis impeditur à libera confessione nominis Christi propter duo: scilicet propter propinquitatem imaginationis, & propter hoc quòd spiritus à corde directè ad frontem ascendunt. Unde verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt, ut dicitur* IV. *Ethic. Et ideo in fronte signatur Chrismate, ut neque propter timorem, neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat.*

Orientales non tantùm *frontem* inungunt, sed *oculos, nares, os, aures, pectus, manus, pedes*, ut videre est in Euchologio. Sexto sæculo Severus Alexandrinus lib. de Ritibus Baptismi. *Signat* OMNIA *eorum* MEMBRA, *eorumque frontem tribus vicibus.* Et postea. *Et ungit* OMNIA *eorum* MEMBRA *& manus & pedes & nares eorum.* Et IV. sæculo Cyrillus Hierosolym. Catech. III. Mystagog. *Ac primùm quidem* FRONTI *illinitur, ut eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo transgressor perpetuò circumferebat: simulque efficiat, ut possitis vultu non velato gloriam Dei intueri. Deinde verò* AURES *unguntur, ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis. Postea* NARES, *ut divinum recipientes unguentum dicatis: Christi gratus est odor Deo in his qui salvantur. Tùm verò &* PECTUS *inungitur, ut induti thoracem justitiæ, fortiter adversùs insultus diaboli consistatis.*

Cùm Occidentales ungunt in fronte, faciunt signum crucis. Unde dicunt: *Signo te signo crucis*: in decr. Eugenii. Authores Rituales IX. sæculi, Pontificalia, Ordo Romanus. Gregorius Turonicus, de Baptismo Clodovæi: *Delibutusque sacro Chrismate cum* SIGNACULO CRUCIS *Christi.* Aug. in Psal. CXLI. *Multa Sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam per totum corpus accipimus, quædam in fronte per* SIGNUM CRUCIS. Huc etiam flecti potest Tertullianus loco mox relato.

Orientales pariter adhibent *signum crucis* in fronte, in oculis, naribus, ore, auribus, ex Euchologio.

Observa, unctionem in fronte adeo propriam visam fuisse Confirmationis, ut in Ecclesia Romana, temporibus Gregorii

gorii Magni, cùm summus ille Pontifex accepisset apud Caralitanam Ecclesiam in insula Sardiniæ Presbyteros signare solitos in fronte, illud eisdem districtè prohibuerit lib. III. Epist. IX. qui tamen postmodum, iis Presbyteris Caralitanis prohibitionem hanc ægrè ferentibus concessit, ut id ipsum facerent quod solebant antea, ejusdem libri Epist. XXVI.

Quia verò MSS. Codices atque editiones variant his duobus locis, è re nostra esse videtur hîc commemorare diversitatem. Apud Gratianum, de Consecr. dist. III. c. *Presbyteri*, & in editis quamplurimis, scilicet Paris. M. DXVIII. M. DXXIII. M. DXXXIII. M. DLXXI. habetur primo loco. *Presbyteri* BAPTIZATOS *infantes signare bis in fronte sacro Chrismate non præsumant: sed Presbyteri* BAPTIZATOS *ungant in* PECTORE, *ut Episcopi postmodum confirment in* FRONTE. In MSS. Corbeïensi, Victorino, Regio (qui fuit Puteanorum fratrum) & Carmelit. *Episcopi* BAPTIZATOS *infantes signare in frontibus bis Chrismate non præsumant; sed Presbyteri* BAPTIZANDOS *tangant in pectore, ut Episcopi postmodum tangere debeant in fronte.* In Sorbon. Codice. *Sed Presbyteri baptizatos &c.*

Apud eundem Gratianum dist. XCV. c. *Pervenit*, & de consecr. dist. IV. c. *Presbyteri baptizatos*, ita legitur alter locus Epist. XXVI. *Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quòd Presbyteros tangere Chrismate eos qui* BAPTIZATI SUNT, *prohibuimus. Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus* BAPTIZATOS *Chrismate tangere debeant, concedimus.* Regius verò ita legit. *Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quòd Presbyteros Chrismate tangere eos qui* BAPTIZATI SUNT *prohibuimus. Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur; ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri in frontibus* BAPTIZANDOS *Chrismate tangere debeant, concedimus.* Sed in Corbeïensi, Victorino, Carmelit. atque in editionibus Paris. annorum M. DXVIII. M. DXXIII. M. DXXXIII. & M. DLXXI. loco vocum istarum (*baptizati* & *baptizatos*:) habetur (*baptizandi* & *baptizandos.*)

Hinc duplex est sensus verborum istorum. Nam legendo (*baptizandi* & *baptizandos*) dicendus erit Gregorius ve-

tuiſſe, ne Caralitani Preſbyteri ritum uſurparent ex hac die, quem hactenus uſurpaverant, ungendi ſcilicet Chriſmate baptizandum in fronte, atque præcepiſſe, ut loco ejus unctionis in fronte, adhiberent aliam in pectore: & hoc ſanxiſſe Pontificem, quia vetus erat Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, ut baptizandi non chriſmarentur in fronte: quem tamen ritum ut poſtea uſurparent indulſit, quamprimum accepit eorum aliquos de ſua fuiſſe prohibitione ſcandalizatos.

Legendo (*baptizati* & *baptizatos*) dubium erit, utrum ejuſmodi unctio, quam Caralitani Presbyteri adhibebant, eſſet confirmatoria, vel ritus quidam purè Eccleſiaſticus ejuſdem generis cum eo quo pectus inungebatur in Eccleſia Romana, aut ſaltem inungi poterat? Qua de re quidquid ſtatuatur, non erit conſequens Confirmationem à Presbyteris Caralitanis fuiſſe adminiſtratam ex indulgentia Gregorii Magni. Quia ſi illa inunctio ſit ejuſdem rationis cum unctione pectoris, non eſt Sacramentum Confirmationis: ſi verò ſit unctio confirmatoria, non eſt quoque Sacramentum Confirmationis, niſi in quantum eſt adnexa manûs Epiſcopalis impoſitioni, de qua manûs impoſitione, hîc ne verbum quidem.

DISPUTATIO QUARTA.

De forma Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm forma essentialis Confirmationis consistat in oratione?

INNOCENTIUS I. Epist. ad Decentium consultus de Sacramento Confirmationis ita loquitur de ejus forma: *Verba verò dicere non possum; ne magìs prodere videar, quàm ad consultationem respondere.* Ex quo apparet veteres sedulò ac sollicitè cavisse, ne propalarent formam Sacramenti Confirmationis in verbis positam. Ex ipsorum tamen voluminibus est stabiliendum, *deprecatoria*-ne forma ea sit, an *absoluta*? Deprecatoriam intelligo, qua vocetur atque invitetur Spiritus sanctus.

Nostra sit propositio. Forma essentialis Sacramenti Confirmationis est *deprecatoria* seu consistit in oratione. Probatur inprimis ex illo Act. VIII. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Quo loco *manûs impositio* habet rationem materiæ, & *oratio* formæ. Confirmatur: quia Jacobus Apostolus promulgando Sacramentum unctionis infirmorum utitur his verbis: *Et orent super eum.* Item. *Et oratio fidei alleviabit infirmum.* S. Thomas concludit formam unctionis infirmorum esse deprecatoriam. Sed in Actibus Apostolorum ubi commemoratur Confirmatio, eodem modo agi-

tur de oratione: *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum sanctum.* Ergo qua ratione concluditur è Scripturis formam unctionis infirmorum esse *deprecatoriam*, concluditur formam Confirmationis esse positam *in oratione*.

II. ex Patribus. Tertull. lib. de Baptismo. *Dehinc manus imponitur per benedictionem* ADVOCANS ET INVITANS SPIRITUM SANCTUM. Nam id quo advocatur atque invitatur Spiritus sanctus non est aliud ab oratione. Cypr. Epistol. LXXIII. *Ut, qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram* ORATIONEM *ac* MANUS IMPOSITIONEM *Spiritum sanctum consequantur.* Spiritus sancti consecutio hîc attribuitur *orationi* æque ac *manûs impositioni*. Ergo ut manûs impositioni tanquam materiæ essentiali, ita & orationi tanquam formæ essentiali. Ambrosius, seu author librorum de Sacramentis lib. III. c. II. *Sequitur spiritale signaculum, quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Hieron. Dial. adversùs Lucif. ubi Luciferiano dicenti: *An nescis Ecclesiarum esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita* INVOCETUR SPIRITUS SANCTUS? Subjicientique id esse scriptum in Actibus Apostol. Orthodoxus respondet. *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem &c. ut Episcopus ad* INVOCATIONEM SPIRITUS SANCTI *manum impositurus excurrat.* Et infrà. *Alioqui si ad Episcopi tantùm* IMPRECATIONEM *Spiritus sanctus defluit.* Aug. l. XV. de Trinit. c. XXVI. *Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum.* ORABANT *quippe ut veniret ad eos quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia.* Isidorus lib. II. de Officiis c. XXVI. *Spiritum sanctum dare non possumus, sed ut detur* DEUM INVOCAMUS. Et lib. VI. Orig. c. ult. *Manûs impositio ideo fit, ut* PER BENEDICTIONEM ADVOCATUS INVITETUR *Spiritus sanctus.* Jesse Amb. Epist. de Bapt. iisdem penitus verbis quibus Isidorus loco mox relato. Author lib. de divinis Officiis. *Dat Pontifex super eos* ORATIONEM, *impositâ scilicet manu super capita eorum, cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti.* Neque aliorum verborum mentionem faciens, nisi puræ atque simplicis invocationis SS. Trinitatis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, quæ profertur tùm cùm oleo signatur Neophytus.

Amalarius lib. I. de Officiis cap. XXVII. *Ut per* MANUUM IMPOSITIONEM *&* ORATIONEM *detur Spiritus sanctus, similiter ab Apostolica authoritate sumptum est, ut in Actibus Apostolorum scriptum est.* Et infrà. *Dicit Romanus libellus, de quo sæpe commemoravimus: Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex Chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Quibus perspicuum fit Amalarium roborare suam sententiam de forma Confirmationis in oratione posita, ex verbis ipsis Ordinis Romani.

III. ex Pontificalibus vetustis plurimarum Ecclesiarum, in quibus, ubi de ritu administrandæ Confirmationis, ne verbum quidem legitur alterius formæ ab ejusmodi *deprecatoria*. Vetus Ordo Romanus, ut refertur ab Amalario, præter *orationem* nihil habet nisi verba hæc, *In nomine Patris &c.* proferenda quando fit consignatio ex Chrismate, in fronte. Nec obstat, quòd in eodem libro nunc videre sit hanc formam: *Confirmo te in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Nam constans est eruditorum opinio, plurima succedentibus temporibus ei libro insita atque adjuncta fuisse, inter quæ est illud quod objicitur, quandoquidem Amalarii ætate in eo non legebatur. Liber Sacrament. S. Gregori hæc habet, ac præterea nihil. *Pontifex veniens ad infantes tenente Archidiacono Chrisma, involutis scapulis & brachiis ex panno lineo, & levatâ manu suâ super capita omnium, dicit. Omnipotens sempiterne Deus qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum sanctum tuum Paraclετum de cœlis, Spiritum sapientiæ & intellectûs, Spiritum consilii & fortitudinis, Spiritum scientiæ & pietatis: adimple eos Spiritu timoris tui, & consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per Dominum &c. Et interrogantibus Diaconis nomina singulorum, Pontifex tincto pollice in Chrismate, facit crucem in fronte unius, similiter in omnes sigillatim. Quibus expletis, jussi incipiunt in Ecclesia Litaniam ternam &c.* Pontificale, quod putatur esse Anglicanum, ante DCCC. annos descriptum, & in Rothomagensi Ecclesia asservatum, nihil habet in ritu Confirmationis præter benedictionem istam. *Benedicat vobis omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in Baptismate per Spiritum sanctum remissionem omnium peccatorum tribuit. Amen. Qui eundem Spiritum in igneis linguis discipulis*

ſuis dedit, ipſius illuſtratione corda noſtra perluſtret, atque in ſui amorem jugiter accendat. Amen. Quatenus ejus dono à cunctis vitiis emundata, ipſiuſque opitulatione ab omnibus adverſitatibus defenſi, templum ipſius effici mereamur. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur. Pontificale vetus (Remenſis Eccleſiæ forſan) quod in Abbatia S. Theodorici extat, cujus in ritu Baptiſmi hæc verba ſunt. *Veſtitur infans veſtimentis ſuis. Si verò Epiſcopus adeſt, ſtatim confirmari eum oportet Chriſmate, & poſtea communicari. Et ſi Epiſcopus deeſt, communicetur à Preſbytero dicente ita :* CORPUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUSTODIAT TE IN VITAM ÆTERNAM. *Amen. Oratio ad infantes deſignandos. Omnipotens &c.* (ut ſuprà in lib. Sacr. S. Gregorii,) *poſtquam orationem ſequuntur Litaniæ.* Ex quibus ita ratiocinor. In Pontificalibus, ubi ritus Sacramentorum referuntur, nemo dicet omitti eorum formas eſſentiales. Atqui in laudatis Pontificalibus nulla eſt mentio formæ niſi *deprecatoriæ*, quâ invocetur atque invitetur Spiritus ſanctus.

IV. Forma eſſentialis Sacramenti conſiſtit in verbis quæ proferuntur tùm, cùm ponitur materia eſſentialis. Atqui *oratio* profertur, cum manus imponitur ſuper confirmatum, quæ manûs impoſitio eſt materia eſſentialis Confirmationis, & nihil pronunciatur præter orationem. Ergo oratio eſt forma eſſentialis Confirmationis.

V. Vel forma eſſentialis Confirmationis ſita eſt in *oratione*, vel in verbis iſtis: *Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis &c.* Non in verbis iſtis poſterioribus : tum quia ordinem habent ad conſignationem & inunctionem, quæ ſunt materia duntaxat integralis, non ad manûs impoſitionem : tum etiam quia nullum eorum intueri eſt veſtigium in tota antiquitate, nullum in Scripturis: cùm è contra tota meminerit antiquitas *orationis* ſeu deprecationis, imò & eadem in Scripturis ſanctis expreſsè conſpiciatur.

VI. Communis eſt Græcis cum Latinis forma *deprecatoria.* Ut enim in Pontificalibus, quibus etiamnum Eccleſia Occidentalis utitur, agnoſcimus orationem uſurpari quæ refertur in Ordine Rom. in lib. Sacram. S. Gregorii, cæteriſque Pontificalibus : ita conſtat ex Euchologio uſurpari in Orientali Eccleſia deprecationem atque inunctionem confirmatoriam, ſic orante poſt Baptiſmum Pontifice atque invo-

cante Spiritum sanctum. *Benedictus es Domine Deus omnipotens, fons bonorum, sol justitiæ, qui per unigeniti Filii tui & Dei nostri apparitionem, velut salutis sol, iis qui in tenebris erant, illuxisti, & nobis indignis beatam purgationem in vivifica unctione contulisti : qui & nunc recèns illuminatum servum tuum per aquam & Spiritum, sponte atque etiam indeliberatè commissorum remissione ei concessâ, regenerare voluisti : ipse, Domine, Rex omnium benigne, signaculum doni sancti & omnipotentis, & adorandi tui Spiritus & sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi tui communionem ei largire. In sanctitate tua custodi illum, in vera fide confirma, à maligno & omnibus ejus astutiis illum erue : & salutari tuo timore in pietate & justitia animam illius custodi ; ut in omni verbo & opere tibi placitus filius & hæres evadat regni cœlestis.* Differunt autem in alia forma. Cùm enim Latini dicant : *Signo te signo crucis & confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Græci utuntur hac formulâ inter ungendum : *Signaculum doni Spiritus sancti.* Quæ formula in eo distinguitur à Latina, quòd non contineat expressam invocationem sanctissimæ Trinitatis sub distinctis trium personarum nominibus ; & quòd neque exprimat subjectum in quo Sacramentum recipitur, neque etiam Chrismationem. Unde factum est, ut nonnulli è Theologis dubitaverint, utrùm valeat Sacramentum Confirmationis apud Græcos, supposito quòd nihil aliud ab ejusmodi verbis agnoscant in formam illius : sicut meritò quis revocaret in dubium Baptisma, quod sub ista verborum formula conferretur : *Baptismus regenerationis Spiritus sancti.* Sed supposito quòd essentialis forma Confirmationis sit deprecatoria, forma utriusque Ecclesiæ essentialis erit eadem quoad substantiam ; videlicet oratio, qua advocatur atque invitatur Spiritus sanctus : neque erit ratio dubitandi de validitate illius apud Græcos, ut certè dubitari de eo sinè temeritate vix potest. Ecquis enim sibi meritò persuaderet Orientales à tot sæculis caruisse tanto Sacramento ? Itaque forma essentialis Confirmationis est deprecatoria.

Objicies Decretum Eugenii IV. *Forma autem est:* SIGNO TE SIGNO CRUCIS, ET CONFIRMO TE CHRISMATE SALUTIS IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI.

Respondeo, formam esse integralem, non essentialem :

ſicut Chriſma eſt integralis materia & non eſſentialis. Hoc patet: quia ſi forma eſſentialis hìc referretur, ſequeretur eam non valere, in qua tres perſonæ non exprimerentur ſub diſtinctis atque propriis ſingularum nominibus: adeoque non reperiri Sacramentum Confirmationis apud Græcos, apud quos non ſic exprimitur. Sequeretur etiam quòd liceret Latinis Theologis aſſerere ejuſmodi invocationem non requiri ad validitatem Sacramenti, quod abſurdum. Nam ſi meritò S. Thomas in IV. diſt. III. art. II. ad I. Paludanus eadem diſt. q. I. in III. quæſito, & alii concludunt neceſſe non eſſe exprimi in Baptiſmo perſonam Miniſtri, quia aliàs Baptiſmus Græcorum in quo perſona illa non exprimitur, minimè valeret: pari ratione invocatio Trinitatis diſtincta non eſt neceſſaria in Confirmatione, quia valet forma Græcorum. Sequeretur amplius non valere eam formam, qua Eccleſia Romana uſa eſt aliquando, teſte Ordine Romano, ſicut nunc editus eſt: *Confirmo te, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Ubi videlicet iſta verba reticentur: *Signo te ſigno crucis*; &: *Chriſmate ſalutis.* Sicut neque alteram, quæ legitur in Pontificali veteri D. & ampliùs annorum ſancti Germani Pratenſis, & eſt ejuſmodi: *Confirmo te & ſigno. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*: ſuppreſſis iſtis vocibus: *Chriſmate ſalutis*; &: *Signo crucis.* Quod abſurdum etiam eſt. Quòd ſi quis contenderit ea verba continere formam eſſentialem, & aliquid præterea: contrà ego inſtabo. Non magis hæc eſt forma eſſentialis Confirmationis, quàm ſit iſta eſſentialis forma ordinationis Preſbyteri: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*: aut aliæ ſimiles, quæ continentur in Pontificali Romano, ſint eſſentialis forma cæterarum ordinationum, quia decretum Eugenii eodem modo ſtatuit de iſtis, quo de illa. *Forma Sacerdotii*, inquit, *talis eſt: Accipe poteſtatem &c.* At formæ iſtæ non ſunt eſſentiales formæ ordinationum: quia neque uſurpatæ fuerunt antiquitus in Eccleſia Latina, ut perſpicuum fit ex veteribus noſtris Pontificalibus; neque etiamnum uſurpantur in Eccleſia Græca. Ergo neque illa eſt forma eſſentialis Confirmationis. At enim, teſte Nauclero in Chronico, & S. Antonino, qui Concilio Florentino præſens fuit, cùm Armeni miſiſſent ad Eugenium IV. Oratores ſuos Florentiam, ſupplicantes inſtrui de

de fide Romanæ Ecclesiæ, & uniri cum illa, *in paucis reperti sunt dissentire à Catholica fide, & in his subjecerunt se Apostolicæ Sedis correctioni. In cæteris ritibus propriis qui non sunt contra veritatem fidei, permissi sunt ab eadem Apostolica sede permanere, non secus ac Græci, licèt dissimiles sint à moribus Latinæ Ecclesiæ. Quibus verò à fide vera discrepabant, his prohibere debere, ut quod Sacramentum Confirmationis* (verba Naucleri refero) *non habebant in usu conferendi illi nationi, declarato iis, quòd illud sicut cætera Sacramenta debeant accipere, credere & conferre, & aliqua alia, quibus acquieverunt.* Forma ista, *Signo te signo crucis*, non pertinet ad fidem: quandoquidem nec ipsà Græci utuntur; sicut neque porrectio instrumentorum, formæve ei correspondentes in ordinatione ad fidem pertinent: quæque Eugenius de illis in decreto suo inseruit, eo fine duntaxat inseruit, ut Armenos, qui subjectionem Ecclesiæ Romanæ spondebant, vel alliceret ad eos usurpandos, si ita illis institutis bene videretur, vel saltem de ipsis edoceret.

Quando dico Eugenium in instructione Armenorum solùm meminisse materiæ & formæ integralis Sacramenti Confirmationis, nihil ampliùs dico, quàm quod *Martinus Becanus* in simili. Ille III. p. q. IV. c. XXVI. de Sacram. Ordinis, statuit duplicem materiam *ordinationis*, alteram à Christo *essentialem*, alteram ab Ecclesia *integrantem*: opponitque sibi decretum illud unionis Armenorum, è quo concludi videtur solam instrumentorum porrectionem esse illi essentialem, ut pote quòd illius solius mentio fiat. Cui objectioni satisfacit in hæc verba. *Concilium Florentinum in instructione Armenorum solùm meminit materiæ* ACCIDENTALIS, *quæ ab Ecclesia fuit instituta, non autem* SUBSTANTIALIS, *quam Christus præscripsit: quia hæc ex Scripturis & antiquis Patribus erat satis cognita, non autem illa.* Et infrà. *Nota, antiqua Concilia assignasse materiam à Christo institutam, Florentinum verò materiam assignasse* QUAM ECCLESIA INTRODUXIT. Quàm quod *Ludov. Meratius* disp. VII. sect. II. his verbis. *Concilium non suscepisse ex professo declarandam accuratè singulorum ordinum materiam & formam* TOTALEM *ac integram, sed solùm, per cujus traditionem potestas ordinis conferretur.* Quàm quod *Gamachæus* III. p. tract. de Sacram. ordinis cap. IV. §. II. *Probatur*: ubi cùm statuisset manûs impositionem esse

Nn

materiam essentialem Presbyteratûs & Diaconatûs ordinationis; ad objectionem eductam ex illo decreto commemorante instrumentorum porrectionem, respondet, *Concilium Florentinum meminisse solùm porrectionis instrumentorum, patenæ & calicis cum pane & vino, quia* ALTERA CÆREMONIA SATIS ERAT PER SE NOTA, *& ex Scripturis, & ex perpetua Ecclesiæ traditione; nec Armeni, aliique Orientales Christiani ullo modo de ea dubitare poterant, sed solùm de porrectione instrumentorum.* Quàm quod *Ysambertus*, de Sacram. Ordinis disp. III. a. III. §. *Tandem probatur*, his verbis. *Neque his obstat, quòd Florentinum suprà non meminerit impositionis manuum Episcopi pro ordinatione Diaconatûs. Nam ibi non tradit per modum Ritualis* TOTAM MATERIAM *totalis istius ordinis, sicut nec totam Presbyteratûs adæquatè considerati materiam explicat; sed* ALIQUAM TANTUM *unius atque alterius ordinis; & quoad reliqua ibi nos remittit ad Pontificale Romanum, in quo omnia latè continentur: & fortè ideo Concilium ibi potiùs meminit traditionis instrumentorum, quia Patres & Concilia passim meminerunt impositionis manuum, ac porrectionis instrumentorum non ita communiter; vel denique quia hæc expositio Sacramentorum novæ Legis, & aliorum quæ continentur in decreto Eugenii, fiebat potissimùm propter Armenos & Orientales instruendos, ut ex ejus lectione facilè colligitur. At Armeni & Orientales nullo modo dubitabant de manuum impositione, sed tantùm poterant dubitare de instrumentorum traditione.* Quàm quod Franc. Hallier, dum viveret Cabellicensis Episcopus lib. de sacris electionibus pag. CCCCXLI. *Concilium Florentinum* NON OMNEM *ordinationis materiam attulisse, sed eam solam, quæ & expressiùs effectum ordinum explicaret, & eorum differentiam evidentiùs oculis subjiceret: seu Concilium maximè spectasse Armenorum instructionem in eo decreto; eamque proinde materiam præcipuè tradidisse, de qua præsertim Armeni unionem Ecclesiæ Romanæ appetentes instruendi erant.* Quàm quod denique ante illos omnes *Bellarminus* lib. 1. de Sacram. ordinis cap. IX. *Concilium Florentinum non explicuisse* TOTUM RITUM, *sed solùm unam partem.* Et postea. *Cur autem Concilium Florentinum ex duabus partibus magìs exprimere voluit porrectionem instrumentorum, quàm impositionem manuum, duplex ratio esse potuit. Una, quia intendebat assignare pro materia rem aliquam subsistentem, sicut fecit in Baptismo, Confirma-*

tione, Eucharistia & Extrema-unctione : res autem subsistens non est impositio manuum, sed calix & patena &c. Altera causa est, quia fortasse Armeni, qui à Concilio instruebantur, in hac re errabant & non in alia.

Sed enim, si licuit istis authoribus propugnare aliam esse materiam ordinationum Presbyteri & Diaconi à *porrectione instrumentorum*, & aliam *formam* à verbis correspondentibus illi materiæ, etiamsi Eugenius non meminerit alterius materiæ vel alterius formæ ; quia videlicet mentio fit in Scripturis & Patribus, alterius materiæ, nempe manûs Episcopalis impositionis, & alterius formæ illi manûs impositioni congruentis : quidni licebit asserere aliam esse materiam Confirmationis à Chrismatione, & aliam formam à verbis istis: *Signo te signo crucis &c.* quandoquidem reperimus in Scripturis & Patribus adhibitam in Confirmatione manûs impositionem cum oratione ? Si fas illis fuit dicere Eugenium loco isto non totum ritum, sed partem ritûs commemorasse : quidni fas erit nobis pariter dicere non totum ritum, sed partem ritûs Confirmationis ab eodem Pontifice in eodem decreto fuisse commemoratum ? Si nihil prohibuit quominus assererent partem omissam fuisse ab Eugenio, vel quia materiam volebat assignare stabilem, non fluxam qualis est manûs impositio ; vel quia decretum conditum est causâ duntaxat instruendorum Armenorum, quibus altera cæremonia in manûs impositione constituta nota satis erat ex Scripturis & ex perpetua Ecclesiæ traditione, cùm ipsi Armeni de sola porrectione instrumentorum possent ambigere ; vel denique quia propositum fuit Eugenio eam solam eligere materiam proponendam quæ & expressiùs ordinum effectus explicaret, & eorum differentiam evidentiùs oculis subjiceret : nihil certè vetabit quominus iisdem de causis asseramus, Pontificem, ubi Confirmationem explicuit, de manûs impositione atque oratione conticuisse ; & quia Chrisma est quid stabile, & quia notæ satis erant manûs impositio, atque ei adjuncta oratio Confirmatoria ex Scripturis, atque ex Ecclesiastica traditione ; & quia evidentiùs quasi subjicitur oculis effectus hujusce nostri Sacramenti per Chrisma, & per ista verba: *Signo te signo crucis &c.* quàm per manûs impositionem & orationem. Si denique Becanus eam quam Eugenius commemoravit unicam materiam ordinationis, potuit absque ulla

formidine pronunciare esse ex institutione Ecclesiæ, non Christi, atque adeo accidentalem: opinio quæ agnoscit Chrisma & formam ei congruentem esse materiam & formam Confirmationis integrales, & ex instituto Ecclesiæ, extra censuram omnem esse debet.

Unum verò est, quod observem circa modum loquendi Theologorum istorum, ubi laudant decretum Eugenii, quasi decretum Concilii Oecumenici. Etenim revera Concilium Oecumenicum dissolutum erat quando Armeni Florentiam pervenerunt. Editum fuit decretum unionis Græcorum anno M. CDXXXIX. pridie nonas Julii. Subscriptum est tomis V. seu exemplaribus decreti ad Patriarchales Ecclesias transmittendis ejusdem mensis diebus XX. & XXI. *Ita*, inquiunt Acta Concilii, *finem habuit totum negotium sanctæ unionis. Post aliquot dies venerunt ex Armenia Apocrisarii Patriarchæ Armeniorum, quærentes & ipsi unionem, fideique rectitudinem: qui etiam Beat. Papam venerati, viserunt Imperatorem, consiliumque suum & animum de conficienda cum Ecclesia Catholica unione exposuerunt, petentes ut ferret auxilium, & prudentiâ suâ juvaret. Imperator autem respondit: multùm sibi placere eorum studium, & gratum fore si accesserint ad Orthodoxam fidem & Catholicam Ecclesiam, & precari Deum pro dirigenda eorum unione, quæ ut fieret, se quoque promisit ad negotium quodlibet, & quicquid illi opus fuerit, adjutorem. His dictis, recesserunt Armenii. Nos verò Florentiâ exeuntes Venetias petivimus, & inde rursus domum rediimus.* Decretum unionis Armenorum promulgatum ponitur duntaxat X. Kalend. Decembris ejusdem anni, hoc est, post Orientalium ex Urbe recessum. Quòd itaque decretum illud datum Florentiæ scribitur in publica sessione Synodali; noli Oecumenicam intelligere, sed Episcoporum duntaxat eorum ex Occidente, qui remanserunt Florentiæ, Eugenio Præside congregati post discessionem Græcorum per tres fere annos, videlicet usque ad annum M. CDXLII. donec Basileenses imposuissent finem cœtui suo, quos Romanus Pontifex metuebat. Quâ de causâ Cardinalis à Monte Præses Concilii Tridentini in Congregatione generali die XXVI. Aprilis M. CDXLVII. Episcopo Clodiensi, qui excitaverat difficultatem de Bulla unionis Jacobitarum, & contenderat non pertinere ad Conc. Florent. quod terminatum fuerat à M. CDXXXIX. cùm Bulla prædicta Jacobitarum

data esset anno duntaxat M. CDXLI. dixit hallucinari eos, qui putant finem impositum fuisse Concilio, quando unio Græcorum facta est: cùm illud per tres ferme annos ab unione facta duraverit; nempe, Synodus conflata ex solis Occidentalibus, postquam Græci recessere. Referunt istud Spondanus ad annum M. CDXXXIX. num. XVIII. ex Actis Concilii asservatis Romæ in Arce sancti Angeli, & Palavicinus Historiæ Concilii Tridentini p. I. lib. VI. c. XI. pag. DLVII. & DLVIII.

ARTICULUS SECUNDUS.

De forma integrali Sacramenti Confirmationis.

APUD Latinos post Eugenium IV. forma in usu est: *Signo te signo crucis, & confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Ad quam revocantur nonnullæ aliæ, quæ in diversis locis habentur: ut ea quæ loco (*salutis*) habet (*sanctificationis*) cujusque meminerunt Hadrianus & S. Thomas, dicentes in idem cum præcedenti recidere. Ea quæ apud Guillelmum Antissiodorensem lib. IV. tract. IV. *Confirmo te signo crucis, & Chrismate salutis. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Quæ apud Guillelmum Parisiensem lib. de Sacramentis. *Consigno te & cruce confirmo &c.* Quæ in veteri Pontificali sancti Germani Pratensis. *Confirmo te & signo. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Et quæ in Ordine Romano: *Confirmo te. In nomine Patris &c.*

Apud Græcos communis est ista: *Signaculum doni Spiritus sancti*, ut constat ex Euchologio. Alia tamen hæc apud Severum Alexandrinum conspicitur lib. de Ritibus Baptismi. *Chrismate sancto suavitatis odoris Christi Dei, sigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus sancti obsignatur* N. *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, ad vitam sæculi sæculorum. Amen.*

Omnes istæ formæ probantur nobis, qui contendimus exprimi per eas & similes formam *integralem*, atque ex solius Ecclesiæ institutione; neque esse *essentialem*, nisi supposito quòd unctio sit de institutione saltem mediata Christi Domini. Quicunque verò ex Theologis existimant hæc aut si-

milia verba continere formam *essentialem*; quærunt, utrùm forma communis Græcorum valeat? Sunt qui dicant non valere. Meliùs alii validam esse contendunt, quorum optimum fundamentum est usus præsentis ac veteris Ecclesiæ Orientalis, ut constat ex Bessarione, ex Euchologiis, cæterisque relatis ab Arcudio lib. II. de Sacram. c. VI. & VII. Quem veteris Ecclesiæ Orientalis usum Occidentalis nusquam reprobavit, sive pronunciando Confirmationem sub ea verborum formula collatam esse nullam & invalidam, sive etiam Orientales iterum confirmando.

Quod in contrarium opponitur frivolum est. Dicunt Confirmationem esse Baptismi perfectionem & complementum, atque ad profitendam fidem ordinatum, cujus præcipuum mysterium est Trinitas; adeoque quòd in ejus forma personæ Trinitatis eodem prorsus modo nominari debent, quo nominantur in Baptismate. Sed respondent alii Trinitatem invocari posse dupliciter; *implicitè* in unico nomine, vel *explicitè* nominando expresse & distinctè sub distinctis nominibus tres personas divinas. Incertum esse apud Theologos, utrùm implicita Trinitatis nominatio sufficiat in Baptismo; &, si sufficiat, in nihilum abire objectionem: quia forma Confirmationis apud Græcos implicitè eam nominat nominando Spiritum sanctum. Nam ut ait Ambrosius lib. I. de Spiritu sancto c. III. *Si Spiritum dicas; & Deum Patrem à quo procedit Spiritus; & Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nominasti.* Quòd si explicita necessaria sit in Baptismo, non esse consequens, quòd sit ejusdem necessitatis in Confirmatione: quia in iis quæ sunt ex institutione non valent argumenta à simili, sed sola voluntas instituentis spectanda est, quæ manifesta fit ex traditione Ecclesiæ.

Quod II. aiunt, subjectum seu suscipientem nullo modo exprimi à forma Græcorum, qui tamen & in forma Baptismi, & in forma Confirmationis Latinorum exprimitur; eodem modo evertitur ab adversariis negantibus id requiri ad validitatem formæ tum Baptismi, tum etiam Confirmationis apud Latinos, & concludentibus eodem modo quo S. Thomas & Paludanus concluserunt de expressione Ministri in Baptismo. Illi siquidem, ex eo quòd Minister non exprimitur apud Græcos, quorum Baptismus non reprobatur à Latinis; inferunt non esse de necessitate Sacramenti ut expri-

matur in forma Baptiſmi : ſic adverſarii, ex eo quòd ſubjectum ſeu ſuſcipiens non exprimitur in forma Confirmationis Græcorum, quam Orientalis Eccleſiæ Confirmationem nunquam Eccleſia Romana invalidam eſſe declaravit ; concludunt non eſſe de neceſſitate Sacramenti ut ſubjectum exprimatur in Confirmatione.

Quod III. objiciunt, in forma Græcorum exprimi quidem conſignationem in actu exercito, non tamen quatenus fit Chriſmate ; qualis debet exprimi, cùm hæc conſignatio Chriſmate fiat : refellitur etiam ab adverſariis opponentibus vocem iſtam non fuiſſe uſitatam in forma Confirmationis apud nonnullas Occidentales Eccleſias : ut conſtat ex loco cit. Guillelmi Pariſienſis, & ex veteri Pontificali, quod Cœnobium Sancti Germani Pratenſis aſſervat.

Quod IV. opponunt, irritum fore Baptiſmum ſub hac verborum formula celebratum : *Baptiſmus regenerationis Spiritus ſancti* : ac proinde irritam atque invalidam eſſe Confirmationem collatam ſub his verbis : *Signaculum doni Spiritus ſancti* : ſolvitur ab adverſariis dicentibus. I. dubium eſſe, utrùm Baptiſmus ſic collatus non valeret. II. ſuppoſito quòd non valeret ; diſparitatem eſſe, quia conſtat ex traditione Eccleſiaſtica Confirmationem Græcorum valere.

DISPUTATIO QUINTA.

De Gratia, altero Confirmationis effectu.

ARTICULUS PRIMUS.

Qualis sit Gratia quæ confertur per hoc Sacramentum?

EST *habitualis* & *gratum faciens*. Non est *prima* saltem *per se*. Est *secunda* : quia Confirmatio non est per se instituta ad remissionem culpæ, sed ad augmentum firmitatemque justitiæ : & ait S. Thomas III. p. q. LXXII. a. VII. ad II. *Sicut ex ipso nomine apparet, hoc Sacramentum datur ad confirmandum quod priùs invenerit : & ideo non debet dari hìs qui non habent gratiam. Et propter hoc, sicut non datur non baptiZatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pænitentiam reparatis. Unde dicitur in Aurelian. Concilio ut jejuni ad Confirmationem veniant, ut moneantur Confeßionem facere priùs, ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere. Et tunc per hoc Sacramentum perficitur Pænitentiæ effectus sicut & Baptismi : quia per gratiam collatam in hoc Sacramento consequitur pænitens pleniorem remißionem peccati.*

Est ergo gratia confirmatoria, gratia *perficiens*, gratia *augmenti*, gratia *consummationis*, gratia *roboris*, gratia *quâ fimus perfectè Christiani*. Ita de ea Sancti Patres.

Perficientem appellarunt Patres Eliberitani Can. XXXVIII. *Ut*

Ut per manuum impositionem perfici possit. Et Can. LXXVII. *Eos per benedictionem perficere debebit.* Joannes VIII. Epist. CCXXII. & CCXXXIII. *Perfectionem veram.* Yvo Carnotensis Serm. I. *Postquam perfectio fit.* Gofridus Vindocinensis opusculo VIII. *Ad totius perfectionis similitudinem.* Ita etiam author lib. de Sacram. apud Ambrosium lib. III. c. II. *Post fontem, superest ut Perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Ac denique Epistola sub nomine Fabiani edita. *Sancti Chrismatis unctione perficitur.*

Gratiam *augmenti* nuncupaverunt Hilarius Arelatensis Homilia de Pentecoste. *In Confirmatione augmentum præstat ad gratiam.* Gofridus Vindocin. Opusc. IX. *Tribuitur ad virtutis augmentum.*

Gratiam *consummationis.* Cyprianus Epist. LXXIII. *Et signaculo Dominico consummentur.*

Gratiam *roboris.* Hilar. Arelat. ibidem. *In baptiZato benedictio illa munitio est.* Et postea. *Paracletus regeneratis in Christo custos & consolator & tutor est. Post Baptismum confirmamur ad pugnam, post Baptismum roboramur. Victuris necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Alcuinus ad Oduvinum. *Ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis.* Rabanus Maurus lib. I. c. XXX. *Ut roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis idem donum quod ipse in Baptismate consecutus est.* Petrus Damiani Serm. I. *Hic ad pugnam hic virtutibus præmunimur.* Yvo Carnot. Serm. de excell. Sacr. ord. *Arma spiritualia contra hostes invisibiles per manûs impositionem accepistis.* Gofridus Opusc. VIII. *Muniat & defendat,* Hugo à S. Vict. lib. I. de Sacram. c. XXII. *In Baptismo datur Spiritus ad remissionem : hic vero ad robur.* Adde Epistolam quæ vulgò Melchiadis nomine circumfertur. *Post Baptismum confirmamur ad pugnam. Post Baptismum roboramur.* Huc lubet referre, quæ sancti Patres scripsere de gratia collata ipso die Pentecostes.

Gratiam denique, *qua perfecti Christiani sumus.* Cyrillus Hierosſ. Catechef. III. Mystag. *Hujus Chrismatis dono accepto meritò appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione : antè enim quàm hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eò usque progressi estis ut efficeremini Christiani.* Similis est Canon. VI. Conc. Aurelian. apud Yvonem I. p. Decr. c. CCLIV. *Nunquam erit Christianus, nisi in Confirmatione Episcopali fuerit*

Chriſmatus. Epiſt. ſub nomine Urbani. *Ut plenè Chriſtiani inveniantur*. Epiſt. ſub nomine Clementis Rom. ad Julium & Julian. *Aliter perfectus eſſe Chriſtianus nequaquam poterit, nec ſedem habere inter perfectos*. Huc revocanda quoque ſunt, quæ modò obſervabamus de gratia *perficiente* : quandoquidem Confirmatio nuncupatur *perfectio*, ſeu quia perficit Baptiſmum, ſeu etiam quia totius Chriſtianitatis atque ſalutis eſt perfectio.

Gratia *perficiens* eo ſenſu nuncupatur, quia facit ut fideles è ſtatu infantiæ atque pueritiæ ſpiritualis aſſequantur ſtatum ætatis perfectæ Chriſtianæ vitæ. Gratia *augmenti* pariter eo ſenſu appellatur, quia quaſi intrinſecùs Chriſtianus augetur per Confirmationem. Et hæc perfectio atque illud augmentum eſt alterius rationis à perfectione atque ab augmento quod conſequimur Euchariſtiæ perceptione, ut rectè S. Thomas obſervavit III. p. q. LXXIII. a. I. c. *Sicut*, inquit, *ad vitam corporalem requiritur generatio per quam homo vitam accipit, & augmentum quo homo perducitur ad* PERFECTIONEM *vitæ; ita etiam requiritur alimentum quo homo conſervatur in vita. Et ideo ſicut ad vitam ſpiritualem oportuit eſſe Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis regeneratio, & Confirmationem, quæ eſt ſpirituale augmentum; ita oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum*. Et ad I. *Dicendum, quòd duplex eſt* PERFECTIO. *Una quæ eſt in ipſo homine ad quam perducitur per* AUGMENTUM; *& talis perfectio competit* CONFIRMATIONI : *alia autem eſt perfectio quam homo conſequitur ex* ADJUNCTIONE ALICUJUS EXTRINSECI *hominem conſervantis, puta ex adjunctione cibi vel indumenti, vel alicujus hujuſmodi; & talis perfectio competit Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum*. Et q. LXXIX. a. I. ad I. *Reſtat ergo, ut cùm ipſum Sacramentum* (Euchariſtiæ) *realiter ſumitur, quòd gratia augeatur, & virtus ſpiritualis perficiatur. Aliter tamen quàm per Sacramentum Confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia ad perſiſtendum contra exteriores impugnationes inimicorum Chriſti. Per hoc autem Sacramentum augetur gratia & perficitur ſpiritalis vita, ad hoc quòd homo in ſe ipſo perfectus exiſtat per conjunctionem ad Deum*. Ex quibus etiam verbis habes unde cognominetur gratia *roboris*, & gratia *conſummationis*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm effectus iste sit ita proprius Confirmationis, ut ab alia causa procedere nequeat?

DIFFICULTAS est de *unctione verticali*, vel de *Eucharistia.*

Prima sit propositio. Effectus iste ita proprius est Confirmationis, ut suppleri non possit per *unctionem verticalem* in Baptismo adhiberi solitam. Ita Parisienses Theologi in censura quarundam propositionum oblatarum ex Anglia mense Februario anni M.DCXXXI.

Probatur I. ex Innocentio I. ad Decentium distinguente *verticalem unctionem* à *confirmatoriâ*, & dicente proprium esse Episcoporum tradere Spiritum sanctum, quod præstant ungendo *in fronte*: & quòd Presbyteri licet inungant *verticem* baptizatorum, Spiritum tamen sanctum tradere nequeunt. At Spiritus sancti donum est effectus proprius & legitimus Confirmationis.

II. Ex quo Presbyteri baptizantes jussi sunt à Sylvestro chrismare *in vertice*, Ecclesia religiosè custodivit semper, ut Episcopi ad ejusmodi baptizatos manum imposituri confirmatoriam accurrerent. Cur verò ita religiosè observasset illud causæ nihil, si effectus ille Confirmationis fuisset traditus per *unctionem verticalem*.

III. Patres qui docuerunt necesse esse suscipi Confirmationem ad perfectionem assequendam, ad augmentum atque ad robur, id omnes aut fere omnes pronunciaverunt de homine post receptam *unctionem verticalem* in Baptismate: nam fere omnes illi sunt Sylvestro posteriores. Ergo supposuerunt fideles non fuisse consecutos ejusmodi perfectionem, augmentum istud, robur hoc in Baptismate.

IV. Incertum est apud Theologos, utrùm *unctio verticalis* significet tantùm, ut existimant Guilelmus Altiss. Bonaventura, & alii post eos; an etiam aliquid efficiat: & eorum qui cum Sancto Thoma volunt, quòd efficit aliquid, nemo hactenus sensit, quòd efficiat gratiam sanctificantem, & gratiam ejusdem rationis cum gratia Sacramenti Confirmatio-

nis; sed ad summum, quasdam *pias motiones* & *auxilia actualia* ad conservationem gratiæ Baptismalis.

V. Si in potestate Ecclesiæ sit positum instituere quosdam ritus, quibus traditur effectus Sacramenti Confirmationis; erit in ejus arbitrio elevare, atque velut inanem reddere Confirmationem. Idem dicito de cæteris Sacramentis.

VI. Qui volunt eundem esse effectum *verticalis unctionis*, qui Confirmationis, suppeditant argumentum non contemnendum Hæreticis, quo probent Confirmationem esse institutionis merè Ecclesiasticæ. Quia si virtus eadem sit utriusque, non est quòd de instituente Christo magnopere posthàc laboretur.

VII. *Verticalis unctio* non magìs valet ad conservationem gratiæ Baptismalis, quàm valet exorcismus in Baptismo ad remotionem culpæ. Quia, ut S. Thom. III. p. q. LXXI. a. III. ponit unctionem & exorcismum inter cæremonias efficientes, & non purè significantes; ita tribuit exorcismo remotionem culpæ, sicut unctioni verticali attribuit conservationem gratiæ Baptismalis. At verò, ex eodem Sancto Thoma ibi, exorcismus non valet ad remotionem culpæ, ut per eum tollatur culpa, sed solùm ut tollantur impedimenta recipiendi remissionem culpæ. Ergo à pari *unctio* Baptismalis *in vertice* non valet ad robur immediatè, sed valet solùm ad aliqua, quibus anima veluti præparetur ad ejusmodi robur atque augmentum.

Dices I. Uncti *in vertice* censentur perfectè Christiani in sensu Patrum. At effectus Confirmationis est nos reddere plenè perfectéque Christianos. Ergo &c. Probatur major. Censeri plenè perfectéque Christianum, & jurè meritóque appellari Christianum apud Patres eandem rem significant. Nam ex Cyrillo Catech. III. Mystagogica. *Hoc accepto Chrismatis dono, meritò appellamini Christiani.* Justinus martyr. in qq. ad Orthodoxos q. CXXXVII. *Ungimur in Baptismo, ut Christi & uncti dicamur.* Ex Cypr. Epist. LXX. *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit: ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* Sed qui Chrismatur à Presbytero verticali unctione in Baptismo, meritò appellatur Christianus, teste Gersone II. p. in Compend. Theol. ubi de Sacram. qui consentanea in eo locutus est Rabano Mauro lib. I. cap. XXVIII. & Yvoni Car-

not. Serm. de Sacrament. Neophytorum.

Respondeo, unctos *in vertice* post Baptisma susceptum esse Christianos *intrinsecùs*, propter gratiam in Baptismo receptam; & *extrinsecùs*, propter Chrismationem verticalem. Illi tales aliquo etiam sensu cognominari possunt, *sed secundùm quid* tantum, & *non simpliciter* in sensu Patrum, nisi Sacramentum Confirmationis accedat Baptismo, & ejusmodi Chrismationi. Quia non dicimur tales *simpliciter* in sensu Patrum, nisi quando sumus assecuti perfectionem Christianismi. Unde Cyrillus loco citato. *Hujus Chrismatis* (confirmatorii) *dono accepto, meritò appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione. Antè enim quàm hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eò usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.* Justinus, ut suprà diximus, non est author libri qq. & responsionum ad Orthodoxos. Producendi essent Patres primorum v. sæculorum, quibus placuerit baptizatos non confirmatos cognominare *simpliciter* Christianos: non essent producendi authores posteriorum sæculorum de quibus modo agitur. Quanquam authores isti, sic cognominando fideles non confirmatos, longè absuerint ab assertione adversariorum, imò expresse scripserint effectum Confirmationis alium esse eumque multò nobiliorem effectu verticalis Chrismationis. Sic enim Rabanus c. xxx. loquitur. *Signatur baptizatus cum Chrismate per Sacerdotem* IN CAPITIS SUMMITATE, *per Pontificem verò* IN FRONTE: *ut* PRIORI UNCTIONE *significetur Spiritus sancti super ipsum descensio ad habitationem Deo consecrandam;* IN SECUNDA *quoque, ut ejusdem Spiritus sancti septiformis gratia cum omni plenitudine sanctitatis & scientia & virtutis venire in hominem declaretur. Tunc enim ipse Spiritus sanctus post mundata & benedicta corpora atque animas, libens à patre descendit, ut vas suum sua visitatione sanctificaret & illustraret: & nunc in hominem ad hoc venit, ut signaculum fidei quod in fronte suscepit, faciat eum donis cœlestibus repletum, & suâ gratiâ confortatum, intrepidè & audacter coram Regibus & potestatibus hujus sæculi portare, ac nomen Christi libera voce prædicare.* Quem locum S. Thomas refert III. p. q. LXXII. a. XI. ad III. Unde infert confirmatoriam unctionem reservari Episcopis propter potiorem effectum. *Non ergo*, inquit, *propter digniorem partem, sed propter potiorem effectum hæc unctio*

Episcopis reservatur. Yvo Carnot. Serm. laudato ita vult fidelem denominari Christianum ab unctione verticali, ut statim explicet eam signum esse merum gratiæ Baptismalis. *Cùm baptizatus*, inquit, *de fonte ascenderit, sacro Chrismate ungitur* IN VERTICE, *ut cognoscat se promotum esse in regium genus & Sacerdotale, id est, ut à Christi consortio vocetur Christianus & æterni regni sit cohæres, hoc Sacramento. Postquam perfectio fit, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus sanctus infunditur.* Gersonis sensus idem qui Rabani, quem laudat ibidem.

Dices II. Baptizati quibus adhibita est *verticalis unctio*, sunt uncti *exteriùs*, ut per se patet: *interiùs* quoque sunt uncti plenitudine & perfectione gratiæ sufficiente ad salutem, ut docet S. Thom. in IV. dist. VII. q. I. a. I. c. II. ad I. Ergo sunt plenè perfectéque Christiani.

Respondeo, baptizatos quibus sola verticalis unctio est adhibita, *inchoati* unctos esse extrinsecùs ea unctione quæ necessaria est ad denominandum plenè perfectéque Christianum in sensu Patrum, quanquam sint uncti ea unctione, quæ sufficit ut aliquo sensu Christiani dicantur. Eâ quoque per gratiam Baptismalem uncti sunt unctione, quæ plenitudinem & perfectionem gratiæ sufficientem ad salutem affert. Sed hæc plenitudo non est effectus Confirmationis ex S. Thoma, eodem loco docente aliam esse plenitudinem gratiæ, quæ est Confirmationis effectus. *Est*, inquit, *plenitudo gratiæ Christianæ sufficiens ad salutem, & hæc datur in Baptismo: & est plenitudo gratiæ ad fortiter resistendum, & hæc datur in Confirmatione, & sinè hac potest esse salus.* Concinunt Bonaventura & Altissiodorensis. Apud Patres ab hac posteriori plenitudine Christiani denominantur; ab alia sunt, non denominantur quod sunt.

Instabis, ex S. Aug. lib. XVII. de Civit. Dei c. IV. *Omnes Chrismate unctos rectè Christos possumus dicere.* Ergo ad mentem Patrum, etiam non suscepta Confirmatione, fideles sunt plenè perfectéque Christiani.

Respondeo Augustinum habere: *Omnes quippe unctos ejus* (hoc est Christi) *Chrismate &c.* Christi autem Chrisma illud est quo Christus unctus est à Patre, juxta illud Psalmi XLIV. *Propterea unxit te Deus oleo lætitiæ:* quod quidem oleum est spirituale. Quare locus iste non facit ad propositum. Sed etiamsi sermo foret de Chrismate corporeo, locus pro nobis.

faceret. Quia Chrisma confirmatorium est *Chrisma Christi*: Chrisma Baptismale est *Chrisma Ecclesiæ*, non Chrisma *Christi*.

Dices III. Chrismatio verticalis instituta est ad supplendum non modò *significationem* confirmatoriæ, sed etiam ejus *effectum*: nimirum ad conservandos & confirmandos homines in Baptismali gratia, ut docet S. Thomas III. p. q. LXXI. a. III. ad III. *Eorum*, inquit, *quæ aguntur post Baptismum, aliquid est quod non solùm significat, sed etiam efficit; putà unctio Chrismatis in vertice, quæ operatur ad conservationem gratiæ Baptismalis, ad robur quo resistamus peccato & quo profiteamur in persecutionibus fidem.* Unde Rabanus lib. cit. cap. XXVIII. *Spiritus sanctus per unctionem Chrismatis in Baptismate confert vigorem cœlestis gratiæ.* Et cap. præced. *A Sacerdote baptizatus inungitur, ut sacrum Baptisma cum fide accepta custodiatur.* Et id dicit Gerson loco laudato, *Chrismatione Baptismali mentem reddi imputribilem Deo.* Quod robur operatur ex opere operato juxta Sotum in IV. dist. XV. q. II. a. III. Cajet. ad q. LXXI. S. Thom. cit. Et Innoc. III. de sacra Unctione §. *Quia verò.*

Respondeo, effectum Confirmationis non esse conservationem qualemcunque gratiæ Baptismalis, sed esse conservationem, quæ fit à Spiritu sancto inhabitante animam, & eam donis suis cumulante. Verticalis unctio quibusdam Theologis significat & non operatur: quibus autem placet quòd operetur; placèt quòd operetur tantùm pios animi motus, qui vi precum Ecclesiæ impetrantur eâ inunctis. Eadem est ratio de Robore effectu Confirmationis, quod aliud est, longèque validius robore qualicunque quod præstat unctio verticalis, ut verba ipsa Rabani c. XXX. & S. Thomæ à me relata ostendunt. Sed & quod ex illius authoris c. XXVIII. objicitur, mendosè objicitur. *Virorem* habet ibi author alludendo ad ramum olivæ viridem, quem post diluvium columba reportavit ad Arcam, non habet *Vigorem*. *Bene quidem*, inquit, *Baptismo continuatur Chrismatis unctio. Quia Spiritus sanctus qui per illud Chrisma suæ virtutis admixtione significat credentes, baptizato Jesu, statim super illum in columbæ specie descendit: cujus videlicet typum præferebat columba illa, quæ in diluvio ad Arcam reportavit ramum olivæ virentibus foliis, significans utique, quòd Spiritus sanctus per Chrismatis unctionem in Baptismate virorem*

confert fidelibus cæleſtis gratiæ. Sed de hoc pleniùs in ſequentibus dicemus. Hoc eſt c. XXX. Viror autem iſte ſignificat ſpem. Quia viror eſt ſymbolum ſpei : & baptizatus hanc ſpem habet per Chriſmatis unctionem verticalem ; quâ, ut ipſemet dicit ibi, ſignificatur Spiritus ſancti deſcenſio ſuper baptizatum ad inhabitationem Deo conſecrandam. Quod objicitur ex cap. XXVII. eſt extra propoſitum. Quia non eſt ibi ſermo de unctione Chriſmatis *verticali*, ſed ſermo eſt de unctione quæ fit *in pectore* & inter *ſcapulas* ex oleo ſolo. *Ungetur*, inquit, *illius tunc pectus de oleo ſanctificato cum invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, ut nullæ reliquiæ latentis inimici in eo reſideant, ſed in fide S. Trinitatis mens ejus confortetur. Ungetur & inter ſcapulas de eodem oleo, ut undique muniatur, & ad bona opera facienda per Dei gloriam roboretur.* Joannes Gerſon ait. *Poſt Baptiſmum fit unctio Chriſmatis in vertice, ut appareat mens imputribilis Deo.* An iſtud idem eſt, ac, ut per illam unctionem fiat mens imputribilis ? Minimè ſanè, niſi iis quibus ſignum confunditur cum re ſignificata. Vult itaque Cancellarius Pariſienſis eâ loquendi ratione duntaxat, unctionem verticalem eſſe ſignum gratiæ Baptiſmalis, qua gratia Baptiſmali mens redditur imputribilis Deo. Falſum denique eſt unctionem verticalem operari ex opere operato motiones illas pias in quibus aliquid roboris ineſſe non inficior. Neque Cajetanus id dicit quod contendit objectio. Verba ejus ſunt: *Unctio illa operatur quoddam actuale auxilium faciens ex parte baptizati ad conſervationem gratiæ ſuſceptæ. Conſiſtit autem auxilium hoc in actu ſecundo, qui in adultis tunc excitatur aut adjuvatur : in parvulis autem non niſi tempore extenſionis gratiæ ad operationem locum habere poteſt.* Neque Innoc. III. meminit quoque *operis operati*, & eo loci æque Pontifex agit de unctionibus antecedentibus Baptiſmum ac de ſubſequentibus, *verticali* ſcilicet atque *confirmatoria*. Soto, fateor, exiſtimat unctionem ejuſmodi producere pios iſtos motus *ex opere operato*. Sed contrà eſt, quòd ſi non ſit in poteſtate Eccleſiæ inſtituere ſigna productiva gratiæ habitualis *ex opere operato*; neque in ejus poteſtate eſt inſtituere ſigna productiva ex opere operato actualium ejuſmodi auxiliorum, quæ æque ſunt à Deo, & æque ſunt ſupernaturalia, ac eſt ejuſmodi gratia habitualis. Deinde nullam videre eſt promiſſionem factam Eccleſiæ de eo in Scripturis, in Conciliis, in Patribus.

Dices,

Dices IV. Hugonem Victor. lib. II. de Sacram. p. VII. c. III. Rupertum lib. V. de divinis Officiis c. XVI. Amalarium lib. I. c. XXVII. & Rabanum lib. I. c. XXVII. docere cæremoniam Chrismatis fuisse institutam, ut suppleret defectum Confirmationis.

Respondeo, omnes istos authores velle duntaxat unctionem verticalem fuisse institutam, ut baptizati à Presbytero ungerentur, quando non possunt ungi per Episcopum in fronte, tùm quum baptizantur. Hugo eo loci stabilit necessitatem Confirmationis recipiendæ in re vel in voto: in re, quando recipi potest; in voto, per susceptionem Chrismationis verticalis. Audiendus ille est seipsum explicans. *In gestis Pontificalibus*, inquit, *legitur quòd Sylvester Papa constituit, ut baptizatum Presbyter in vertice Chrismate liniat, propter occasionem quidem transitûs mortis: ne fortè per absentiam Episcopi, & difficultatem eum consequendi, sinè manûs impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret; quod quidem omnino periculosum esset.* Et postea. *Propterea timendum est iis qui per negligentiam amittunt Episcopi præsentiam, & non suscipiunt manûs impositionem, ne fortè propterea damnentur, quia festinare debuerunt, dum potuerunt. Propter eos enim, qui articulo temporis præveniuntur, instituta est illa, quâ Sacerdos baptizatum statim in vertice linit, sacri Chrismatis unctio: ut in hoc ipso ostendatur, quantùm Sacramentum istud necessarium sit ad salutem, cùm tam sollicitè universis cavetur, ne fortè sinè ipso ab hac vita subtrahantur.* Observa inprimis hæc verba (*Ne fortè sinè manûs impositione baptizatum ab hac vita migrare contingeret*) in quibus procul dubio agitur de manûs impositione confirmatoria. Nam dum baptizatus ungitur in vertice, manus ei non imponitur. Ergo sensus est Sylvestrum constituisse unctionem verticalem fieri à Presbytero in Baptismate, tanquam votum aliquod atque desiderium consequendæ Confirmationis, ut videlicet illius participatione baptizatus protestetur se habere votum suscipiendæ manûs-impositionis confirmatoriæ. Observa II. has voces (*Quod quidem omninò periculosum esset.*) Unde sequitur occurri periculo in quo non confirmatus versaretur, si ungatur in vertice dum baptizatur. At quomodo potest occurri periculo isti per unctionem verticalem, nisi quatenus hæc includit Confirmationis votum atque propositum? Observa III. sequentia hæc verba (*Propterea timendum*

est iis ne fortè propterea damnentur, quia festinare debuerunt dum potuerunt,) quibus adhuc exprimitur necessitas voti Confirmationis, quando occasio illius suscipiendæ non sese offert. Observa IV. alia ista. (*Propter eos qui articulo temporis præveniuntur constituta est illa in vertice unctio, ut in hoc ipso ostendatur, quantùm Sacramentum istud sit necessarium ad salutem,)* quorum sensus est iste: instituta fuit unctio verticalis ad ostendendum Confirmationem esse necessariam ad salutem. Unde dico. Non est instituta ad ostendendam necessitatem Sacramenti Confirmationis, si possit ejus effectum supplere: ex quo enim effectus unius causæ habetur per alteram causam, causa illa necessaria dici non potest. Non est etiam instituta verticalis unctio ut sit Sacramentum Confirmationis propriè dictum: quia neque Hugoni neque ulli Theologorum venit unquam istud in mentem. Ergo superest ut instituta fuisse censeatur ad ostendendam necessitatem Confirmationis in re vel in voto: in re ubi suscipi potest, in voto ubi non potest. Hugo præterea eo loci ait, Spiritum Paracletum tradi per manus impositionem, & nunquam attribuit verticali Chrismationi talem effectum. Rupertus, loco ipso qui objicitur, nihil habet quod faciat ad propositum, præter Constitutum Sylvestri quod refert: sed eo mox relato, clarissimè pronunciat effectum Confirmationis alium esse ab eo quod homo in Baptismate, etiam adhibita verticali unctione consequitur. Sic enim continuò subjicit. *Fortè aliquis dicat: Quid mihi prodest post Baptismatis mysterium, mysterium Confirmationis? Nam si post fontem adjectione novi generis indigemus, quantùm video, non totum de fonte suscepimus. Non ita intelligendum est. Nam quid prodest, si quisquam parentum magnam parvulo conferat hæreditatem, nisi provideat illi tutorem? Paracletus quippe regeneratis in Christo custos & consolator & tutor est, qui possent, suadente diabolo, sicut parvuli facultatem, perdere Baptismi utilitatem, si hunc non habeant tutorem.* Amalarius quoque laudato cap. apertissimè distinguit effectum *Confirmationis* ab effectu *Chrismationis verticalis*, ita scribens. *Sacerdos qui ungit Neophytum, verbis suæ orationis, solutionem vinculorum & alligationem vulnerum monstrat dicens: Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum. In istis verbis & curationem intelligimus plagarum*

& solutionem vinculorum. Postea addit memoratus Sacerdos : Ipse linit te Chrismate salutis in vitam æternam. Episcopus verò transilit verba : Ipse te linit Chismate salutis : quasi ditior, non solùm ut salvare posit, sed etiam ditare, & dicit : Emitte in eum septiformem Spiritum sanctum tuum Paracletum de cœlis Spiritum sapientiæ &c. Rabanus denique nihil habet c. quod præcipuè objicitur præter Constitutionem Sylvestri. Sed c. XXX. asserit perspicuè Confirmationis effectum alium esse ab effectu Chrismationis verticalis. Verba descripsimus in Respons. ad I. objectionem.

Dices V. Post institutam Presbyteralem Chrismationem in vertice, Confirmatio Episcopalis non fuit tantæ necessitatis, quantæ priùs erat, ut colligitur ex Can. Concilii Arausi. I.

Respondeo, imò contrarium evinci ex eo Canone quemadmodum ostendimus disp. III. art. III.

Secunda propositio. Effectus iste ita proprius est Confirmationis, ut haberi nequeat per Eucharistiæ participationem. Probatur : quia Sacramenta distinguuntur à se invicem per habitudinem ad diversos effectus, ita ut qui effectus est proprius unius, illi sic conveniat ut non alteri. Atqui vel nullus, vel iste est proprius Confirmationis effectus.

Dices. Panis Eucharisticus *cor hominis confirmat* ex Scripturis : tribuit vires ad resistendum fortiter hostibus fidei, ex Cyp. Epist. LIV. & LVI. *auget atque perficit :* quia est alimentum animæ.

Respondet Joan. Gerson panem Eucharisticum hæc præstare *per accidens*, non *per se :* quam responsionem à suis Magistris acceperat, sed improbatam à Guil. Altissiodorensi lib. IV. tract. de Confirm. c. I. his verbis. *Dicunt Magistri, quòd Sacramentum Eucharistiæ non confirmat nisi* PER ACCIDENS *& ex sequenti; sed Sacramentum Confirmationis* PROPRIE *&* PER SE *confirmat. Sed hæc solutio nulla videtur esse : quia non solvit objectionem. Est enim objectio ad hoc, quòd duo Sacramenta non debent communicare in effectu.*

Respondet ergo, quòd Sacramentum Eucharistiæ non est ordinatum, ut omnes Christianos confirmet, sed aliquos duntaxat. *Dicimus*, inquit, *quòd Sacramentum Eucharistiæ quibusdam est panis, quibusdam est lac, sicut dicit Apostolus.* Et postea. *Illis ergo Corpus Christi lac est, qui in humanis virtutibus imitantur Christum ; & istos non confirmat, non corroborat : grandibus verò qui ipsum imitantur non solùm in humanis virtutibus,*

sed in divinis in quibus jam delectantur, panis est. Unde Dominus ad Augustinum : CIBUS SUM GRANDIUM, CRESCE ET MANDUCABIS ME, *& hujusmodi grandes confirmat. Quia ergo hoc Sacramentum Eucharistiæ non omnes confirmat, Sacramentum verò Confirmationis ad hoc est ut omnes confirmet, tam parvulos quam grandes, propter hoc non est superfluum ipsum ponere.*

Respondeo meliùs cum S. Thoma III. p. q. LXXIX. a. VI. c. Panem Eucharisticum confirmare & dare robur tanquam aliquid adveniens *extrinsecùs*, & reddens subjectum ejus firmius *intrinsecùs* contra interiora tantum, & non contra extrinseca, nisi in quantum, ut est quoddam signum passionis Christi per quam victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem : augere denique atque perficere animam in se ipsa per ordinem ad Deum : sed Confirmationem confirmare, roborare, augere, atque perficere, non tanquam ex adjunctione alicujus extrinseci, sed tanquam ab aliquo intrinseco in ordine ad expugnandas potestates exteriores infidelium. Eucharistia est alimentum, Confirmatio est Sacramentum plenitudinis ætatis. Sic ille art. VI. in quo quærit, *utrùm per Eucharistiam præservetur homo à peccatis futuris ? Dicendum*, inquit, *quòd peccatum est quædam spiritualis mors animæ. Unde hoc modo præservatur aliquis à peccato futuro, quo præservatur corpus à morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Uno modo, in quantum natura hominis interiùs roboratur contra interiora corruptiva : & sic præservatur à morte per cibum & medicinam. Alio modo per hoc quòd munitur contra exteriores impugnationes : & sic præservatur per arma quibus munitur corpus. Utroque autem modo hoc Sacramentum præservat à peccato. Nam primò quidem, per hoc quòd Christo conjungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis tanquam spiritualis cibus & spiritualis medicina, secundùm illud Psalmi :* PANIS COR HOMINIS CONFIRMAT. *Et Augustinus dicit super Joannem* SECURUS ACCEDE : PANIS EST, NON VENENUM. *Alio modo in quantum est signum quoddam passionis Christi per quam victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Unde Chrysost. dicit super Joannem. Ut* LEONES FLAMMAM SPIRANTES, SIC AB ILLA MENSA DISCEDIMUS TERRIBILES EFFECTI DIABOLO. Et art. I. *Restat, ut cùm ipsum Sacramentum realiter sumitur, quòd gratia augeatur, & vita spiritualis perficiatur. Aliter tamen quàm per Sacramentum*

Confirmationis, in quo augetur & perficitur gratia ad persistendum contra exteriores impugnationes inimicorum Christi. Per hoc autem Sacramentum augetur gratia & perficitur spiritualis vita, ad hoc quòd homo in se ipso perfectus existat per conjunctionem ad Deum.

Observa ad Cypriani locos qui objiciuntur, quòd viri illi, de quibus S. Doctor loquitur, susceperant Sacramentum Confirmationis : sed quia lapsi fuerant, adeoque à communione Ecclesiæ præcisi, reconciliandi erant & admittendi ad participationem Eucharistiæ, ut robur ab illis in Confirmatione primitus acceptum, exsuscitaretur. Deinde, eo ipso quòd Eucharistia nos conjungit Deo perfectiùs, consequens est nos esse paratiores per illam ad ardua quæque superanda, & ad gravia superanda pro illo : quia qui perfectè amat, omnia patitur pro eo quod sic amat. *Fortis ut mors dilectio.*

ARTICULUS TERTIUS.

De Gratia Confirmationis per respectum ad Baptismum.

QUÆRUNTUR tria. I. utrùm gratia confirmatoria supponat gratiam Baptismalem ? II. utrùm sit alterius generis a Baptismali ? III. utrùm nobilior sit Baptismali ? de quibus breviter.

Respondeo ad I. cum S. Thoma III. p. q. LXXII. a. VII. ad II. quòd, *quia Confirmatio datur ad confirmandum quod priùs invenerit, non debet dari nisi iis qui habent gratiam Baptismalem; vel saltem adultis peccatoribus nisi per pœnitentiam reparatis. Si tamen aliquis adultus in peccato existens, cujus conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc Sacramento consequetur remissionem peccatorum.* Ita verum est Confirmationem de lege ordinaria supponere gratiam Baptismalem : fieri tamen aliquando & per accidens posse ut eam ponat. Doctrinæ istius pars prior est consequentia præcedentium. Nam augmentum, robur, consummatio, perfectio supponunt rem antea existentem. Posterior verò pars intelligitur ex iis quæ Theologi vulgò docent de prima gratia col-

lata per accidens vi Sacramentorum primò & per ſe inſtitutorum ad conferendam ſecundam.

Reſpondeo ad II. cum eodem Doctore Angelico ibidem ad III. quòd *gratia Sacramentalis addit ſuper gratiam gratum facientem communiter ſumptam, aliquid effectivum ſpecialis effectûs, ad quod ordinatur Sacramentum. Si ergo conſideretur gratia in hoc Sacramento collata, quantùm ad id quod eſt commune, ſic per hoc Sacramentum non confertur aliqua alia gratia quàm per Baptiſmum, ſed quæ priùs inerat augetur. Si tamen conſideretur quantùm ad illud ſpeciale quod ſuperadditur, ſic non eſt ejuſdem ſpeciei cum ipſa.*

Reſpondeo ad III. quòd ſi duæ illæ gratiæ Sacramentales comparentur inter ſe penes id quod illarum utraque addit ſuper gratiam ſanctificantem, gratia Confirmationis eſt major & perfectior gratiâ Baptiſmali. Sequitur etiam ex dictis: Nam habet ſe ad gratiam Baptiſmalem, ut perfectivum ad perfectibile: perfectivum autem ſe habet ad perfectibile tanquam actus ad potentiam, & actus eſt perfectior potentiâ. Præclarè Rob. Pullus p. V. c. XXIII: *Eſt Confirmatio dignior Baptiſmo quantò dignius eſt athletam fieri quàm à morbo curari.*

DISPUTATIO SEXTA.

De Charactere, altero effectu Confirmationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Sacramentum Confirmationis imprimat characterem?

NOSTRA propositio est affirmans, & de fide ex Conc. Trid. sess. VII. Can. IX. adversùs Lutheranos & Calvinistas. Probaturque inprimis ex Apost. Heb. VI. *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, Baptismatum doctrinæ,* IMPOSITIONIS QUOQUE MANUUM. Quibus verbis Apostolus docet Confirmationem non magìs iterari posse quàm Baptismum. Ita Patres qui locum hunc interpretantur de Sacramento Confirmationis.

Probatur II. ex modo loquendi Patrum pronunciantium nos in Confirmatione signari tanquam milites Christi. Nam quemadmodum signaculum militiæ corporeæ nota quædam est atque signum indelebile quod non amittitur à desertore; ita signaculum militiæ Christianæ nota est spiritualis indelebilis atque inamissibilis: & hoc est quod nomine characteris intelligitur. Patres qui usurpaverunt hanc loquendi formulam sunt Tertul. lib. de Præscript. ubi docens quomodo diabolus in mysteriis idolorum æmulatur mysteria nostra, ait. *Signat illic in fronte milites suos.* Cornelius Rom. Epist. suprà laudata de Novatiano. *Neque Domini sigillo ab Episcopo obsignatus fuit.* Cypr. Epist. LXXIII. *Sigillo Dominico consum-*

mantur. Aurel. Prudent. Psyc. sect. vi. *Post inscripta oleo fronti signacula.* Et lib. Cathemerinon, Hymno vi. *Te Chrismate innotatum.* Innoc. I. ad Decentium. *Ut consignent.* Theodor. lib. iv. in Cantica. *Velut sigillum quoddam regium suscipiunt.* Leo Magnus Serm. iv. de Nativit. *Signaculum vitæ æternæ.* At verò quòd signaculum militiæ Christianæ sit nota quædam non minùs indelebilis quàm character & nota militiæ humanæ, docet B. Aug. lib. ii. contra Epist. Parmeniani c. xiii. his verbis. *An fortè minùs hærent Sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota: cùm videamus nec apostatas carere Baptismate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non restituitur, & ideo amitti non posse judicatur.*

Probatur iii. ex Aug. Serm. de Cataclysmo c. i. *Baptizatus es*, SIGNATUS ES REGIO CHARACTERE, *cœpisti consequi annonam de mensa regis tui.* Quibus verbis (*signatus es regio charactere*) significatur Sacramentum Confirmationis. Nam idem his significatur, quod sequenti c. per has voces (*unctus es oleo*) ubi habetur: *Baptizatus es, mundatus es, unctus es oleo, restauratum est corpus tuum ad priorem statum illius hominis ante peccatum.*

Probatur iv. ex lib. ii. contra litteras Petiliani cap. iv. ubi Donatistâ illo arguente pro invaliditate Baptismi collati apud Hæreticos, ex invaliditate Sacramenti Confirmationis eorundem, & ad id probandum abutente verbis istis Psalmi: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum:* Aug. apertè asserit Confirmationem æque valere apud Hæreticos atque Baptismum: adeoque ejus eandem esse rationem atque Baptismi quoad characterem agnoscit. Unde dico. Aug. in Baptismo characterem agnoscit, quia in bonis & pessimis reperitur, non amittitur, non deperditur à peccatore, sicuti character regis non deletur neque amittitur à desertore. Cùm ergo Aug. existimet eandem esse rationem Confirmationis quæ est Baptismi, æque juxta doctrinam illius, character est effectus Confirmationis ac est Baptismi effectus.

Probatur v. Potissima ratio perpetuitatis atque indelebilitatis seu characteris, (neque enim perpetuitas Confirmationi convenire debet nisi ratione characteris, quia Confirmatio quoad actum transit, & quoad effectum in gratia sanctificante constitutum deperditur per peccatum mortale ; ergo perpetuitas illius non est nisi quoad effectum alterum, qui est

character,

character:) petitur ex natura consecrationis, ex Aug. lib. II. contra Epist. Parmen. cap. XIII. qui hanc rationem affert propter quam neque Baptismus, neque ordinatio possunt iterari. *Utrumque enim*, inquit, *Sacramentum est, & quadam consecratione homini datur; illud cùm baptizatur, istud cùm ordinatur: ideoque in Catholica utrumque non licet iterari.* Et favet ratio: quia res semel ad usum aliquem Deo consecrata, talis quandiu existit, perpetuò manet. *Quicquid enim semel fuerit consecratum* (ait Dominus, Levit. ultimo) *Sanctum sanctorum erit Domino:* quam rationem S. Thomas amplectitur III. p. q. LXIII. a. I. & II. statuens hanc regulam, *quòd Sacramenta novæ Legis characterem imprimunt, in quantum deputantur homines per ea ad cultum Dei.* Atqui fideles per Confirmationem consecrantur Deo tanquam milites Christi, & deputantur ad agenda ea quæ pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei, ut ostendimus in præcedentibus.

Probatur VI. ex eodem Aug. loco cit. sæpius exposit. in Epist. ad Rom. considerante verba c. VI. ad Hebr. *Non iterum jacientes &c.* atque de Baptismo & Confirmatione dicente: *Quòd Apostolus* NEGAT *esse* REPETENDA, *utique in consecrandis fidelibus.*

Probatur VII. ex eo quòd sequentibus sæculis non semel pronunciatum fuit Confirmationem iterari non posse. Sic Gregorius lib. XII. Epist. XXXI. *De dedicationum Ecclesiarum dubitatione, hoc vos rite tenere debetis quod nos ab antecessoribus nostris traditum accepimus: id est, ut quoties tam de Baptismo aliquorum vel* CONFIRMATIONE, *quàm de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, & nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, utrùm baptizati vel confirmati, sive Ecclesiæ consecratæ sunt; ut baptizentur tales ac confirmentur, atque Ecclesiæ canonicè dedicentur: ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat. Quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum.* Ex quo loco patet dogma de non iteranda Confirmatione æque ac Baptismo appellari traditionis antiquæ à Greg. Sic Concilium Tolet. VIII. celebratum anno DCLIII. Can. VII. *Sanctum Chrisma collatum, & altaris honor avelli nequeunt.* Sic Greg. II. Epist. IX. ad Bonifacium. *De homine qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis* REITERATIO *prohibenda est.* Scribebat anno DCCXXVI. Sic Cabilon. II. c. XXVII. *Dictum est nobis, quòd quidam de plebe bis*

aut ter ab Episcopis, ignorantibus iisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est eandem CONFIRMATIONEM, *sicut nec Baptismum* ITERARI *minimè debere.* Celebrabatur an. DCCCXIII. Sic Yvo Carnot. in decr. p. I. c. CCXLIV. referens sub nomine Conc. Tarracon. Canonem Conc. Cabil. cit. & c. CCCIII. citata verba Greg. II. docet sensum Ecclesiæ sæculo quo vivebat XII. Idem est sensus Gofridi Vindocin. Opusc. IX. Clarissimè author lib. de operibus cardin. Christi. Serm. de ablut. pedum. *Baptismum repeti Ecclesiastica prohibent regula: & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterum renovat: nemo sacro oleo lita iterum linit aut consecrat: nemo impositioni manuum vel ministerio derogat Sacerdotum. Quia contumelia esset Spiritus sancti, si evacuari posset quod ille sanctificat, vel aliena sanctificatio emundaret, quod ille semel statuit & confirmat.*

Probatur VIII. etiam ex illis testimoniis quæ habent bis Chrismari fideles, semel in Baptismo, & semel in Confirmatione. Ita Rabanus Maurus lib. I. de Instit. Cleric. c. XXX. & Honorius Augustodun. lib. III. c. CXIV. Nam si semel tantùm in Confirmatione & semel in Baptismate, sequitur Confirmationis unctionem non iterari, sicut non iteratur Baptismus.

Quæres I. an iteratò Confirmationem administrans vel recipiens, incurrat pœnam Ecclesiasticam, sicut iteratò baptizantes vel baptizati incurrunt irregularitatem.

Respondeo negativè cum Scoto, Petro de Alliaco, Paludano, Soto. Ratio est quia omnis irregularitas debet esse expressa in jure. At jus non decernit incurri irregularitatem per iteratam collationem, vel per susceptionem Sacramenti Confirmationis repetitam.

Quæres II. utrùm character Sacramenti Confirmationis sit tantum aliqua extensio characteris Baptismalis, vel aliqua tantùm partialis entitas ei supperaddita; an potiùs specialis quædam entitas realis à charactere realiter distincta.

Respondeo, esse novam quandam entitatem characteri Baptismi superadditam, atque ab illo distinctam realiter. Probatur: quia Concilia & Patres loquuntur de charactere Confirmationis tanquam de aliquo realiter distincto, & omnino separato à charactere Baptismali, videlicet tanquam de si-

gnaculo impresso animabus nostris, per quod adscribimur militiæ Christi, atque ad ejusdem militiam deputamur: quæ ratio est penitus distincta á ratione characteris Baptismalis per quam videlicet deputatur ad modum *patientis*, ut omnia Sacramenta recipere valeat; & ad modum *agentis*, ut fidem Christianam profiteatur simpliciter. Uno verbo aliud est esse *hominem*, & aliud esse *militem*. Aliud est esse *Christianum*, & aliud esse *Christianum militem*.

Articulus secundus.

Utrùm character Confirmationis supponat characterem Baptismi.

Nostra propositio est affirmans, & communis apud omnes Theologos, post S. Thomam III. p. q. LXXII. art. VI. Probatur ejus ratione: quia sicut se habet Confirmatio ad Baptismum, ita augmentum ad generationem. Manifestum est autem, quòd nullus potest promoveri in ætatem perfectam, nisi primò fuerit natus. Et similiter nisi primò aliquis baptizatus fuerit, non potest Sacramentum Confirmationis accipere.

Inde inferunt cum eodem Doctore Angelico, quòd si aliquis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet, sed oporteret iteratò confirmari post Baptismum: eadem ratione, qua qui non baptizatus ordinatus est in Presbyterum, post Baptismum iterum ordinandus est c. *Veniens*, & c. *Si quis*, *De Presbytero non baptizato*. Magis enim est conjunctum Sacramentum Confirmationis Baptismo, quàm Sacramentum ordinis: cùm Confirmatio sit perfectio atque consummatio Baptismi.

Sic itaque character Confirmationis potest definiri. *Potentia supernaturalis, instrumentalis, indelebilis, per quam homo deputatur tanquam miles Christi ad fidem propugnandam adversùs hostes visibiles ipsius.*

DISPUTATIO SEPTIMA.

De Ministro Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm solus Episcopus sit Minister ordinarius hujus Sacramenti?

NOSTRA propositio est affirmans, & ex Conc. Trid. relato disput. I.

Probatur I. ex Actis Apostolorum: quibus constat, penès *Apostolos*, & non alios Baptismi Ministros resedisse potestatem Confirmationis administrandæ.

Probatur II. ex traditione. Cypriano Epist. LXXIII. ad Jubaïan. *Ut qui in Ecclesia baptizantur*, PRÆPOSITIS *Ecclesiæ offerantur.* Chrysost. ad c. VIII. Act. *Hoc erat in Apostolis singulare. Unde &* PRÆCIPUOS ET NON ALIOS *videmus hoc facere.* Hieron. adversùs Lucifer. scribente. *Hanc esse Ecclesiarum consuetudinem.* Et infrà. *Quòd si hoc loco quæris, quare in Ecclesia baptizatus*, NISI *per manus* EPISCOPI *non accipiat Spiritum sanctum &c.* Innoc. I. Epist. ad Decent. c. III. NON AB ALIO *quàm ab* EPISCOPO. Et postea. *Hæc autem* PONTIFICIBUS SOLIS *deberi ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum.* Et infrà. *Quod* SOLIS *debetur* EPISCOPIS. Aug. lib. XV. de Trinit. c. XXVI. *Quem morem in suis* PRÆPOSITIS *etiamnum servat Ecclesia.* Isidoro

Hispal. l. II. de Offic. c. XXVI. *Post Baptismum, per* EPISCOPOS *datur Spiritus sanctus.* Et infrà. *Spiritum sanctum accipere possumus, dare autem non possumus, sed ut detur Deum invocamus. Hoc autem à quo potissimùm fiat, quemadmodum Papa S. Innoc. scribit, subjiciam. Dicit enim :* NON AB ALIO *quàm ab* EPISCOPO *fieri licere.* Beda in c. VIII. Actuum Apost. *Hoc enim* SOLIS PONTIFICIBUS *debetur.* Jesse Ambian. Epist. de Baptismo. *Post hac, confirmet eum* EPISCOPUS *in fronte de Chrismate.* Et postea. *Hoc enim solùm* PONTIFICIBUS *debetur.* Theodulfo Aurel. lib. de ordine Baptismi eadem prorsus habente verba, quæ Innocentius. Amalario lib. I. de Offic. c. XXVII. *De illis qui per negligentiam amittunt* EPISCOPI *præsentiam, & non suscipiunt manûs impositionem; pensandum est, ne fortè in justitia illa damnentur, in qua negligenter exercent justitiam: quia debuerunt festinare ad manûs impositionem.* Et infrà laudat Augustini mox citatum locum. Et postea. *Hoc enim* SOLIS PONTIFICIBUS *debetur.* Et relatis verbis Act. VIII. *Juxta exemplum Petri & Joannis occurrant* EPISCOPI *ad loca ubi sunt quibus necesse est imponi manus.* Ratramno Corb. lib. IV. adversùs Græcos c. VII. *Manus imponentibus super eos Apostolis acceperunt Spiritum sanctum. Quæ forma servatur hodieque in Ecclesia, ut baptizentur quidem fideles per Presbyteros, gratia verò Spiritus sancti per impositionem manuum tribuatur ab* EPISCOPIS. Valafrido Strabone lib. de rebus Eccl. c. XXVI. *Quæ confirmatio, & tunc ad* PRIMOS ECCLESIÆ PASTORES *pertinuit, & nunc pertinere non dubitatur.* Auth. lib. de div. Offic. c. XIX. Alcuino Epist. ad Oduvinum. *Novissimè per impositionem manuum à* SUMMO SACERDOTE *septiformis gratiæ Spiritum accipit.* Jona Aurel. lib. I. de Instit. laïc. cap. VII. *Quòd* SOLIUS EPISCOPI *sit per manûs impositionem fidelibus tradere Spiritum sanctum Acta docent Apostolorum.* Item ex Epistolis quæ dicuntur Eusebii, Melchiadis, Damasi & Joannis III. quæque referri debent ad IX. sæculum, quarum prima habet. *Ab aliis perfici non potest nisi à* SUMMIS SACERDOTIBUS. *Nec tempore Apostolorum ab aliis quàm ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, neque* AB ALIIS *(sicut jam dictum est) quàm ab* ILLIS QUI EORUM LOCUM TENENT, *unquam perfici potest aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur Sacramenta.* Melchiades. *A majoribus fit, idest, à* SUM-

MIS PONTIFICIBUS, *quod à minoribus perfici non poteſt.* Damaſus. *Quòd autem* SOLIS APOSTOLIS EORUMQUE SUCCESSORIBUS *proprii ſit officii tradere Spiritum ſanctum, liber Actuum Apoſtolorum docet : præſertim cùm nullus ex* LXXII. *diſcipulis, quorum iſti* (Chorepiſcopi) *in Eccleſia ſpeciem gerunt, legatur donum ſancti Spiritus per manûs impoſitionem, ut prædictum eſt, tradidiſſe.* Idem habet Joannes III. Item ex Pontificalibus omnibus in quibus obſervatur illud eſſe *proprium Epiſcoporum.* Item ex Petro Damiani Serm. I. in dedic. Eccleſiæ. *Nec quilibet tanti myſterii legitur executor, ſed* SOLUS EPISCOPUS. Godofrido Vindoc. opuſc. VIII. *Confirmatio fieri jubetur ab* EPISCOPIS. Ne prætercam Oecum. ad c. VI. Heb. *Hoc enim* APOSTOLIS *ſervatum erat.*

Probatur III. ex Conc. Eliberit. Can. XXXVIII. *Ad* EPISCOPUM *eum perducat, ut per manûs impoſitionem perfici poſſit.* Et Can. LXXVII. EPISCOPUS *eos per benedictionem perficere debebit.*

Probatur IV. Tum ex perpetua conſuetudine Eccleſiæ, quæ non aliis unquam niſi *Epiſcopis* conceſſit ejuſce Sacramenti miniſterium ordinarium : tum etiam quia congruebat Sacramentum illud, quod eſt Sacramentum perfectionis, habere pro Miniſtro ſummum Sacerdotem.

Obſerva Chorepiſcoporum nonnullis permiſſam fuiſſe Confirmationis adminiſtrationem, ſicut patet de *Armentario* in Concil. Regienſi celebrato an. CCCCXXXIX. Can. III. & IV. nonnullis prohibitam, ſicut patet de *Promoto* ex Conc. Pariſ. anno DLXXIII.

Objicies I. S. Hieron. Epiſt. LXXXV. ad Evagrium. *Quid enim facit exceptâ ordinatione* EPISCOPUS, *quod Presbyter non faciat?*

Reſpondeo ſenſum Hieronymi non eſſe nihil *omnino* facere Epiſcopum, exceptâ ordinatione, quod non faciat Preſbyter : ſed ſenſus eſt, quòd nihil *fere* facit. Nam & fatente ipſo Hier. adversùs Lucifer. loco relato, Epiſcopus confirmat, neque confirmat Preſbyter. Nec obſtat, quòd Hieronym. ibidem dixerit, *factitatum id potiùs eſſe ad honorem Sacerdotii, quàm ad legis neceſſitatem.* Nam ſenſus eſt : hanc poteſtatem fuiſſe *ſolis Epiſcopis* reſervatam à Chriſto, ut inde ſummum eorum Sacerdotium honoraretur ; & non quòd actualis ſuſceptio Sacramenti Confirmationis ſit de neceſſitate *medii* vel *præcepti* divini.

Objicies II. Ambrosiastrum in c. IV. ad Ephes. *Apud Ægyptum Presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus.*

Respondeo I. Authorem unius Ægypti mentionem facientem, significare privatum id esse hujus regionis usum, cui cæteræ omnes Ecclesiæ adversarentur. II. Fortè id non magìs esse verum, quàm quod suprà scripsit, in ipsis cunabulis Ecclesiæ concessum fuisse omnibus & evangelizare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesiis explanare. III. Consignationem hanc non fuisse confirmatoriam, sed purè cæremonialem, qualem dicturi sumus inferiùs Gregorium I. concessisse Presbyteris Calaritanis. Placet ista solutio *Dionysio Petavio* lib. III. *Dogmatum Theologic.* tract. de Hierarchia lib. II. c. VI. num. XII. ubi Salmasio contendenti ex hoc Ambrosiastri loco manûs impositionem confirmatoriam esse communem Presbyteris cum Episcopis, ex eo quòd consignatio hæc etiam cum manûs impositione celebrabatur: istud reponit. *In quo valde illum fugit ratio. Nam consignasse Presbyteros in Ægypto absente Episcopo, scripsit suppostititus Ambrosius. Impositionem verò manuum, quæ consignationi adjuncta sæpe fuit ad dandum Spiritum sanctum, ab alio quàm ab Episcopo collatam esse, nec ille dicit, nec quisquam. Imò contrarium docet Hieronymus in Dial. contra Lucifer.* IV. Respondeo commentatorem illum, supposito quòd sermonem habeat de unctione confirmatoria, referre quid fieret apud Ægyptum, nec improbare. Quòd referat, non sequitur esse *rectè* factum, fiebat *abusivè*. Quòd verò non improbet, parum interest: quia nullius est nominis, imò malè audit apud quamplures, quibus creditur esse aut Hilarius Luciferianus, aut aliquis Pelagianâ tinctus fuligine, aut ineptus quidam consarcinator.

Objicies III. Authorem qq. ex utroque testamento apud Augustinum q. CI. *In Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter.*

Respondeo I. malè legi (*consignat,*) legendum esse (*consecrat,*) & ita omnes editiones habere. Quo semel stabilito, funditus ruit objectio: nihil quippe ad rem pertinet. II. supposito quòd habeatur (*consignat;*) seu vera sit sententia Bellarmini *de authore operis*, quòd scilicet idem est, qui *author commentariorum in Epistolas Pauli* mox allatorum; seu alter ille fuerit: eandem valere solutionem multiplicem quam attulimus.

Objicies IV. Consuetudinem Ecclesiæ Orientalis hanc esse, ut Presbyteri consignent unctione confirmatoria.

Respondeo confirmatoriam unctionem eam esse, quæ adjungitur manûs impositioni, per quam Spiritus sanctus accipitur. Quare, ut de consuetudine Orientalis Ecclesiæ feratur judicium, operæ pretium est inquirere, utrùm unctio conjuncta manûs impositioni, per quam Spiritus sanctus tribuitur, facta semper fuerit apud Orientales à Presbyteris in absentia Episcoporum? Quod idem est ac inquirere, utrùm simplices Presbyteri manum confirmatoriam apud Orientales imposuerint? Constat ex Chrysost. & Oecum. citatis, propriam fuisse istam Episcoporum apud Orientales. Ergo falsum est quod de consuetudine ejusmodi profertur, si ad priora Ecclesiæ sæcula respiciamus. De posterioribus alia ratio. Nam sæculo IX. Græcorum Presbyteri eam adhibebant, & Latinos culpabant Episcopos, qui Chrismatos à Presbyteris Græcis rechrismabant: quod patet ex Epist. II. Photii his verbis. *Chrismate inunctos per Sacerdotes denuo Chrismate inungere non horruerunt, cùm se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum Chrisma inutile quoddam ac frustra factum comminiscerentur.* Et infrà. *Porro sapiens & egregium responsum eorum hoc est. Non enim, inquiunt, licet Sacerdotibus, eos qui sacro Baptismate initiantur, unguento sanctificare: solis enim Pontificibus hoc lege datum est. Unde hæc lex? Quis author? Quis Apostolorum? An Patrum? An ex Synodo aliqua? Sed ubi & quando habita? Et quorumnam confirmata sententiis?* Sed Occidentales adversùs hanc Orientalium consuetudinem insurrexerunt. Ac primò quidem Nicolaus I. Epist. LXX. *Insimulare tentant quoniam eosdem Presbyteros Chrismate linire baptizatorum frontes inhibemus.* Tum deinde Gallicana Ecclesia per Ratramnum Corbeïens. qui opere suo *adversùs Græcos* hanc eorum hæresim confutavit unà cum cæteris. Quæ verò postremis acta sunt sæculis, quæque etiamnum aguntur apud illos, reclamante veteri eorum Ecclesia, reclamantibus quoque Occidentalibus, hæc nullius prorsus momenti sunt.

Objicies V. De Sylvestro, in Pontificali quod Damaso tribuunt, refertur eum *Episcopis contulisse privilegium, ut baptizatos consignarent: Presbyteris verò concessisse, ut Chrismate linirent baptizatos in mortis periculo.*

Respondeo privilegium istud esse propriè dictum, si intelligatur

ligatur de consignatione, quæ fiat in fronte, non adjunctâ sibi manûs impositione, qua traditur Spiritus sanctus. Sed hæc cæremonialis est. Quòd si sermo sit de consignatione in fronte, per quam unà cum impositione manûs traditur Spiritus sanctus, privilegium appellatur impropriè: ita ut sensus sit, Sylvestrum constituisse ut solorum sit Episcoporum, juxta institutionem Christi, Chrismare in Confirmatione: quo decreto nonnullorum comprimeret insolentiam Presbyterorum, qui id muneris sibi arrogabant. Confirmat hanc nostram responsionem Epistola Innocentii ad Decentium toties citata.

Objicies VI. Canonem II. Concilii Barcinon. VI. sæc. his verbis. *Statutum est, ut cùm Chrisma Presbyteris Diœcesanis pro Neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.*

Respondeo, non haberi in Canone; *pro confirmandis per Presbyteros:* sed haberi simpliciter; *pro confirmandis.* Hoc potest intelligi, vel per *Presbyteros*, vel per *Episcopos.* Dato verò quòd sensus Canonis sit; *pro* confirmandis per *Presbyteros:* sequitur tantùm ex eo Canone, per id temporis Presbyteros in Hispania solitos fuisse confirmare, necdum Pontifices occurrisse illi abusui.

Objicies VII. Eandem fuisse hoc tempore consuetudinem Ecclesiæ Sardorum, quæ fuit Ecclesiarum Hispaniensium: quod evincitur ex Epist. IX. lib. III. Gregorii Magni: adversùs quam summus ille Pontifex non insurrexit prohibendo, ne posthac aliud præsumerent illi Presbyteri quàm ungere baptizatos in pectore, reservatâ solis Episcopis unctione in fronte. Nam idem Pontifex, eodem anno, audito quòd de hoc suo decreto quidam scandalizati essent, declaravit ejusdem libri Epist. XXVI. se in eo quidem secutum fuisse *usum veteris suæ*, hoc est, Romanæ *Ecclesiæ:* cæterùm, si de ea re aliqui contristarentur; concedere, ut Presbyteri in fronte consignent, dum absunt Episcopi. Ubi cùm Gregorius respexerit ad usum solius suæ Ecclesiæ, non ad jus divinum, neque declaraverit irritam Confirmationem collatam à simplici Presbytero; videtur existimasse, quòd Episcopus non est minister ordinarius Confirmationis cum exclusione Presbyteri, ex jure divino; sed solùm ex jure Ecclesiastico, idque in nonnullis duntaxat Ecclesiis.

Respondeo incertum esse, utrum hîc mentio fiat unctionis confirmatoriæ, aut alterius cujusdam *ritûs purè Ecclesiastici*, cujus ibi Gregorius meminerit, quo scilicet Sardinenses adhibebant in fronte eam unctionem, quæ solebat in Ecclesia Romana per Presbyteros adhiberi in pectore. Ut ritûs purè Ecclesiastici meminisse contendat quispiam, facit inprimis, quòd Gregorius non declaraverit usurpatas hactenus unctiones à Presbyteris istis Calaritanis irritas. II. quòd non monuerit ejusmodi unctione signatos ut Confirmationem susciperent. III. quòd pro ratione prohibitionis suæ factæ Epist. IX. attulerit solum usum veterem Ecclesiæ Rom. non Christi institutionem, non fidem omnium prorsus Ecclesiarum. IV. quòd facillimè concesserit Calaritanis Presbyteris indulgentiam ad ungendum in fronte baptizatos. Credibile quippe non est, si de Sacramento sermo fuisset, quòd non declarasset usurpatas à Presbyteris istis unctiones irritas; quòd non monuisset eos suscipere legitimam Confirmationem, quam sic uncti non susceperant: aliam suæ primitus factæ prohibitionis rationem attulisset ab usu veteri Romanæ Ecclesiæ: ac demum haud ita facilè dispensavisset cum Presbyteris istis: scandalum si quidem & contristatio quorumdam non est causa sufficiens & legitima concedendæ dispensationis. Adde quòd si legatur iis locis (*baptizandi*) & non (*baptizati*) juxta non paucos Codices MSS. & nonnullas quoque editiones; perspicuum evadit sermonem non esse de Confirmatione. Sententia est Guilelmi Estii, post Hadrianum in IV. de Sacram. Confirm. Cui non obstat decretum Eugenii continens, *legi aliquando ex Sedis Apostolicæ dispensatione simplicem Sacerdotem confirmasse.* Quibus verbis Eugenius videtur respexisse ad hoc factum. Nam Pontifex ille nihil definivit eo loci, sed locutus tantum est in sententia quorumdam Theologorum, quibus visum fuerat Gregorium dispensavisse cum Calaritanis Presbyteris, ut confirmare possent in absentia Episcopi.

Qui admittunt duobus istis locis Gregorianarum Epistolarum sermonem esse de unctione confirmatoria, tria in responsionem afferunt.

I. est, Calaritanæ Ecclesiæ perversam hanc fuisse consuetudinem, quam Gregorius improbavit, atque prohibuit tanquam Ecclesiæ Romanæ usui contrariam; quam tamen postmodum tolerare coactus est, propter scandalum ex sua illa pro-

hibitione exortum, permittendo ut à veteri sua consuetudine non recederent, non tamen eam approbando. Ita Hadrianus. *Supposito*, inquit, *quòd loquatur de vero Sacramento Confirmationis; sua concessio non fuit collatio potestatis, sed abolitio impedimenti quod præstiterat per suam prohibitionem. Unde dicit ad se pervenisse, quòd quidam scandalizati fuerint, eo quòd Presbyteros tangere Chrismate prohibuerat. Propter quod subjungens in sui excusationem dicit.* ET NOS QUIDEM SECUNDUM VETEREM USUM ECCLESIÆ FECIMUS: SED SI OMNINO DE HAC RE ALIQUI CONTRISTANTUR, IDEST, SCANDALIZANTUR, UBI EPISCOPI DESUNT, UT PRESBYTERI ETIAM IN FRONTIBUS BAPTIZATOS CHRISMATE TANGERE DEBEANT CONCEDIMUS. *Ubi solùm concedendo, videtur impedimentum suæ prohibitionis voluisse tollere, non authoritatem aliquam Sacramentum Confirmationis conferendi impertiri: quemadmodum de Judæis Paschasio scribens hortatur*, UT DE SUIS SOLEMNITATIBUS CELEBRANDIS EOS INQUIETARI NON PERMITTAT, SED OMNES FESTIVITATES SUAS ET FERIAS LIBERAM HABEANT OBSERVANDI CELEBRANDIQUE LICENTIAM. *Ubi per* LICENTIAM, *nihil eis licere concedit, cùm nec hoc possit.* QUI ENIM LEGEM OBSERVAT, EVACUATUR A CHRISTO ET GRATIA EXCIDIT. *Ad Galat.* V. *sed solùm impedimentum prohibitionis & infestationis auferre intendit. Et ita salvatur, quòd nec limites suæ potestatis excessit, nec errorem Sacerdotum in aliquo fovit.*

II. est, Gregorium dispensavisse cum Calaritanis Presbyteris ut confirmarent: quâ dispensatione suppositâ, Confirmationes posthac ab eis conferendæ valuerunt, cùm antea essent irritæ. Hæc est communior apud eos Theologos responsio, quibus præter ordinarium Confirmationis Ministrum, qui est Episcopus, datur extraordinarius, nempe simplex Sacerdos, ex dispensatione Sedis Apostolicæ. Sed de hoc inferius.

III. est, Gregorium dispensavisse cum Calaritanis Presbyteris, & ita dispensando errasse: neque id esse inconveniens: quia, ut ait Hadrianus loco cit. *Certum est quòd* (Pontifex) *possit errare in iis quæ tangunt fidem, hæresim per suam determinationem aut decretalem asserendo. Plures enim fuerunt Pontifices Romani Hæretici &c.* Hæc responsio est Majoris in IV. dist. VII. in hæc verba. *Omnibus glossematibus in hac parte inter se*

etiam contrariis relictis, procedo aliter. Nam Apostolorum processum & determinationes Pontificum, debemus in materia ancipiti fidei imitari, factis Pontificum interdum in contrarium non ponderatis. Ergo factum B. Gregorii non est curandum, dummodo habeantur Apostolorum ritus & Pontificum scripta. Sic est in proposito &c. Et postea. *Mirandum est si nulla expositio sufficiat B. Gregorium excusare. Quare non est concedendum quòd in illo facto deliquit: cùm tamen communiter Doctores teneant, Petrum peccasse in illo facto ad Galat.* Et infrà. *Sola illa via est tenenda, quòd ab Episcopo confirmatio est danda. Hoc ex Apostolorum factis, & Pontificum determinationibus sufficienter concludimus. Scintillam apparentiæ non video in oppositum. B. Gregorius poterat errori opposito assentire, quòd Sacerdotes simplices poterant confirmare, sicut B. Cyprianus & plerique sancti erraverunt.* Concinit Durandus in IV. dist. VI. q. IV. ad I. his verbis. *Si solus Episcopus est minister, nescio cur non possit dici, quòd Gregorius cùm fuerit homo & non Deus, potuerit errare.* Verumtamen ut Hadrianus optimè observavit, *necesse non est adhibere tertiam istam responsionem:* quia nihil causæ est, cur censeamus hîc approbatam fuisse à tanto Pontifice Confirmationem collatam per Presbyteros Calaritanos.

Objicies VIII. Concilium Hispalense c. VII. pronunciat, *Novellis & Ecclesiasticis Regulis prohibitum esse simplicibus Sacerdotibus Paracletum Spiritum tradere fidelibus baptizatis per impositionem manuum, & Chrismate baptizatorum frontem signare.* Ergo non jure divino.

Respondeo per voces istas (*Novellis Regulis*) intelligi Regulas *novi Testamenti*, adeoque jus divinum comprehendi. Illustratur responsio I. ex serie Canonis, in quo comprimitur Agapius Cordubensis Episcopus, qui ignarus Ecclesiasticæ disciplinæ, eo quòd statim à seculari militia in Sacerdotale ministerium fuisset assumptus, frequenter Presbyteros destinabat altaribus erigendis & Basilicis consecrandis in absentia Episcopi. Hoc vetat Synodus, & confirmat prohibitionem suam ex veteri Testamento his verbis. *In divinis enim litteris, præcipiente Domino, solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, utique quia summus Sacerdos Dei erat: sicut scriptum est:* MOYSES ET AARON IN SACERDOTIBUS EJUS. *Ideoque id quod tantùm facere principibus Sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses & Aaron tenuerunt, Presbyteri,*

qui filiorum Aaron gestant figuram, accipere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam NOVELLIS ET ECCLESIASTICIS REGULIS *sibi prohibita noverint.* Sic legit Garsias. Editio vulgata: *Quædam tamen authoritate* VETERIS LEGIS, *quædam* NOVELLIS ET ECCLESIASTICIS REGULIS *sibi prohibita noverint.* Novellæ regulæ opponuntur iis quæ superiùs ex veteri Testamento relata fuerunt: & sensus est, altarium consecrationem ex veteri Testamento reservari summis Sacerdotibus: & quamvis ex novo Testamento Presbyteri habeant multa communia cum Episcopis qui sunt summi Sacerdotes; attamen, & ex ipso novo Testamento, & ex Canonibus Ecclesiasticis plurima sunt concessa Episcopis, vetita Presbyteris. Illustratur II. ex eo quòd inter prohibita simplicibus Sacerdotibus, primo loco ibi recensetur Presbyterorum consecratio. At ea non humano tantùm, sed etiam divino jure vetita est simplici Sacerdoti. III. Isidorus Hispalensis, qui præfuit Concilio, loco relato inter probandum, apertè ait, manûs impositionem confirmatoriam non spectare nisi ad Episcopos: quia Episcopi soli habent apicem Sacerdotii, juxta id quod legitur Actor. VIII. Ergo existimabat potestatem confirmandi esse propriam & peculiarem Episcoporum jure divino.

Objicies IX. illud Bedæ in Psal. XXVI. *Illa unctio, quæ per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia à duabus prædictis, & vulgò Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda* (hoc est cæremoniali quæ adhibetur in Baptismo.) *Propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.*

Respondeo eandem esse cum secunda, si sejungatur à manûs impositione confirmatoria: & sic sejuncta, propter arrogantiam non est concessa singulis Sacerdotibus. Sed non est eadem cum alia, si consideretur ratione adjuncti: & sic spectata, non est concessa singulis Sacerdotibus, sed solis Episcopis jure divino. Hæc solutio illustratur ex eodem authore loco sæpius laudato ad c. VIII. Actuum.

Objicies X. Ananias Episcopus non erat, qui tamen imposuit manus Paulo.

Respondeo impositionem istam manuum non fuisse confirmatoriam, præcessit quippè Baptismum: sed fuisse præpara-

etiam contrariis relictis, procedo aliter. Nam Apostolorum processum & determinationes Pontificum, debemus in materia ancipiti fidei imitari, factis Pontificum interdum in contrarium non ponderatis. Ergo factum B. Gregorii non est curandum, dummodo habeantur Apostolorum ritus & Pontificum scripta. Sic est in proposito &c. Et postea. *Mirandum est si nulla expositio sufficiat B. Gregorium excusare. Quare non est concedendum quòd in illo facto deliquit: cùm tamen communiter Doctores teneant, Petrum peccasse in illo facto ad Galat.* Et infrà. *Sola illa via est tenenda, quòd ab Episcopo confirmatio est danda. Hoc ex Apostolorum factis, & Pontificum determinationibus sufficienter concludimus. Scintillam apparentiæ non video in oppositum. B. Gregorius poterat errori opposito assentire, quòd Sacerdotes simplices poterant confirmare, sicut B. Cyprianus & plerique sancti erraverunt.* Concinit Durandus in IV. dist. VI. q. IV. ad I. his verbis. *Si solus Episcopus est minister, nescio cur non possit dici, quòd Gregorius cum fuerit homo & non Deus, potuerit errare.* Verumtamen ut Hadrianus optimè observavit, *necesse non est adhibere tertiam istam responsionem:* quia nihil causæ est, cur censeamus hîc approbatam fuisse à tanto Pontifice Confirmationem collatam per Presbyteros Calaritanos.

Objicies VIII. Concilium Hispalense c. VII. pronunciat, *Novellis & Ecclesiasticis Regulis prohibitum esse simplicibus Sacerdotibus Paracletum Spiritum tradere fidelibus baptizatis per impositionem manuum, & Chrismate baptizatorum frontem signare.* Ergo non jure divino.

Respondeo per voces istas (*Novellis Regulis*) intelligi Regulas *novi Testamenti*, adeoque jus divinum comprehendi. Illustratur responsio I. ex serie Canonis, in quo comprimitur Agapius Cordubensis Episcopus, qui ignarus Ecclesiasticæ disciplinæ, eo quòd statim à seculari militia in Sacerdotale ministerium fuisset assumptus, frequenter Presbyteros destinabat altaribus erigendis & Basilicis consecrandis in absentia Episcopi. Hoc vetat Synodus, & confirmat prohibitionem suam ex veteri Testamento his verbis. *In divinis enim litteris, præcipiente Domino, solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, utique quia summus Sacerdos Dei erat: sicut scriptum est:* MOYSES ET AARON IN SACERDOTIBUS EJUS. *Ideoque id quod tantùm facere principibus Sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses & Aaron tenuerunt, Presbyteri,*

qui filiorum Aaron gestant figuram, accipere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam NOVELLIS ET ECCLESIASTICIS REGULIS *sibi prohibita noverint.* Sic legit Garsias. Editio vulgata: *Quædam tamen authoritate* VETERIS LEGIS, *quædam* NOVELLIS ET ECCLESIASTICIS REGULIS *sibi prohibita noverint.* Novellæ regulæ opponuntur iis quæ superiùs ex veteri Testamento relata fuerunt: & sensus est, altarium consecrationem ex veteri Testamento reservari summis Sacerdotibus: & quamvis ex novo Testamento Presbyteri habeant multa communia cum Episcopis qui sunt summi Sacerdotes; attamen, & ex ipso novo Testamento, & ex Canonibus Ecclesiasticis plurima sunt concessa Episcopis, vetita Presbyteris. Illustratur II. ex eo quòd inter prohibita simplicibus Sacerdotibus, primo loco ibi recensetur Presbyterorum consecratio. At ea non humano tantùm, sed etiam divino jure vetita est simplici Sacerdoti. III. Isidorus Hispalensis, qui præfuit Concilio, loco relato inter probandum, apertè ait, manûs impositionem confirmatoriam non spectare nisi ad Episcopos: quia Episcopi soli habent apicem Sacerdotii, juxta id quod legitur Actor. VIII. Ergo existimabat potestatem confirmandi esse propriam & peculiarem Episcoporum jure divino.

Objicies IX. illud Bedæ in Psal. XXVI. *Illa unctio, quæ per manuum impositionem ab Episcopis, quasi alia à duabus prædictis, & vulgò Confirmatio dicitur, eadem est cum secunda* (hoc est cæremoniali quæ adhibetur in Baptismo.) *Propter arrogantiam tamen non concessa est singulis Sacerdotibus, sicut & multa alia.*

Respondeo eandem esse cum secunda, si sejungatur à manûs impositione confirmatoria: & sic sejuncta, propter arrogantiam non est concessa singulis Sacerdotibus. Sed non est eadem cum alia, si consideretur ratione adjuncti: & sic spectata, non est concessa singulis Sacerdotibus, sed solis Episcopis jure divino. Hæc solutio illustratur ex eodem authore loco sæpius laudato ad c. VIII. Actuum.

Objicies X. Ananias Episcopus non erat, qui tamen imposuit manus Paulo.

Respondeo impositionem istam manuum non fuisse confirmatoriam, præcessit quippè Baptismum: sed fuisse præpara-

toriam atque dispositivam ad gratiam Baptismi suscipiendam, & ad hoc factam, ut visus ipsi restitueretur, juxta verba Actor. *Ut videas & implearis Spiritu sancto.* Deinde probandum foret adversariis, Ananiam neque fuisse Episcopum, neque laïcum, sed simplicem Presbyterum. Appellatur in Actis tantùm *Discipulus*. Probabilius est fuisse Episcopum. Manus imponebatur antiquitus super capita baptizandorum, ut Aug. observavit lib. II. de peccat. meritis c. XXVI. *Non uniusmodi*, inquit, *est sanctificatio. Nam & Catechumenos secundùm quemdam modum suum, per signum Christi, & orationem manûs impositionis puto sanctificari.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm simplex Sacerdos possit esse Minister Confirmationis extraordinarius?

NOSTRA propositio est negans, & plurium Theologorum. Roberti Pulli p. v. sentent. cap. XXIII. scribentis. *Est Confirmatio dignior Baptismo, quantò dignius est athletam fieri, quàm à morbo curari. Hoc namque sanat, illud sanatum vegetat. Unde* SOLI EPISCOPO *Confirmatio nunc conceditur, sicut tempore Apostolorum quoque concedebatur.* Est etiam Guilelmi Altiss. lib. IV. c. III. S. Bonavent. Majoris, Durandi, Hadriani, Estii in IV. dist. VII. Alfonsi à Castro lib. IV. adversùs hæreses, verbo *Character* & verbo *Confirmatio*: adeoque recepta, ut Durandus loco cit. q. III. num. XI. asseruerit, *communiùs & probabiliùs teneri quòd solus Episcopus est Minister Sacramenti Confirmationis.* Repugnant tamen nonnulli, qui existimant convenire posse Presbyteris simplicibus ut sint Ministri Confirmationis extraordinarii ex dispensatione Sedis Apostolicæ. Sed enim volunt illi, quòd quia præter Ministrum, qui ex officio dispensat Sacramentum, est alius qui potest illud idem dispensare in casu necessitatis, ut patet de Baptismate; ita quòd licèt soli Episcopo conveniat ex officio confirmare, & cum solemnitate, tamen simplex Sacerdos potest ex commissione Papæ hoc Sacramentum conferre: quòd Minister Confirmationis quantum est de necessitate Sacra-

menti non est solus Episcopus, sed sub distinctione, Episcopus vel Presbyter ex commissione Papæ.

Probatur I. nostra propositio ex iis omnibus locis, quibus dicitur expressè, quòd administratio Sacramenti Confirmationis pertinet ad *solos Episcopos*, quòd *illi & non alii* possunt confirmare. Ita Hieron. Innoc. I. Isidorus Hispal. Beda, Jesse, Ratramnus, Epistolæ sub nominibus Eusebii, Melchiadis, Damasi, Joannis III. Oecumenius, Petrus Damiani, Gofridus Vindocin. Quibus non obstat, quòd extat in quibusdam ex illis locis particula *(debetur)* vel aliqua alia haud absimilis, quâ significatur illud convenire Episcopis *ex officio*; quod quidem verum est, sed non excludit Ministrum extraordinarium. Nam etiamsi Minister extraordinarius locis istis *sejunctim* ab aliis consideratis minimè excludatur, excluditur tamen si *conjunctim* sumantur cum aliis in quibus habetur, quòd soli Episcopi id possunt, & quod licet illis, non aliis. Et eam ob causam omnes istos locos conjungere placuit.

Probatur II. Si veteres sibi persuasissent simplicem Sacerdotem posse administrare Confirmationem ex commissione speciali summi Pontificis; potestas hæc ad praxim reducta fuisset primis Ecclesiæ sæculis, ne infantes baptizati in pagis & oppidis per Presbyteros, ex hac vita migrassent non susceptâ Confirmatione: quod tamen nunquam factum fuisse legimus.

Probatur III. ex Innoc. III. c. *Quanto, De consuetudine*, his verbis. *Pervenit ad audientiam nostram, quòd quidam* SIMPLICES SACERDOTES *apud Constantinopolim ea sacra præsumant fidelibus exhibere, quæ ab* APOSTOLORUM TEMPORE *fuerunt* SOLIS PONTIFICIBUS *reservata, ut est Sacramentum* CONFIRMATIONIS, *quod chrismando renatos* SOLI DEBENT EPISCOPI *per manûs impositionem conferre: ad excusandas excusationes in peccatis, solam* CONSUETUDINEM *prætendentes &c. Dilectioni tuæ mandamus, quatenus omnibus* PRESBYTERIS *districtè* PROHIBEAS, *ne talia de cætero sua temeritate præsumant. Quia licèt non sint à fidelibus contemnenda, tutius tamen est ea sinè periculo ex necessitate (quæ legem non habet) omittere, quam ut ab his quibus ea conferre* NON LICET *ex temeritate (quæ lege damnatur) non sinè gravi periculo inaniter conferatur. Cùm* UMBRA *quædam ostendatur in opere, veritas*

autem non subeat in effectu. Quo ex capite apparet Sacerdotes illos Constantinopolitanos munivisse se *consuetudine*, quæ cùm vim habeat legis, multò magis vim habet consensûs taciti, vel dispensationis Apostolicæ. Factum tamen illud Presbyterorum Græcorum, quamvis firmatum consuetudine, improbatur ab Innoc. III. Deinde ex eodem textu apparet Confirmationis administrationem ab Apostolorum tempore fuisse *solis Pontificibus* reservatam. Quæ verba excludunt simplices Sacerdotes à ministerio ipsius etiam extraordinario. Denique ritum hunc, quem Presbyteri Orientales usurpaverunt, esse *umbram Sacramenti, non Sacramentum.*

Probatur IV. ex Greg. IX. Epist. ad Barensem Episcopum in hæc verba. *Chrismati verò, ut verbis tuis utamur, à* SIMPLICI SACERDOTE, *Confirmationis munus minimè receperunt, quia de* SOLIS APOSTOLIS *legitur, quorum sunt Episcopi successores, quòd per manûs impositionem Spiritum sanctum dabant: & ideo tam illi quàm confirmandi de cætero à* SOLIS EPISCOPIS *consignentur.* Observa quòd ibi reprobatur consuetudo Græcorum Sacerdotum, apud quos in more erat confirmare.

Probatur V. ex Innoc. IV. qui consultus de ritibus Græcorum litteris suis ad Episcopum Tusculanum legatum suum in Regno Cypri, extantibus in ejus Registro Bullarum; Pontificatûs sui anno XI. de Confirmatione pronunciat in hunc modum. SOLI *autem* EPISCOPI *consignent Chrismate in frontibus baptizatos. Quia hujus unctio non debet* NISI PER EPISCOPOS *exhiberi. Quoniam* SOLI *Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, per manûs impositionem, quam Confirmatio vel frontis Chrismatio repræsentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur.*

Probatur VI. non potest Episcopus committere simplicem Sacerdotem ut confirmet fideles. Ergo nec Romanus Pontifex. Nam si posset illud Episcopus Urbis, vel ex potestate *Ordinis*; & hoc non: cùm non sit alia à potestate ordinis Episcoporum cæterorum: vel ex potestate *Jurisdictionis*; & hoc non: quia quod Romanus Pontifex potest ex plenitudine suæ potestatis *Jurisdictionis* in tota Ecclesia, id potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi per aliquod decretum aut æquipollens decreto potestas illius restricta sit, qualis restrictio nulla facta legitur.

Probatur VII. Administratio Confirmationis non est actus *Jurisdictionis*, aliàs Episcopus nominatus & confirmatus à summo

mo Pontifice, nondum consecratus, posset confirmare, quia jurisdictionem acquirit per Pontificiam confirmationem: & præterea Episcopus qui confirmaret non suum absque licentia proprii sui Episcopi, confirmaret invalidè, quod absurdum. Ergo est actus *Ordinis*: non *Sacerdotalis*, aliàs omnes Presbyteri ut sic, possent validè confirmare. Ergo *Episcopalis*. Atqui summus Pontifex per commissionem specialem datam simplici Sacerdoti ad conferendum Sacramentum Confirmationis non efficit ut ille habeat ordinem Episcopalem. Ergo neque ut possit illam validè administrare.

Probatur VIII. Diaconus non potest ex commissione summi Pontificis consecrare Corpus Christi: nec simplex Sacerdos potest ex commissione ejusdem summi Pontificis ordinare Presbyterum. Ergo neque Presbyter potest ex commissione Romani Pontificis administrare Sacramentum Confirmationis. Patet consequentia: quia ut se habet Presbyter ad confectionem Corporis Christi, & Episcopus ad ordinationem Presbyteri; ita se habet Episcopus ad collationem Confirmationis.

Probatur IX. Non est assignabilis ratio, cur simplex Sacerdos confirmare possit ex commissione summi Pontificis, & Diaconus vel etiam laïcus non possit ex simili commissione confirmare. Quia si character Episcopalis non sit ad id necessarius, causæ nihil est cur Presbyteralis censeatur necessarius. Si dicatur dispensatum fuisse cum simplici Sacerdote, non cum Diacono, non cum laïco: reponam I. non constare de dispensatione concessa. II. etsi de concessa constaret, non ideo de validè concessa. III. antequam concessa foret, qualiscunque tandem illa sit, verum erat, juxta sensum adversariorum, Presbyterum ex commissione supremi Pontificis confirmare posse. Ergo quamvis non fuerit dispensatum cum Diacono, vel etiam cum laïco, non sequitur ex eo, id muneris ad eos pertinere non posse, si pertinere possit ad simplicem Presbyterum.

Probatur X. Summus Pontifex non potest per plenitudinem suæ potestatis *Jurisdictionis* concedere alia ab iis quæ sunt jurisdictionis. Atqui collatio Confirmationis non est aliquid *Jurisdictionis*. Ergo non potest conferre per eam Presbytero potestatem confirmandi.

Objicies I. Concessionem factam à Gregorio Magno Pres-

byteris Ecclesiæ Calaritanæ in insula Sardiniæ.

Respondeo I. ex dictis dubium esse, utrùm hîc ageretur de Sacramento Confirmationis, & probabiliorem esse partem negantem, seu sermo esset de *baptizandis*, seu etiam de *baptizatis*. II. dato quòd ageretur de Sacramento Confirmationis, Gregorium id illis *permisisse* vitandi scandali causâ, non *approbasse*. III. etsi *approbasset*, facti ipsius non esse habendam rationem, utpote adversantis Traditioni.

Instabis, Eugenium IV. in decreto de unione Armenorum respexisse ad illud Gregorii factum, his verbis. *Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem ex rationabili & urgenti admodum causâ, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.*

Respondeo: ne dicatur Eugenius respexisse ad factum Gregorii, obstare I. Innocentium III. suprà pronunciantem ab Apostolorum tempore administrationem Confirmationis fuisse reservatam solis Episcopis. II. obstare quoque hæc verba decreti (*ex rationabili & urgenti admodum causâ.*) Neque enim urgens admodum & rationabilis causa dispensandi censeri potest scandalum nonnullorum, & eorum quærela de prohibitione ipsis facta per Epistolam nonam. III. Quòd si Eugenius ad factum illud respexerit, non tam ex *suo sensu* locutus est, quàm ex *sensu quorundam Scholasticorum* nobis adversantium, & juxta suam opinionem interpretantium Gregorium. Eugenius dabat instructionem Armenis, non definiebat: definiebant Nicolaus I. Innoc. III. Gregorius IV. & Innocentius IV. locis relatis suprà.

Objicies II. Concilium Trid. quod videtur favere sententiæ oppositæ, utendo hac voce (*ordinarium*) ubi de Ministro Confirmationis.

Respondeo ad cognoscendam mentem Patrum Tridentinorum observare necesse esse ea, quæ in historia Concilii Petrus Suavis, & Palavicinus exposuerunt.

Petrus Suavis refert Gregorii factum maximas excitavisse controversias. Franciscanos adhærentes Bonaventuræ sententiæ, quam secutus est Scotus cum universo Fratrum Minorum Ordine, soli Episcopo ministerium illud tribuentes, quam sententiam Hadrianus quoque Papa tenuisse prodebatur; respondisse factum illud Gregorii fuisse permissionem,

& ad tempus illud solummodo, & fecisse invitum, ne gentibus iis esset offendiculo: aut certè unctionem à Gregorio permissam, Sacramentum Confirmationis non fuisse. At responsum hoc cùm Thomæ minimè satisfaceret, quia Papam errore non eximit; temperamentum hoc adinvenisse, Episcopum quidem propriè Ministrum esse Confirmationis, sed quemvis Sacerdotem, Papæ permissu, eam posse ministrare. Alios autem Theologos opposuisse his: Ecclesiæ Romanæ doctrinam esse absolutam, Ministros videlicet Sacramentorum institutos à Christo: his Papam quidem imperare posse modum ministerii exercendi, sed efficere non posse, ut Sacramentum ministratum ab aliis, quàm ab iis quorum interest, sit validum: aut ut Sacramentum collatum à Ministro, juxta Christi institutionem, etsi contra ipsius Pontificis mandatum, sit nullum. Mirum videri Christum in hoc solo Sacramento, circa Ministrum libertatem hominibus reliquisse, cujus totis sexcentis annis ad usque Gregori ævum, ne minima quidem facta est mentio. Quòd si Epistola ea periisset, nemo haud dubiè excogitasset distinctionem hanc in ejusmodi materia inauditam. Nonnullos neque hujus, neque illius partis opinionem probantes, proposuisse standum verbis decreti Eugenii. Alios, damnandum solummodo qui diceret, Sacerdotem, non autem solum Episcopum esse Ministrum ordinarium: quòd iis verbis utraque opinio posset stabiliri, relictâ hinc libertate inferendi, Ergo alius est Minister extraordinarius; aut, Ergo non potest esse alius Minister: quia Sacramenta nullum Ministrum admittunt nisi ordinarium.

Palavicinus carpit Petrum Suavis. I. quòd Scotum pro nostra sententia laudarit, quam etiam scripserit esse omnium Franciscanorum, in qua tamen Aureolus non fuit, neque Richardus de Mediavilla, neque aliquot alii. II. quòd innuerit nostram opinionem esse Romani Pontificis Hadriani VI. qui tamen assumptus nondum fuerat ad onus Ecclesiæ Romanæ, quando scribebat super sententias. Hadrianum V. Nicolaum IV. Joan. XXII. Urbanum V. Leonem X. legi, concessisse ejusmodi privilegium quibusdam Presbyteris. III. Providentiæ singulari Dei esse deputandum, quòd Epistola Gregorii non perierit. IV. longè ante Gregorium simplices Presbyteros in Oriente Confirmationis Sacramentum ministrare solitos, adeoque etiam ante Schisma Photii. V. quòd

in Concilio Florentino cùm rogati essent Orientales respondere de hac sua consuetudine, referunt acta, Mitilenensem huic quæsito canonicè legitiméque satisfecisse. VI. credibile non videri quòd Gregorius dispensavisset cum simplici Sacerdote, si Traditio sibi minimè favisset. VII. non esse improbabile, si ratio habeatur solius Christi institutionis, Episcopos posse conferre privilegium istud simplici Sacerdoti; quamvis spectato statu præsenti rerum, non possint istud: quemadmodum neque possunt dispensare de quibusdam votis, neque absolvere à quibusdam peccatis. VIII. denique, quòd alii censebant, in Canone fieri debere mentionem solius Episcopi, eo quòd solus ille est Minister virtute propriâ; adeoque, cujus solius mentio facienda est: cùm delegatus agat non sua, sed alienâ virtute. Prævaluit verò ea sententia, quæ post decretum Eugenii censebat esse adhibendam vocem (*ordinarius*) ut pote quâ illæsâ remaneret opinio concedens potestatem dispensandi cum simplici Presbytero: & quâ etiam positâ, staret condemnatio dogmatis Hæretici.

Ex duobus istis testimoniis clarum est, Concilii mentem fuisse eo Canone damnare dogma Hæreticum, intactâ quæstione Theologicâ de Ministro *extraordinario* : neque alia de causa usurpavisse terminum hunc (*ordinarius* ;) nisi ut sua ista definitione minimè præjudicaret ei sententiæ, quæ præter ordinarium qui est Episcopus, agnoscit extraordinarium ex privilegio Pontificis : cui sententiæ præjudicium aliàs magnum factum fuisset, si sublatâ ea voce, ita se Canon habuisset. *Si quis dixerit Sacramenti Confirmationis Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Quapropter adversarii immeritò ex verbis Canonis inferre conantur dari Ministrum quemdam illius Sacramenti extraordinarium. Satis sit illis inferre Concilium noluisse notâ inurere suam sententiam. Amplius quod si cogitent inferre, detorquebunt aliorsum verba Concilii.

Cæterùm, ut paucis aliquid dicam de observatione utriusque Historici, mens mea hæc est. Quòd Petrus Suavis scripsit de Schola Minorum, verum non est universaliter, ut bene Palavicinus observavit. Quod de Hadriano VI. ita se habet. Scripsit in IV. sententiarum ante Pontificatum : sed adeptus dignitatem Pontificiam, non recessit à primæva senten-

tia: cujus rei fidem facit editio ejuſdem operis Romæ facta ſub ipſius Pontificatu.

Quòd verò Palavicinus pronunciat. I. de privilegiis conceſſis per varios SS. Pontifices, movere debet neminem: quia vel falſum illud eſt, vel contra Canones conceſſa ea ſunt. II. Quòd Epiſtolam Gregorii ſingulari providentia conſervatam putat ad erudiendam Eccleſiam circa Miniſtrum Confirmationis, non videtur ſcribi debuiſſe: quia probabilius eſt, atque Gregorio longè honorificentius exponi Epiſtolam de alio ritu ab ipſo Sacramento Confirmationis, quàm de illo ipſo Sacramento. III. Quòd addit ante Gregorium ſimplices Sacerdotes confirmaſſe, pro ipſo non facit. Nam neque id probare poteſt, neque ſi probaret, probaret magis Sacerdotes illos eſſe Miniſtros ordinarios, quàm extraordinarios. Neque enim patet, quòd id muneris obierint ex privilegio Sedis Apoſtolicæ. IV. Quòd ſubjicit Græcos ſatisfeciſſe canonicè legitiméque Latinis eos interrogantibus de Miniſtro Confirmationis, non ita eſt ut ſupponit. Nam 1° Synodus Oecumenica erat abſoluta, lectaque ejuſdem ac ſubſcripta definitio II. hæc fuit Latinorum interrogatio. *Quare Epiſcopi non inungunt ſacro Chriſmate, ſed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus ſit datum?* Cui quæſtioni ſatisfacere potuerunt reſpondendo Epiſcopos Orientales ſacro quoque inungere Chriſmate. Quòd denique ſubjungit, eſſe probabile Epiſcopos circa illud poſſe diſpenſare cum ſimplici Sacerdote, ſi ratio habeatur ſolius Chriſti inſtitutionis; non poſſe verò, quia diſciplina Eccleſiæ quæ reſervat iſtud ſummo Pontifici, conſtituit aliter: movet me, non quidem ut agnoſcam in Epiſcopis, ſed ne agnoſcam in ſummo Pontifice. Axioma quippe eſt apud multos Theologos & Canoniſtas: *Si ſolum jus divinum & naturale attendamus, quicquid poteſt Pontifex in univerſo orbe, iis exceptis quæ ad Eccleſiæ univerſæ ſtatum pertinent, poſſe Epiſcopum in ſua Diœceſi, niſi ſpecialiter Pontifex Romanus aliquid ſibi reſervet.* Cùm autem nullam viderim unquam reſervationem factam ab aliquo Romano Pontifice; cùm etiam non legerim Epiſcopum hac uſum fuiſſe poteſtate; eſt meritò quòd inferam poteſtatem hanc ut Epiſcopis jure divino minùs convenit, ita non convenire ſummo Pontifici.

Si contrà objeceris, Presbyteros Orientales à multis ſæculis adminiſtraſſe Confirmationem, videntibus atque tacen-

tibus Epiſcopis, imò & permittentibus atque volentibus, quandoquidem mos eſt Conſtantinopolitanis Patriarchis Chriſma conficere, confectumque ad varias orbis partes Epiſcopis & Presbyteris mittere, ut confirment eo Chriſmate baptizatos.

Reſpondebo, ut ſuprà, abuſum eſſe, adversùs quem ſuo ſæculo Nicolaus I. inſurrexit, inſurrexit Eccleſia Gallicana per Ratramnum Corbeïenſem, inſurrexerunt Innocent. III. c. *Quanto*, *De conſuetudine*, Gregorius IX. & Innoc. IV. locis citatis: qui omnes abſolutè cautum illud Presbyteris, ſolis autem Epiſcopis reſervatum eſſe ſignificaverunt. Neque verò latebat Pontifices iſtos Rom. Presbyteros illos confirmare ſolitos videntibus atque volentibus Epiſcopis Orientalibus. Neque id prohibebant eo quòd Romani Pontifices ſibi ſolis reſervaſſent poteſtatem concedendi privilegium iſtud Presbyteris.

DISPUTATIO OCTAVA.

De ſubjecto & neceſsitate Sacramenti Confirmationis.

ARTICULUS PRIMUS.

Qua ætate ſit illud ſuſcipiendum?

SI Chriſti Domini ſpectes ordinationem, *ætas omnis* idonea eſt. Quia omnis ætas eſt Baptiſmo idonea : & inſtituta eſt Confirmatio ut poſt Baptiſmum ſuſcipiatur. Si priora Eccleſiæ ſæcula reſpicias, *infantilis* æque apta reputabatur atque *adulta*. Nam baptizati ſtatim confirmabantur, ubi præſens erat Epiſcopus. Unde Tertullianus, Cyprian. Concilium Eliber. Conc. Laodic. Cyrillus Hieroſol. Optatus, Pacianus, Ambroſius & cæteri conjungunt ſuſceptionem Confirmationis cum ſuſceptione Baptiſmatis. Et Innocentius ad Decentium: *De conſignandis verò infantibus*. Et conſtat, quòd Confirmatio ſtatim cum Baptiſmo celebrabatur præſente Epiſcopo, quo abſente, primâ datâ occaſione. Unde Hieron. Dialogo adversùs Luciferianos teſtatur hanc fuiſſe ſuo tempore Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos qui longè in minoribus urbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati erant, Epiſcopus ad invocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurreret. Et ut habet S. Thomas III. p. q. LXXII. a. VIII. *Per hoc Sacramentum promovetur*

homo ſpiritualiter in ÆTATEM PERFECTAM. *Hoc autem eſt de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter naſcitur, ad perfectam ætatem perveniat. Multò autem magis de intentione Dei eſt omnia ad perfectionem perducere. Et ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi.* Et ad II. *Etiam* IN PUERILI ÆTATE *homo poteſt conſequi perfectionem ſpiritualis ætatis. Et inde eſt, quòd multi* IN PUERILI ÆTATE, *propter robur Spiritus ſancti perceptum, uſque ad ſanguinem fortiter certaverunt pro Chriſto.*

Sed progreſſu temporis, ſive id contigerit ex incuria & negligentia parentum, ſive ex difficultate habendi commodè Epiſcopos, ſive denique ex bona aliqua ratione, qualis eſſet, ad evitandum ejus iterationem, & ut in hoc Sacramento, quod eſt quaſi ultima Baptiſmi conſummatio, ſuſcipiens faciat per ſeipſum fidei ſuæ profeſſionem quam baptizatus in infantia per alium fecit, ac denique ut majori cum reverentia ſuſcipiatur: expectatum eſt ad annos *diſcretionis*, & Confirmatio fuit adminiſtrata ſeparatim à Baptiſmo, neque ante hanc ætatem: quemadmodum Euchariſtia cœpit adminiſtrari ſeparatim à Baptiſmo, cùm antè miniſtraretur infantibus mox baptizatis.

Qui verò cenſuerunt ad hanc uſque ætatem eſſe expectandum, ut neque damnare voluerunt uſum veteris Eccleſiæ, ſic neque præcisè convenerunt inter ſe de anno, aliis *ſeptennium* ſufficere, *ſi duodecimus annus* non videatur expectandus, ut Catechiſmus Tridentinus, Synodus Lingon. M. CCCCIV. Senonenſ. M. DXXIV. Pariſ. M. DLVII. Conventus Melodun. M. DLXXIX. Turonenſ. M. DLXXXIII. Bituric. M. DLXXXIV. Aquenſis M. DLXXXV. Conc. Mediol. I. ſub S. Carolo M. DLXV. aut etiam *duodecimum* annum abſolutè expectandum eſſe ſentientibus; quo penitus modo expectamus, ut infantes pervenerint ad eam ætatem, in qua Corpus Domini dijudicent, idque aptè, cùm aptè etiam olim hæc ætas haud expectaretur. In hac re & ſimilibus placet illud Ambroſii quod Auguſtinus oraculi vice ſuſcepit. *Ad quam fortè Eccleſiam veneris, eius morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo nec quemquam tibi.* Nam, ut habet idem Auguſtinus Epiſt. CXVIII. ad Januarium. *Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos vivitur ſocietate ſervandum eſt.* Et infrà. *Senſi enim*

ſæpe

sæpe dolens & gemens multas infirmorum perturbationes fieri per quorundam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ authoritate, neque universalis Ecclesiæ traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate ad certum possunt terminum pervenire (tantùm quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam, quo remotiorem à suis, eo doctiorem factam putat,) tam litigiosas excitant quæstiones, ut nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.

Et in his locis in quibus expectatur usque ad *septennium*, est tamen in Episcopi voluntate illud prævenire ubi voluerit, & laudabile maximè est ut præveniat respectu constitutorum in periculo mortis. Unde S. Thomas loco cit. ad IV. *Etiam morituris hoc Sacramentum dandum est, ut in Resurrectione perfecti appareant, secundùm illud Ephes.* IV. DONEC OCCURRAMUS IN VIRUM PERFECTUM. Et ideo Hugo de S. Vict. dicit. OMNINO PERICULOSUM ESSET, SI AB HAC VITA SINE CONFIRMATIONE MIGRARE CONTINGERET. NON QUIA DAMNARETUR NISI FORTE PROPTER CONTEMPTUM, SED QUIA DETRIMENTUM PERFECTIONIS PATERETUR. *Unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut & hic majorem obtinent gratiam.* Ad id verò quod in Epistola Melchiadi attributa dicitur, quòd quamvis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen Confirmationis necessaria sunt auxilia; respondet idem S. Thomas, quòd *authoritas illa intelligitur quantum ad hoc, quòd morituris non est necessarium hoc Sacramentum propter periculum pugnæ præsentis.* Atque hanc doctrinam de administranda Confirmatione infantibus morituris sanctus Doctor acceperat ex Concilio Paris. IV. c. XXXIII. docente. *Infirmis & morte periclitantibus sicut Baptismi gratiâ succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus sancti esse tradendum.* Et in Pontific. Rom. *Pontifex infantes, pueros, vel adultos sacri Baptismatis undâ perfusos confirmare volens &c.* Quâ loquendi ratione significatur esse in ejus arbitrio ut confirmet infantes, & eos de quorum morte metuimus, & eos etiam qui versantur extra periculum.

ARTICULUS SECUNDUS.

De dispositionibus requisitis ad suscipiendam Confirmationem.

NON alia requiritur in infantibus à susceptione Baptismatis.

In adultis autem quædam necessaria sunt ex parte *corporis*; & alia ex parte *animæ*.

Requiritur ex parte *corporis* (si commodè id possint, & ordinariè possunt ubi manè ministratur) ut sint *jejuni*. Requiritur ex parte *animæ* ut *confiteantur sacramentaliter*, si graviorum peccatorum rei sint, suppetatque copia confessarii: quæ si non suppetat, tenentur saltem habere *contritionem perfectam*, seu *amorem Dei super omnia*; aliàs non debent ad illud accedere. Capit. Heraldi Turon. c. LXXV. *Ut* JEJUNI *ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, & moneantur* CONFESSIONES DARE PRIUS, *ut mundi donum sancti Spiritus valeant accipere.* Refertur de Cons. dist. v. c. *Ut jejuni*, tanquam ex Conc. Aurel. à Gratian. & à Burchardo, atque ab Yvone. In Constitutionibus Odonis Paris. c. IV. *Si confirmandus adultus fuerit,* CONFITEATUR *prius, & postea confirmetur.* In Synodo Lingon. anno M. CCCCIV. *Priusquam quis confirmetur aut chrismetur, si annos discretionis habet,* CONFITEATUR *peccata sua, & sit jejunus si fieri potest.* In Trecensi. JEJUNI, *si fieri potest, omnes debent recipere Sacramentum. Si confirmandus unus adultus, antequam confirmetur instruatur, ut* CONFITEATUR *peccata sua.* In Synod. Senon. anno M. DXXIV. *Illud Sacramentum Pœnitentes &* CONFESSI, *& si fieri potest,* JEJUNI *recipiant & reverenter.* In Carnot. an. M. DXXVI. *Præcipimus Curatis & eorum Vicariis, ut moneant suscepturos hoc Sacramentum ut sint* JEJUNI, *si commodè fieri posset. Et si adulti fuerunt, sint contriti &* CONFESSI. In Syn. Paris. M. DLVII. A CIBO ABSTINENS (*si commodè potest*) *& Sacramentali* CONFESSIONE *purgatus, Confirmationis Sacramentum religiosè suscipiat.* In Conventu Melodun. an. M. DLXXIX. *Adulti* INCONFESSI *accedere haud præsumant, aut saltem sinè maximo peccatorum dolore commissorum, & proposito* CONFITENDI. In Rothom. an. M. DLXXXI. *Adultis non nisi* CONFESSIS *& profitentibus*

Apostolicum tradant. In Rhemensi M. DLXXXIII. *Iis qui usum aliquem rationis habent*, CONFESSIS, *& si commode fieri potest*, JEJUNIS. In Burdigal. M. DLXXXIII. *Moneantur etiam qui adulti sunt ut ad tantum Sacramentum non accedant, nisi præmissâ peccatorum* CONFESSIONE, *aut saltem maximo peccatorum dolore, & maturè confitendi proposito.* In Turon. anni M. DLXXXIII. *Qui autem sunt adulti, non nisi prævià peccatorum* CONFESSIONE *admittantur.* In Bituric. M. DLXXXIV. *Moneantur omnes confirmandi, ut ante hujus Sacramenti susceptionem peccata sua* CONFITEANTUR. In Aquensi M. DLXXXV. *Qui adulta ætate confirmandi sunt, primò de peccatis suis* CONFITEANTUR, JEJUNI *illud suscipiant, cùm manè ministratur.* In Tolos. M. DXC. *Adultos etiam & peccata* CONFITERI, *& symbolum profiteri &* JEJUNOS *accedere hortetur.* In Narbon. an. M. DCIX. *Adultos etiam peccata* CONFITERI, *symbolum profiteri &* JEJUNOS *accedere hortentur, si horâ matutinâ hoc Sacramentum conferatur.* In Burdig. M. DCXXIV. *Curent ut adulti vel antea de peccatis* CONFITEANTUR, *vel compuncto animo Sacramentum recipientes, quamprimum ad pœnitentiam accedant, ne quid scilicet præposterè inordinatè, & sinè fructu fiat.* Concinit Conc. Mediolan. IV. sub. S. Carolo & Catechismus Trid. *Ut qui adultâ jam ætate confirmandi sunt, si quidem hujus Sacramenti gratiam & dona consequi cupient, eos non solùm fidem & pietatem adferre, sed graviora etiam peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere oporteat. Qua in re etiam elaborandum est, ut peccata etiam priùs* CONFITEANTUR, *& Pastorum cohortatione ad jejunia & alia pietatis opera suscipienda incitentur, admoneanturque laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut non nisi* JEJUNI *hoc Sacramentum susciperent.*

ARTICULUS TERTIUS.

De necessitate Sacramenti Confirmationis.

PRIMA sit propositio. Confirmatio non est necessaria necessitate medii. Probatur: quia homo fidelis potest salvari absque illius actuali susceptione. Quod patet ex Conc. Eliberit. Can. LXXVII. *Si quis Diaconus regens plebem sinè*

Episcopo vel Presbytero aliquos baptizaverit, eos Episcopus per benedictionem perficere debebit. Quòd si ante de sæculo recesserit, SUB FIDE QUA QUIS CREDIDERIT, POTERIT ESSE JUSTUS. Ex S. Hieronym. adversùs Luciferian. *Multis in locis idem factitatum docemur ad honorem potiùs Sacerdotii, quàm ad legis necessitatem. Alioqui si ad Episcopi tantùm imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in viculis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati antè dormierunt, quàm ab Episcopis inviserentur.* Ex Hilario Arelat. Homil. de Pentecost. *Continuò transituris sufficiunt regenerationis beneficia, victuris autem necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Ex Amalar. lib. I. de Offic. c. XXVII. Item ex praxi Ecclesiæ quæ non ita curat singulos fideles confirmari, quemadmodum curat singulos baptizari. His adde lib. VII. Constit. Apostol. cap. XXIII. Et Epistolam quæ Melchiadis nomine circumfertur. Et c. *Quanto, De consuetudine*, quòd est Innocentii III. cujus verba retulimus art. ult. disput. præcedentis.

Secunda propositio. Ad hoc ut aliquis sit *perfectus* Christianus, necesse est illum suscipere Sacramentum Confirmationis *in re* vel *in voto*. Probatur: quia per hoc solummodo Sacramentum fidelis consequi potest, de via ordinaria plenitudinem Christianismi, ut intelligitur ex dictis, de ejus effectu. Et ut ait S. Thom. III. p. q. LXXII. a. VI. ad I. *Sicut nullus consequitur effectum Baptismi, sinè Baptismi voto ita nullus consequitur effectum Confirmationis sinè voto ipsius.*

III. propositio. Necessarium est cuique fideli non contemnere susceptionem Sacramenti Confirmationis. Probatur: quia ex S. Thom. III. p. q. LXV. art. IV. ad III. *Omnium Sacramentorum contemptus est saluti contrarius.*

IV. propositio. Supposito quòd susceptio Confirmationis neque sit de necessitate *medii*, neque de necessitate *præcepti*, qui non curaret illam recipere, non ideo contemptor esset habendus. Ita S. Thom. ibidem his verbis. *Non tamen est contemptus Sacramenti, ex hoc quòd aliquis non curat accipere Sacramentum, quod non est de necessitate salutis.*

V. propositio. Susceptio Confirmationis *in re* vel *in voto* est adultis necessaria necessitate *præcepti divini* & *Ecclesiastici*. Probatur prior pars: tum quia unusquisque debet eniti ut assequatur perfectionem Christianismi, quemadmodum est de

intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat: tum etiam quia recta ratio præcipiens unicuique consulere suæ securitati, postulat ut instruatur viribus subministratis à Christo ad evadenda pericula, & ad superandos adversarios. At verò per Confirmationem habemus à Christo vires ad conservandam fidem adversùs ejus hostes, & Cornelius Papa Epist. ad Fabium Antioch. sæpe laudatâ observat Novatianum defecisse, quia non susceperat Spiritum sanctum in Confirmatione. Atque id voluerunt Hilarius Arelat. Gregorius loco citando inferiùs. Amalarius & Pseudo Melchiades locis mox indicatis. Et confirmatur ex iis quæ Theologi docent de necessitate præcepti divini recipiendæ Eucharistiæ etiam extra periculum mortis, ex eo scilicet quòd est instituta per modum alimenti animæ, & ad robur: quia ratio hæc æque concludit pro necessitate præcepti divini Confirmationis.

Posterior pars nostræ propositionis probatur ex Can. XXXVIII. Concilii Eliberit. ubi de Baptismo per fidelem laïcum in necessitate. *Si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem perfici possit.* Laodic. Can. XLVIII. *Quod oportet eos qui illuminantur post Baptismum inungi supercælesti Chrismate, & esse Regni Christi participes.* Hieronymo. *Non abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem.* Gregorio Magno lib. XII. Epist. XXXI. præcipiente Confirmationem iterari quæ facta probari non potest: *Ne talis*, inquit, *dubitatio ruina fidelibus fiat.* Concil. Paris. VI. c. XXXIII. lib. I. *Infirmis & morte periclitantibus sicut Baptismatis gratiâ succurrendum, ita incunctanter donum Spiritus sancti est tradendum.* Jona. Aurel. lib. I. c. VII. *Nequaquam à fidelibus tanti doni perceptio negligenter differenda, sed potiùs remoto torpore negligentiæ, cum magna animi aviditate & devotione petenda & percipienda: ne sinè ipsius doni munere quis rebus humanis eximatur.* Petro Damiani Serm. I. in Dedicat. Ecclesiæ. *Decretales paginæ, & sanctorum Patrum instituta decernunt, non esse differendam post Baptismum Sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, à quo nemo unquam nocendi inducias extorsit.* Hug. à S. Victore lib. I. de Sacram. c. XXII. & lib. II. p. VII.

Probatur etiam ex Constit. Odonis Paris. *Post Baptismum debet suscipi Sacramentum Confirmationis.* Ex Synodo Senon.

an. M. DXXIV. *Confirmatio fortiorem reddit ad resistendum tentationibus, promptiorem ad Deo serviendum, & Dei præcepta implendum. In fidei confessione confirmatum constantiorem efficit: quam omnes Christiani tam viri quam mulieres usum rationis habentes obligantur suscipere, aut saltem non contemnere. Contemni autem dicitur quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens neglegit aut despicit suscipere.* Paris. M. DLVII. *Confirmationis Sacramentum quilibet Christianus rationis capax suscipere, vel saltem non negligere tenetur, si pateat opportunitas.* Mediol. IV. sub S. Carolo. *Parochi videant, ne quis eorum qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat. Quare præmoneant, quod etiam Concilii Wormatiensis Canone sancitum est, ut quicunque intra Parochiæ suæ fines habitant neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ætate sunt, qua Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant.* Convent. Melodun. M. DLXXIX. *Qui per Baptismum renati quasi modò geniti infantes, cùm sint imbecilles, & in spiritali certamine vix certare possint, Sacramento Confirmationis, ut contra omnes insidias diaboli pugnare possint, donandi sunt. Eo enim adversùs dæmonis, mundi & carnis impetus facilè evadere victores poterunt. Adhortetur ergo sæpe populum Parochus ad tanti Sacramenti susceptionem, & doceat quanta cum fiducia & animi puritate suscipi debeat: ne quis illud suscipere dedignetur, ut olim suo periculo Novatum fecisse legimus.* Remensi M. LXXXIII. *Quemadmodum humanæ militiæ tyrones, etsi jam adscripti sint in numerum militum, nondum tamen illis summa belli committitur, nisi fuerint exercitatiores: sic quamvis unusquisque per Baptismum Catalogo fidelium sit adscriptus, ad diaboli tamen carnis mundique tentationes perferendas ac superandas non nisi per impositionem manuum Episcopi plus roboris & gratiæ recipit. Moneant ergo Parochi divinique verbi præcones, Sacramentum Confirmationis non debere negligi vel prætermitti à verè Christianis, hoc præsertim tam calamitoso & hæreseon pleno tempore.* Bituric. an. M. DLXXXIV. Can. VII. de Confirm. *Moneatur populus de ejus necessitate, virtute, eique debita reverentia.* Aquens. M. DLXXXV. *Parochi videant, ne quis eorum qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligant: sed eos omnes, quos in ætate legitima, qua eos Episcopus duxerit esse debere, cognoverit ad illud suscipiendum, omni cura & diligentia adducat: quos verò negligentes animadverterint, ad Episcopum deferant.* Tolos. M.

DXC. *Tanti Sacramenti dotes, vim, dignitatem, imò etiam non adspernendam necessitatem populo Parochi commendabunt.* Burdigal. an. M. DCXXIV. *In pagis & vicis dum visitant Episcopi, tantum Sacramentum nullus omittat.* His adde Can. XV. sub Edgaro Rege Angl. *Ut nullus ab Episcopo confirmari diu nimium detrectarit.* Atque etiam Epist. IV. quæ Clementi adscribitur, & Epistolas Pseudo-Urbani & Pseudo-Melchiadis locis relatis disput. II. art. III.

Quæres I. *pro quo tempore* præceptum *divinum* de suscipienda Confirmatione obliget?

Respondeo, obligare pro tempore *persecutionis fidei*, vel quando fidelis premitur *gravioribus contra fidem tentationibus:* quibus duobus seclusis, tenetur adhuc *in periculo mortis:* extra quæ tempora non est aliud determinatum à Christo, sed relictum determinationi Ecclesiæ. Probatur 1ª pars: quia Confirmatio est instituta ad conferendum nobis vires, quibus firmi in fide, ingruentibus ejus adversariis, permaneamus. Si quando autem præceptum divinum obliget de recipiendo Sacramento, quo nobis vires ad profitendam fidem, eamque fortiter tuendam subministrantur, maximè pro eo tempore obligat, quo viribus istis egemus: & indigemus potissimùm iis tempore persecutionis, atque graviorum tentationum contra fidem.

II. pars ostenditur: quia baptizatus exponeret se aliàs periculo exeundi è sæculo in infantia Christiana, & nondum consecutus plenitudinem Christianismi; quod esset contra legem Dei præcipientem ejusmodi plenitudinem omnibus Christianis: quia recta ratio vult, ut omnis qui spiritualiter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat.

III. denique probatur: quia determinatio Christi nullibi extat, neque validâ ullâ ratione potest inferri.

Ex quo patet fidelem quemque adultum non confirmatum teneri convenire (si possit) Episcopum suum, vel aliquem alium Pontificem ad id potestatem habentem, tempore persecutionis, & gravioris contra fidem tentationis, etiamsi non possit conveniri sinè magno aliquo incommodo: quod si conveniri non possit, teneri ad habendum votum illius.

Quærés II. pro quo tempore præceptum Ecclesiasticum de suscipienda Confirmatione obliget adultos?

Respondeo obligare pro eo tempore, quo Episcopus est

præſens, dare paratus, nullamque baptizatus habet rationem legitimam ad differendam illius ſuſceptionem. Id quippe videtur colligi ex Canonibus & ſtatutis Eccleſiæ ſuprà relatis.

Quæres III. utrùm parentes teneantur vi præcepti Eccleſiaſtici adducere infantes confirmandos ad Epiſcopum, quando pervenerunt ad ætatem ſufficientem, & Epiſcopus præſens eſt atque dare paratus?

Reſpondeo affirmativè: quia parentes tenebantur adducere infantes ſuos ad Epiſcopum ſtatim à percepto Baptiſmate, quando Confirmatio ſtatim poſt Baptiſma ſuſceptum adminiſtrabatur. Ergo nunc tenentur illos offerre Epiſcopo confirmandos, quando pervenerint ad ætatem idoneam.

DISPUTATIO NONA.

De Cæremoniis Confirmationis.

ARTICULUS PRIMUS.

De iis quæ adhibentur ante Confirmationem.

CHRISMATIS CONSECRATIO.

DE hac abundè locuti sumus disput. v. art. v.

PATRINI.

Ut in Baptismo, ita & in Confirmatione adhibentur. xxx. q. I. c. *Si quis*: c. *Dictum est*: & c. *De his*. Et de Consecr. dist. IV. c. *In Catech.* c. *Non plures*: c. *In Baptismate*.

Cur adhibeantur, docet S. Thom. III. p. q. LXXII. a. X. c. his verbis. *Hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quæ pertinent ad conservationem vitæ: ita illi qui assumuntur ad pugnam indigent eruditoribus, à quibus instruantur de his quæ pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces & centuriones per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc Sacramentum, ab alio tenetur quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam, & quia per hoc Sacramentum confertur homini perfectio spiritualis ætatis; ideo ille qui ad hoc Sacramentum accedit sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillus & puer.* Et ad II. *Licèt baptizatus sit effectus membrum Ecclesiæ, nondum*

tamen est adscriptus militiæ Christianæ. Et ideo Episcopo tanquam duci exercitûs, per alium exhibetur jam militiæ Christianæ adscriptum. Non enim debet alium ad Confirmationem tenere, qui nondum est confirmatus. Et hoc habetur expreſsè c. cit. *In Baptiſmate.*

Arcendi quoque ſunt ab hoc munere ex confirmatis, qui non ſunt bene inſtructi de fide ac vita Chriſtiana, aut qui parati non ſunt alios erudire de iis. Hanc ob cauſam S. Carolus in Conc. Mediolanenſi voluit non eſſe minores *annis* XIV. Item & *publici pœnitentes*, ex Conc. Pariſ. VI. lib. I. c. LIV. *Monachorum*, *Abbatum & Monialium* eadem quoad hoc videtur eſſe ratio, quæ in Baptiſmate, in quo ſuſceptores eſſe non poſſunt, ex Conc. Antiſſiod. c. XXV. & refertur de Conſecr. diſt. IV. cap. *Non licet.* De *Presbyteris* & *Clericis*, quia olim adhibebantur in Baptiſmo, & nunc multis etiam in locis adhibentur, cur non adhiberentur in Confirmatione cauſæ nihil video. Standum tamen uſui & praxi cujuſlibet Eccleſiæ. Excludendi ſunt pariter ab hoc munere *parentes* ejus qui confirmandus eſt, quibuſcum, velut in Baptiſmo, *cognatio ſpiritalis* contrahitur, ex locis ſuprà cit. Idem poteſt eſſe ſuſceptor in *Confirmatione* qui fuit in *Baptiſmate.* Contraria tamen olim fuit Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, c. *In Catecheſ. Unus* ſit *Patrinus*, vel *Matrina una*, ex c. *Non licet.* In nonnullis Eccleſiis ſtatutum fuit, ut *compater* ſit pro *maribus*, *commater* pro *fœminis.* Conc. Mediol. V. *Ut ne fœminis mares, nec verò contrà maribus fœminæ, neque ſenioribus adoleſcentes, cùm minimè hoc per ætatem conveniat, compatres in Confirmationis Sacramento adhibeantur: niſi id aliter neceſſitas aliquando poſtulat.*

Ritus antiquus eſt, ut *compater dexterâ ſuſcipiat & teneat eum quem offert Epiſcopo confirmandum. Si verò qui offertur adultæ ætatis eſt, pedem ſuum ſuper dexterum pedem compatris, qui ipſum offert, ponit: id quod non ſine myſterii ſignificatione fit. Quam ob cauſam, & qui confirmatur Patrinus tunc coram Epiſcopo confirmante ſtet*, inquit Concil. Mediol. V. ſub S. Carolo. Lege ritum iſtum veterem in Ordine Rom. & in lib. Sacram. S. Gregorii.

NOMEN.

In Confirmatione *nomen* confirmandi *mutari* debet ſi *turpe*

sit, vel *ridiculum*, vel *indignum* homine Christiano. Ita Conc. Mediol. cit. *Curet*, inquit, *etiam Episcopus ac Parochus, ut qui* TURPE RIDICULUMVE *nomen habet, neque planè conveniens homini Christiano, illud* MUTET, *sumatque in Confirmationis Sacramento nomen alicujus, qui veræ pietatis sanctæque religionis laude floruit. Ut qui hactenus non ad normam Christi Domini vitam instituit, jam abjecto ejusdem nomine, depositoque veteri homine & antiquâ socordiâ, rursusque novo ac sancto suscepto nomine, virilem in sanctè agendo constantiam perpetuò deinceps præstet.* Idem Aquense M. DLXXXV. & Tolosanum M. DXC.

Potest etiam (etsi non necesse sit) immutari vel addi nomen aliud nomini sancto & convenienti. Const. Odonis Paris. *Possint nomina mutari pueris, si velint in Confirmatione, aut si visum fuerit expedire.* Const. Synodales Rhemensis Ecclesiæ. *Nomina ipsorum, si velint, mutabimus confirmando.* Synodi Trecensis M. CCCC. & Senon. M. DXXIV. *In cujus receptione licita est nominis mutatio.* Carnot. M. DXXVI. *Et quòd si voluerint, possunt nomina sua mutare, dum tamen fraus & dolus absint.*

ABLUTIO FRONTIS.

Confirmandi mundare, seu *abluere frontem* atque *aperire* tenentur, antequam se sistant Episcopo. Synodus Rothom. M. DLXXXI. *Jubeant ut* MUNDA *& nitidâ* FRONTE *accedant.* Aquens. M. DLXXXV. *Ut non fronte sordidâ, aut capillis, ut aliquando ex nimia contingit accedentium incuria, indecenter contectâ accedant.* Conc. V. Mediol. sub S. Carolo. *Pridie illius diei quo suscipient,* CAPUT LAVENT, *aliove modo* MUNDENT, *capillosque sibi* TONDERI *curent.*

VESTES.

Quando Confirmatio immediatè post Baptisma conferebatur, confirmandi vestibus albis induebantur, antequam offerrentur Episcopo. Liber Sacram. S. Gregorii: *Pontifex verò redit in sacrarium, expectans, ut cùm vestiti fuerint infantes, confirmet eos.* Ordo Romanus. *Pontifex ergo egreditur à fonte in sacrarium, habens ibi compositam sedem, ut in Ecclesia ubi voluerit, & sedeat in ea: & cùm vestiti fuerint infan-*

tes, confirmet eos. Author. lib. de Divin. Offic. *Postquam verò vestiti fuerint, deportantur ante Pontificem ad confirmandum.* Et hæc vestis *alba* erat: ut præter quod libris istis habetur expressè, constat ex Cyrillo Hier. Catech. IV. Ambr. de iis qui init. c. VII. Chrys. in Ps. CXVIII. Paulino Epist. XII. Greg. Tur. l. II. Hist. c. XXIX. Theodulpho. Jesse Amb. & aliis.

Ex quo verò susceptio Confirmationis dilata fuit ad tempus aliud à tempore Baptismatis, non alia est habita ratio vestium, nisi ut *mundæ* essent atque *modestæ*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De iis quæ adhibentur in ipsa Confirmatione.

TEMPUS.

OLIM idem quod Baptismi, post quem conferebatur immediatè. Baptismi etiam solemnis quodlibet tempus in ipso Ecclesiæ nascentis exordio, etiam extra periculum & casum necessitatis censebatur idoneum. Dehinc duo dies solemni Baptismo consecrati sunt *Sabbatum ante Pascha, & Sabbatum ante Pentecosten.* Quibus duobus adjecti sunt in nonnullis Provinciis *dies Epiphaniæ, aut dies Natalis Domini,* extra casum necessitatis: & in eo casu, quilibet *dies* & *hora.* Quare tempus idem erat Confirmationis.

Sed postquam celebratio duorum illorum Sacramentorum etiam tempore separata est, Confirmatio administrata fuit pro opportunitate Episcopi: frequentiùs tamen *feriis ipsis Pentecostes,* atque *Quatuor temporum.* Quando commodè id potest, *horâ tertiâ* confertur, quâ videlicet Spiritus sanctus illapsus est in Apostolos. Concil. Mediolan. V. *Hoc Sacramentum Episcopus ministrare studebit horâ tertiâ potissimùm, quæ ex antiquo ritu stata hujus Sacramenti hora est.* Concinit Aquense anni M. DLXXXV.

LOCUS.

Olim quilibet locus, quando scilicet Baptismus solemnis quolibet in loco ministrabatur. Postea, quando Baptismo so-

lemni ſpecialis locus deſignatus eſt, Confirmationis locus ordinarius erat *Eccleſia Cathedralis*, à qua non longè erat *Baptiſterium*, ut eruitur ex authore lib. de Divinis Officiis. Quod volo dictum, quando Confirmatio unà cum Baptiſmate ſuſcipiebatur. Poſtea etiam Eccleſiæ *villarum atque oppidorum*, ad quas Epiſcopus excurrebat ſignaturus Neophytos, teſte Hieron. Ac denique *quilibet ſacer locus* in *urbe* vel in *oppidis*, ubi præſens eſt Epiſcopus paratus confirmare: atque in caſu neceſſitatis, ſeu mortis periculo, etiam locus profanus, v.g. infirmi cubiculum &c.

ORDO ET SITUS.

Primò, inquit Concilium Mediol. V. *mares in Eccleſia à parte ſua, fœminæ ab altera ſint: ſicque ſeparatim diſtincti, genibus flexis, manibus ante pectus junctis, ſuo quiſque ordine, piè & religiosè orent. Imprimiſque ab omni ſtrepitu, vociferatione & inani confabulatione caveant: ſed ſilentio ſancto utantur. Et quod veteris ritûs eſt, primùm mares, deinde fœminæ confirmentur, niſi aliquando aliter fieri Epiſcopus cenſuerit.* Concinit Aquenſe anni M. DLXXXV. Et quemadmodum ex Ordine Romano *mares* primùm, & poſtea *fœminæ* baptizabantur, ita mares ante fœminas confirmabantur.

ALAPA.

Confirmatus manu in maxilla leviter cæditur ab Epiſcopo. Quo tempore inſtitutus ille ritus fuerit, ignoro. Apud veteres authores non legi. Qua intentione? Varii varia. Synodus Senonenſis a. M. DXXIV. & Carnotenſis hanc reddunt rationem. *Ut eà percuſſione infantes memoriam habeant ſe fuiſſe confirmatos, ne iterum confirmentur.* Magis placet ratio Catechiſmi Romani. *Ut meminerit confirmatus ſe tanquam fortem athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa, invicto animo, pro Chriſti nomine ferenda.*

PAX ET ORATIO SUPER CONFIRMATOS.

Confirmato *pax* datur ab Epiſcopo. Ordo Rom. Author lib. de Divinis Officiis c. *de Sabb. ſancto*. Amalarius lib. 1.

c. XXVII. Verba quibus datur. *Hæc sunt*, inquit, *verba salutationis ad novum hominem.* Catech. Rom. *Ut intelligat se gratiæ cœlestis plenitudinem & pacem, quæ exuperat omnem sensum consecutum esse.* Dehinc Pontifex fundit orationem pro illis. Ordo Rom. &c.

ARTICULUS TERTIUS.

De his quæ usurpantur post Confirmationem.

VITTÆ LINEÆ SEU BANDELLI APPOSITIO.

FRONS confirmati *vittâ lineâ* circumligatur. Qua de re Synodus Trecensis an. M. CCCC. *Confirmandi* BANDELLOS *longos & latos secum habeant, quos post Confirmationem triduo die ac nocte deferant, ne Chrisma ab aliis possit tangi.* Synodus Lingon. M. CCCCIV. *Portent secum* BANDELLOS *latos duorum digitorum ad minus, & longos in tantum quod caput possit circumligari. Confirmati seu Chrismati teneant capita ligata dignis bandellis post Confirmationem per duos aut tres dies.* Synodus Senon. an. M. DXXIV. *Confirmandi* VITTAS *seu* BANDELLOS *mundos, latos & longos secum habeant, quos post Confirmationem per triduum die ac nocte deferant, ne Chrisma possit ab aliis tangi.* Synodus Carn. M. DXXVI. *Ut* BANDELLOS *mundos latos & longos habeant, quos post Confirmationem portent ad minus per* XXIV. *horas, ne Chrisma possit ab aliis tangi.* Item habet Synodus Paris. anni M. DLVII. cujus verba referemus inferius. Conventus Melodun. an. M. DLXXIX. VITTA LINEA *ligentur confirmatorum frontes, quam triduo, quo maiori honore hoc tractetur Sacramentum, portare tenebuntur.* Bituricens. an. M. DLXXXIV. *Confirmatis* FASCIA *adhibeatur in fronte, quam per triduum, in recordationem suscepti Sacramenti gestare teneantur.*

VITTÆ LINEÆ DEPOSITIO ET CHRISMATIS ABSTERSIO.

Deponebatur olim post *septimum* diem, quo die frons Chrismate sacro illita abstergebatur. Ordo Rom. tit. de ob-

servanda unctione Chrism. *Quanto autem tempore generaliter ab Ecclesia celebratur adventus Spiritus sancti super Apostolos; tanto tempore debet servari unctio Chrismatis.* Idem habet author lib. de Divinis Officiis c. *De Sabbato in albis.* Hugo à S. Vict. lib. II. de Sacram. p. VII. c. VII. *Solent quidam quærere, quanto tempore debeant unctionem Chrismatis observare in capite, ut scilicet capita non lavent qui accipiunt manûs impositionem absque tempore baptisterii? Quibus responderi potest, conveniens esse, ut tanto tempore adventus Spiritus sancti apud unumquemque qui eum accepit celebretur, quanto tempore generaliter ab Ecclesia celebratur adventus Spiritus sancti super Apostolos, hoc est* VII. *diebus. Et meritò. Quia* VII. *sunt dona Spiritus sancti: & in* VII. *comitibus ad hospitem suum Spiritus sanctus venit; & dignum est, ut habeat unusquisque diem suum, & unicuique in die suo convivium præparetur.*

Dehinc *vitta linea* deposita fuit post *triduum*, ut loci modò relati probant, vel etiam in nonnullis Ecclesiis post *biduum*, ut Trec. Syn. vel etiam post XXIV. *horas*, ut Synodi Carnot. textus ostendit.

Usus tamen vittarum linearum talis erat, ut in arbitrio Episcopi esset dispensare. Unde Convent. Melod. cit. *Nisi frontes præsente Episcopo eodem panno vel bombyce abstergendæ curentur.* Et in nonnullis Ecclesiis minimè usurpatur usus iste bandellorum, sed frons abstergitur statim post celebrationem Sacramenti.

De abstersione, ita Synodi laudatæ. Trecensis. *Bandellos post triduum ad Ecclesiam deferant, & confirmatus in fronte ubi Chrismate fuerit linitus, sale & aquâ lavetur, & aqua in loco mundo fundenda est, ubi nequeat conculcari pedibus.* Lingonensis. *Quando tolluntur bandelli, locus frontis ubi sanctum Chrisma fuit appositum cum bandello tergatur, & inde bandellus ad Ecclesiam deferatur.* Senonensis. *Triduo elapso, confirmati ad Ecclesiam cum suis bandellis accedant, ut per Presbyterum in frontibus ubi Chrismate fuerint liniti, sale & aquâ laventur, quæ postmodùm fundenda est in piscinam, aut alium locum mundum & pedibus non conculcandum. Bandelli autem comburantur.* Carnotensis. *Hujusmodi tempore elapso, confirmati veniant ad Parochialem Ecclesiam cum suis bandellis, ut per Presbyterum in fronte, quo loco Chrismate fuerint uncti, sale & aquâ laventur, quæ postmodùm in piscinam projiciatur, aut alium in locum, ne*

pedibus conculcetur. Bandelli autem à prædicto Presbytero comburantur. Parisiensis an. M. DLVII. *Post triduum Sacerdos auferat à fronte pueri Confirmatione initiati linteolum, frontem ejus aquâ & sale lavet, quam in piscinam mittat, linteolum verò comburat.* Mediol. V. *Confirmati frons Chrismate ab Episcopo illita primùm bombyce diligenter à Sacerdote abstergatur, mox à clerico in sacris constituto aquâ lavetur, quæ aqua in baptisterii sacrarium projiciatur.* Bituric. *Tersâ autem a Sacerdote diligenter fronte, fascia in vestiario cremetur, ejus cineres in primum diem quadragesimæ serventur.* Idem habet Aquense Concilium cum Mediolan. V. relato.

Finis Tractatûs de Confirmatione.

TRACTATUS

TRACTATUS
DE
SACRAMENTO
UNCTIONIS INFIRMORUM
EXTREMÆ.



TRACTATUS DE SACRAMENTO UNCTIONIS INFIRMORUM EXTREMÆ.

DISPUTATIO PRIMA.

De variis erroribus circa illud Sacramentum.

ARTICULUS PRIMUS.

De nominibus istius Sacramenti.

PLURES sunt. I. Enim à materia ex qua constat, appellatur à Græcis, *Oleum sanctum.* In Euchologio, *Officium olei sancti.* Et à Latinis, *Oleum benedictionis.* Paschasius in vita *Adhelardi* Abbatis Corbeïensis, *sacra Unctio.* Concilium Moguntinum sub Rabano Mauro c. XXVI. *sacrati olei Unctio.* Lib. VI. capitul. Caroli Magni c. LXXV. *Unctio Sacramenti olei.* Concilium Aquisgranense II. de vita & doctrina infer.

Ordin. c. v. *Sacramentum sacræ Unctionis.* Osbertus in vita sancti Dunstani Archiepiscopi Cantuariensis, *Benedictio sacrati olei.* Heraldus Turonensis c. xxi. *Sanctificatio Unctionis.* Paschasius, lib. de Corp. & Sanguine Domini c. viii.

II. A materia & forma simul, appellatur à Græcis εὐχέλαιον, hoc est, *Oratio cum oleo*, juxta illud Epist. S. Jacobi v. *Orent super eum, ungentes eum oleo.*

III. A subjecto in quo recipitur, appellatur à Latinis, *Unctio infirmorum.* Petrus Damiani Sermone de Dedicatione Ecclesiæ, Yvo Carnotensis, & Gofridus Vindocinensis Epist. xix. & xx. lib. ii. Epistolarum ejusdem Gofridi.

IV. Ab ordine quam habet ad cæteras unctiones, vel etiam à tempore quo datur aliquando infirmis, appellatur *Unctio-extrema.* Prudentius Tricassinus de S. Maura. Odo Parisiensis in statutis Synodalibus. Guilelmus de Nangiaco in vita S. Ludovici Francorum Regis. *Sacramentum exeuntium*, à Scholasticis post Concilium Trident. sessione xiv. cap. iii.

V. Ab effectu vocatur, *Animæ corporisque Medicina*, Concilium Cabilonense II. Canone xlviii. *Liquor quo sanitas redditur, peccata dimittuntur.* Petrus Damiani Sermone citato de Dedicat. *Medicina sancta.* Gofridus Vindocinensis opusculo ix. *Ultimum & quodammodo consummativum totius spiritualis curationis.* S. Thomas lib. iv. contra gentes c. lxxiii.

VI. A ratione quadam sibi intrinseca, dicitur *Publica quædam pœnitentia.* Yvo Carnot. Epist. ccLv. *Pœnitentiæ & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum.* Concil. Trident. sessione xiv. Atque ob id fortè sæculo xiii. Græci nonnulli loco satisfactionis inungebantur oleo per Sacerdotes: quod Innocentius IV. reprobat Epistolâ suâ ad Episcopum Tusculanum scriptâ anno M. CCLIV. his verbis. *Nullis autem per Sacerdotes vel Confessores pro satisfactione Pœnitentiæ unctio aliqua solummodo injungatur. Infirmis verò juxta verbum Jacobi Apostoli, Unctio exhibeatur extrema.* Vocatur etiam *reconciliatio ad mortem* in Codice Arremarensi.

ARTICULUS SECUNDUS.

De erroribus circa rationem Sacramenti novæ Legis convenientem Unctioni extremæ.

CONCILIUM Trident. sess. XIV. de Extrema-unctione c. I. id docet. *Instituta est sacra hæc unctio infirmorum tanquam verè ac propriè Sacramentum novi Testamenti à Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* INFIRMATUR, *inquit &c.* Cap. III. *Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam, docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ habentem: & qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum duntaxat in primitiva Ecclesia referendum esset.* Et Can. I. *Si quis dixerit Extremam-unctionem non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum; sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Can. II. *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem jam cessasse, quasi olim tantùm fuerit gratia curationum, anathema sit.*

WALDENSES.

A nonnullis recensentur inter Hæreticos qui sustinerent Unctionem infirmorum non esse Sacramentum novæ Legis propriè dictum. Ita Dallæus lib. de Extr. unct. c. ultimo, post Bellarminum & Guidonem Carmelitam.

Sed ne authoribus istis assentiar, obstat eorum fidei professio ad Uladislaum Regem, cujus hæc sunt verba. *Sacramenta septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus.* Et infrà. *Ægrotantium unctio duo in se tenet. 1um causam facilioris ingressus ad languentes. Hæc re Sacramentum non est. Alterum est res ipsa signata tali unctione, quæ tribuitur à Deo in Christo. Pro qua re in recta fide, ut languenti fideli id condonetur præcipuè orandum est, B. Jacobi præcepto:* INFIRMATUR *&c.*

Reynerius lib. *de Waldensibus* significavit Waldenses non negavisse, quòd unctio hæc haberet rationem Sacramenti, sed eos redarguisse tantùm quendam abusum, qui irrepserat circa illius administrationem. *Sacramentum*, inquit, *unctionis reprobant, quia* TANTUM DIVITIBUS DATUR *& propter* PLURES SACERDOTES IBI NECESSARIOS. Et inferiùs. *Sacramentum Unctionis extremæ dicunt esse ultimam superbiam. Contrà Jacobi ultimo*: INFIRMATUR QUIS IN VOBIS. *Occasio quia hoc Sacramentum* NULLI DATUR SINE PRETIO. *Et hoc facit* PLURALITAS SACERDOTUM. *Et licèt honestum sit plures Sacerdotes induci, tamen sicut Baptismus & Confirmatio per unum dantur, sic & unctio. Item prædicant quidam* NULLI *Sacramentum hoc debere dari, nisi qui poßit habere* SALTEM DUAS VACCAS. *Unde pauperes graviter scandalizantur. Item dicunt quòd* DUODECIM LUMINA SUNT NECESSARIA IN UNCTIONE: *cùm tamen sufficiat unicum lumen, ubi Corpus Christi ministratur, quia est dignißimum Sacramentum; ita & hîc.*

Opponi potest Ebrardus lib. contra Waldenses c. XI. ubi ait, Waldenses *inunctionem olei subsannantes nec Chrisma, nec oleum sibi poscere.*

Respondeo, quòd subsannabant abusum multiplicem in administratione Sacramenti, non subsannabant ipsum Sacramentum in se. I. erat quòd solis divitibus, aut qui saltem duas vaccas possent habere conferebatur. II. quòd plures ad illius administrationem, neque verò sinè pretio, Sacerdotes tanquam necessarii advocandi dicebantur. III. denique quòd tot lumina ad illud quoque necessariò postularentur.

Opponitur quoque Philchdorfius lib. contra Waldenses c. XXV.

Respondeo nihil ibi contineri, nisi quòd Hæritici isti improbarent benedictionem seu consecrationem olei, quod est materia Unctionis infirmorum. Improbant Calvinistæ benedictionem seu consecrationem aquæ Baptismalis: neque tamen ideo negant Baptismum aquæ esse Sacramentum novæ Legis propriè dictum.

Opponitur denique Æneas Sylvius, qui historiæ Boëmicæ c. XXXV. scribit Waldenses censuisse Extremam unctionem inter Ecclesiæ Sacramenta minimè contineri.

Respondeo, ut suprà, Æneam Sylvium non loqui de Un-

ctione in ſe, ſed ratione benedictionis olei, nonnullorumque abuſuum qui alicubi irrepſerant. Et id voluit verbis iſtis: *Confirmationem* QUAM CHRISMATE PONTIFICES INDUCUNT, *& Extremam-unctionem inter Eccleſiæ Sacramenta minimè contineri.* Obſerva voces iſtas (*quam Pontifices inducunt,*) hoc eſt juxta quem modum Pontifices jubebant ex oleo à ſe conſecrato admiſceri, atque juxta deſignatos quorumdam abuſus. Et confirmatur reſponſio ex ea profeſſione quam Innocentius III. Epiſt. LXXVIII. l. I. Regiſtri XIII. ab illis exigi voluit in hæc verba conceptâ. *Unctionem infirmorum* CUM OLEO CONSECRATO *veneramur.* Quibus videlicet verbis ſatis ſuperque ſignificatur, Waldenſes non ipſius Sacramenti naturam, ſed olei conſecrationem improbaviſſe.

ALBIGENSES.

Hi teſte Alano l. I. adv. hæreſ. dicunt *Extremam olei unctionem quæ datur infirmis, non eſſe Sacramentum, nec aliquem habere effectum. Quia hoc Sacramentum unctionis infirmorum ab Apoſtolis inſtitutum non legitur.*

JOANNES WICLEFUS.

Erroris iſtius propugnator fuiſſe dicitur à Jodoco Clithovæo, Bellarmino, Dallæo ſuprà.

Sed contrà eſt I. quòd articulus iſte non reperitur inter Wiclefi errores condemnatos à Concilio Conſtant. ſeſſ. VIII. II. non refellitur à Philchdorfio cum cæteris erroribus, quos ille ſingulari libro expugnavit. III. Wiclefus ipſe in Trialogo, qui liber eſt in quo ſuos omnes expreſſit, haud meminit iſtius erroris. IV. Thomas Waldenſis abſolvit Wiclefum ab ea accuſatione.

HUSSITÆ.

Ut in eo errore verſati fuiſſe dicantur, expoſcere videtur authoritas Æneæ Sylvii Epiſt. ad Card. Carvaïal, ubi de illis ita loquitur. *Ex Sacramentis Eccleſiæ Baptiſmum, Euchariſtiam, Matrimonium, Ordinemque recipiunt. De Pœnitentia parum ſentiunt. De Confirmatione &* EXTREMA-UNCTIONE *nihil.*

Sed obstat, quòd error iste non contineatur inter articulos condemnatos Joannis Huss Magistri atque Hæresiarchæ in Conc. Constant. sess. xv. Quare sensus Æneæ Sylvii est iste: quòd quamvis Hussitæ non negarent Confirmationem & Extremam-unctionem esse duo Sacramenta novæ Legis; ea tamen suscipere contemnebant juxta ritum Ecclesiæ Romanæ, atque etiam propter quosdam abusus introductos alicubi in eorum administratione. Ad quam interpretationem confirmandam duo maximè faciunt. Alterum, quòd ipse Joannes Huss agnosceret Wiclefum tanquam Magistrum suum, cujus doctrinam probabat in omnibus, ex articulo xxv. Alterum quòd suspecti de hæresi Wiclefistarum vel Hussitarum interrogari jubebantur de duobus illis Sacramentis in hunc modum, ex Conc. Constant. sess. ultima. *Item utrùm credat quòd Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis vel Extremæ unctionis, aut solemnizationis Matrimonii peccet mortaliter?* Quæ interrogatio supponit non negari ab Hussitis Extremam-unctionem esse Sacramentum, sed ejus duntaxat susceptionem nihili fieri propter ritus quibuscum in Ecclesia Romana celebrabatur.

LUTHERANI.

Lutheri hæc sunt verba lib. de Captivit. Babylon. *Huic ungendorum infirmorum ritui duas additiones sese dignas addiderunt Theologi nostri. Unam quòd* SACRAMENTUM *appellant. Alteram quòd* EXTREMAM *faciunt, sitque nunc Sacramentum Extremæ unctionis, quæ nisi in extremo vitæ agentibus periculo dari non debeat. Fortè (ut sunt arguti dialectici) relativam fecerunt ad Unctionem primam Baptismi & sequentes duas, Confirmationis & Ordinis. Verùm habent hic, quod in os mihi retundant, nimirum quòd authoritate Jacobi Apostoli, hic promissio & signum sit, quibus ego Sacramentum constitui hactenus dixi. Ego autem dico: Si uspiam deliratum est, hoc loco præcipuè deliratum est. Omitto enim, quòd hanc Epistolam non esse Apostoli Jacobi, nec Apostolico spiritu dignam, multi valde probabiliter asserant, licèt consuetudine authoritatem, cujuscunque sit, obtinuerit. Tamen si etiam esset Apostoli Jacobi, dicerem non licere Apostolo sua authoritate Sacramentum instituere. Hoc enim ad Christum solum pertinebat. Nusquam autem legitur in Evangelio unctionis*

istius

istius extremæ Sacramentum. Et postea. *Neque enim Apostolus extremam esse voluit, & solùm morituris dandam: sed absolutè dicit:* SI QUIS INFIRMATUR. *Non dicit:* SI QUIS MORITUR. *Neque enim curo quid Dionys. Ecclesiastica Hierarchia hîc sapiat.* Et adhuc. *Apostolus in hoc ungi & orari præcipit, ut infirmus sanetur & allevietur, hoc est, non moriatur, nec sit extremaunctio: quod & usque hodie probant preces inter ungendum dictæ, quæ infirmum restitui petunt. Illi contrà dicunt: non esse dandam unctionem* NISI DISCESSURIS, *hoc est, ut non sanentur & allevientur.* Et infrà. *Sanitatem & restitutionem infirmi promittit..... Quis autem non videt hanc promissionem in paucis, imò in nullis impleri?* Et postea. *Vix* UNUS *Sacerdotulus nunc mittitur: cùm Apostolus velit* MULTOS *adesse, non propter unctionem, sed propter* ORATIONEM; *unde dicit:* ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM *&c. Quanquam incertum est mihi an* SACERDOTES *velit intelligi, cùm dicat* PRESBYTEROS, *id est, seniores.* Et iterum. *Quare hanc unctionem eandem esse arbitror, quæ Marci* VI... *ritum scilicet quemdam primitivæ Ecclesiæ, quo miracula faciebant super infirmis, qui jamdudum defecit..... Et hoc ipsum cautè ac de industria Jacobus prævidit, dum promissionem sanitatis & remissionem peccatorum non tribuit unctioni, sed* ORATIONI. *Sacramentum enim non exigit orationem aut fidem Ministri... Sed nititur in sola promissione & institutione Dei, exigens fidem suscipientis.* Et infrà. *Igitur hoc Unctionis extremæ nostrum Sacramentum non damno, sed hoc esse quod ab Apostolo Jacobo præscribitur, constanter nego..... Numerabimus tamen ipsum inter ea Sacramenta quæ nos constituimus, ut sunt salis & aquæ consecratio & aspersio.* Eadem est mens omnium discipulorum ipsius.

CALVINISTÆ.

Calvinus lib. IV. Instit. c. XIX. §. XVIII. FICTITIUM SACRAMENTUM *est Extrema unctio. Histrionica hypocrisis, quâ citra rationem & sine fructu Apostolos referre volunt... Cæterùm evanuit gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula. Ut igitur maximè demus Unctionem sacramentum fuisse earum virtutum, quæ tùm per manus Apostolorum administrabantur:* NIHIL NUNC AD NOS PERTINET, *quibus virtutum administratio commissa non est.* §. XX. *Ut non abs re Apostoli gratiam cu-*

rationum sibi demandatam, olei symbolo passim testati sunt, non suam, sed Spiritus sancti virtutem; ita rursum Spiritui sancto sunt injurii, qui PUTIDUM ET NULLIUS ENERGIÆ OLEUM *faciunt ejus virtutem.* §. XXI. *Quanquam etiamsi obtinuerint huic ætati convenire, quod de unctione à Jacobo præcipitur (à quo longissime absunt,) nec sic quidem adhuc multùm promoverint in approbanda sua unctione, quâ hactenus nos illiverunt. Jacobus omnes infirmos vult inungi: isti* NON INFIRMOS, SED SEMI-MORTUA CADAVERA *sua pinguedine inficiunt.*

Discipuli non recedunt in istis à Magistro suo. Duo tamen observanda sunt apud illos.

Prius est Chamierum tom. IV. lib. IV. de Sacram. c. XXI. considerantem sanctos Patres docere expressè verba Jacobi Apostoli ad nos quoque pertinere, atque respicere omnia Ecclesiæ tempora, scripsisse, locis istis sanctorum Patrum *probari tantùm unctionem fuisse in usu*: non probari *eam unctionem esse Sacramentum. Quorum illud*, inquit, *non imus inficias: neque enim tam ignota nobis historia Ecclesiæ. Sed quæstiones distinguimus: & quamvis credamus perperam continuatum usum post sublatum donum sanationum; sicut perperam continuata lumina medio die, ex primo usu nocturno, & linguæ Latinæ ex Latinorum consuetudine: tamen non tam sumus faciles, ut persuaderi possimus omnes ritus usurpatos in Christianorum usu fuisse Sacramenta, vel eorum luminum exemplo, quorum necessitate manifestò sublatâ, necesse fuit allegorias comminisci.*

Posterius est Dallæum à Chamiero dissentientem lib. II. de Extrema-unctione contendere, nullo in usu fuisse apud veteres unctionem extremam I. quia nulla mentio ejus occurrit in omnibus, qui plurimi supersunt II[i] & III[i] sæculi libris. II. quòd ne IV. quidem sæculi Patres eam memoraverint, dum accuratè sacra Christianæ Ecclesiæ instituta, ritus, Sacramenta explicant. III. quòd veteres VI. priorum sæculorum Scriptores, dum piorum mortes describunt, nullam Extremæ-unctionis mentionem faciunt. IV. quòd V. sæculi & sequentium ad nonum Scriptores de mortibus piorum, Eucharistiæ ab iis sumptæ meminere sæpius, unctionis infirmorum nunquam. V. quòd pœnitentibus in exitu nulli veterum ad IX. sæculum Extremam-unctionem vel negasse vel concessisse reperiuntur, quibus tamen Eucharistiam alii quidem, ut vetustissimi, negant: alii, ut qui anno CCCXXV. &

deinceps vixerunt, concedunt. Cæterùm apud veteres diu mansisse miraculosam infirmorum unctionem, hoc est, per VII. priora sæcula; atque ab ea ortam Extremam-unctionem. VII. quidem sæculo occurrere unctionem infirmorum ex oleo, sed ab Extrema nostra unctione longè diversam, quorumvis non desperatè tantùm laborantium, & ad sanitatem reparandam, non ad moriendum comparatam, imò & à laïcis ipsis sibi & aliis rite administratam. Sensim denique sæculo XII. immutatam illam veterum unctionem in extremam tandem desiisse: & Cassandrum atque Grotium perverse scripsisse etiamnum illam esse retinendam in Ecclesia.

THEOLOGORUM NONNULLA PLACITA.

Magister l. IV. sentent. dist. XXIII. asserit unctionem infirmorum esse ab Apostolis institutam, & non à Christo. S. Bonavent. ad eandem dist. q. II. ait. *Spiritum sanctum per Apostolos Sacramentum hoc instituisse*, & Marci VI. fuisse tantùm insinuatum, non institutum. Hugo à S. Victore sent. tract. VI. c. XV. id quoque docuerat.

Sunt qui temeritatis, sunt etiam qui sententiam istam erroris accusant. Sed meo quidem judicio, neque damnata illa est à Conc. Trid. neque necessariò consequens est ex dogmate Hæretico: quare non est erronea. Temeritatis cur illi nota inureretur, quæ tam graves habet propugnatores? Nolunt illi Apostolos unctionem hanc authoritate sua instituisse. Volunt id factum ab ipsis ex instinctu Spiritus sancti, & potestate sibi concessa per Christum: quod est agnoscere unctionem esse à Christo, si non immediatè, mediatè saltem institutam. Concilium Trid. definit equidem omnia Sacramenta novæ Legis esse à Christo instituta. Sed quia non definit omnia esse immediatè instituta à Christo, Canon ille neminem ferit Theologorum.

ARTICULUS TERTIUS.

De erroribus circa materiam Unctionis infirmorum.

CONCILIUM Trid. sess. XIV. de Sacram. Extremæ unct. c. I. docet: *Verbis Jacobi Apostoli, ut ex Apostolica traditione*

per manus acceptâ Ecclesia didicit, MATERIAM *esse* OLEUM AB EPISCOPO BENEDICTUM. *Nam unctio aptissimè Spiritus sancti gratiam quâ invisibiliter animæ ægrotantis inungitur, repræsentat.*

WALDENSES.

Ex dictis suprà art. II. Waldenses improbaverunt *consecrationem olei infirmorum.* Ita enim ex Philchdorfio colligimus, & ex Innoc. III.

LUTHERANI.

Lutherus lib. de Captivit. Babylon. putat unctionem ita separari posse ab oratione fidei, de qua Jacobus Apostolus scribit, *quòd salvabit infirmum*, ut eam reponat inter *adiaphora. Extremam*, inquit, *è* QUOTIDIANA *aut* LIBERA *unctione facimus.*

CALVINISTÆ.

Calvinus lib. IV. Instit. c. XIX. §. XXI. *Jacobus dum simpliciter inungi infirmos jubet, non aliam unctionem mihi significat, quàm* VULGARIS OLEI, *nec aliud habetur in Marci narratione. Isti oleum non dignantur nisi* AB EPISCOPO CONSECRATUM, *hoc est, multo halitu calefactum, multo murmure incantatum, & novies flexu salutatum &c.*

ARTICULUS QUARTUS.

De erroribus circa formam Unctionis infirmorum.

CONC. Trid. c. I. citato docet, formam esse illa verba: *Per istam unctionem &c.*

LUTHERANI.

Luthero, ut unctio res est indifferens, atque ut soli orationi fidei competit alleviare infirmum, & obtinere remissionem peccatorum: ita forma significans ejusmodi inunctionem est ejusdem indifferentiæ, & in oratione nullatenus

sita est forma Sacramentalis. *Sacramentum enim*, inquit, *non exigit orationem aut fidem Ministri, cùm impius etiam baptizet absque oratione: sed nititur in sola promissione & institutione Dei, exigens fidem suscipientis.* Breviter Martinus Kemnitius. *De adhibita forma illa verborum, quam Pontificii præscribunt, nulla vel littera, vel syllaba in Evangelica historia legitur.*

CALVINISTÆ.

Calvinus loco suprà cit. §. XVIII. rejicit hanc formam: & cùm neget insuper peccata unctione deleri, eumque effectum remissionis peccatorum soli orationi fidei tribuat his verbis: *Isti per sacram suam, idest abominabilem unctionem, peccata remitti impiè mentiuntur.* Non potest quin improbet formam significantem peccata condonari à Deo per unctionem.

ARTICULUS QUINTUS.

De erroribus circa effectum Unctionis infirmorum.

CONCILIUM Trid. sess. cit. c. II. ita docet. *Res porro & effectus hujus Sacramenti illis verbis explicantur:* ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM, ET ALLEVIABIT EUM DOMINUS, ET SI IN PECCATIS FUERIT, DIMITTENTUR EI. *Res etenim hæc, gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat, magnam in eo divinæ gratiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Ita verò definit Can. II. *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos: sed jam cessasse, quasi olim fuerit gratia curationum, anathema sit.*

LUTHERANI.

Lutherus loco cit. de effectu unctionis infirmorum in sani-

tate corporea posito sic loquitur. *Apostolus in hoc ungi & orari præcipit, ut infirmus* SANETUR ET ALLEVIETUR, *hoc est, non moriatur, nec sit extremaunctio, quod & usque hodie probant preces inter ungendum dictæ, quæ infirmum restitui petunt. Illi contrà dicunt: non esse dandam unctionem* NISI DISCESSURIS, *hoc est, ut non sanentur & allevientur.* Et postea. *Si unctio ista Sacramentum est, debet sinè dubio esse (ut dicunt) efficax signum ejus quod signat & promittit: ac sanitatem & restitutionem infirmi promittit... Quis autem non videt hanc promissionem in paucis, imò in nullis impleri? Inter mille enim vix unus restituitur, idque nemo Sacramento, sed naturæ vel medicinæ beneficio fieri putat. Nam Sacramento contrariam vim tribuunt.* Et adhuc. *Ideo extremam esse volunt unctionem, ne stet ista promissio, hoc est, ne Sacramentum sit Sacramentum. Si enim extrema est, non sanat, sed cedit infirmitati. Si autem sanat, extrema esse non debet.*

Et de altero effectu unctionis infirmorum, qui consistit in remissione peccatorum & gratia confirmante, Lutherus ita se explicat. *Non negamus per Extremam-unctionem dari remissionem & pacem. Non quia Sacramentum sit divinitus institutum, sed quia suscipiens ita credit sibi fieri.*

CALVINISTÆ.

Calvinus loco cit. §. XVIII. scribit de effectu corporeo unctionis infirmorum. *Evanuit gratia illa curationum, quemadmodum & reliqua miracula quæ ad tempus edi voluit.*

De effectu verò spiritali hæc ille §. XXI. *Jacobus dicit ubi unctus oleo fuerit infirmus, & precatio concepta fuerit super eum, si in peccatis fuerit, remissum iri: ut scilicet abolito reatu, pœnæ levationem impetrent: non intelligens pinguedine deleri peccata; sed fidelium orationes, quibus afflictus frater Deo commendatus fuerit, non fore irritas. Isti per sacram suam, idest, abominabilem unctionem peccata remitti impiè mentiuntur.*

ARTICULUS SEXTUS.

De erroribus circa Ministrum Unctionis infirmorum.

CONCILIUM Trid. seff. cit. c. III. *Ostenditur illic* (hoc est in Epist. Jacobi) *proprios hujus Sacramenti Ministros esse Ecclesiæ Presbyteros. Quo nomine eo loco, non ætate seniores, aut primates in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manûs Presbyterii.* Et Can. IV. definit. *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate : ob idque proprium Extremæ-unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.*

LUTHERANI.

Lutherus suprà. *Sed nec hoc servant isti quod Apostolus jubet, Presbyteros Ecclesiæ induci & super infirmum orari. Vix* UNUS *Sacerdotulus nunc mittitur, cùm Apostolus velit* MULTOS *adesse non propter* UNCTIONEM *, sed propter* ORATIONEM. *Quanquam incertum est mihi an* SACERDOTES *velis intelligi, cùm dicat* PRESBYTEROS, *idest, seniores.*

CALVINISTÆ.

Calvinus c. cit. §. XXI. *Jacobus vult infirmum ungi à* SENIORIBUS *Ecclesiæ : isti unctionem non admittunt nisi* SACRIFICORUM. *Quòd apud Jacobum Presbyteros interpretantur Sacerdotes, &* PLURALEM NUMERUM *ad decorem positum nugantur, nimis frivolum est. Quasi verò Ecclesiæ eo tempore sacrificorum examinibus abundarint, ut in longa pompa procedere potuerint, ad ferendum sacri olei ferculum.*

ARTICULUS SEPTIMUS.

De erroribus circa subjectum Unctionis infirmorum.

CONCILIUM Trid. sess. cit. c. III. *Declaratur etiam* (in Epist. Jacobi) *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: unde &* SACRAMENTUM EXEUNTIUM *nuncupatur.*

LUTHERANI.

Lutherus lib. cit. imponit I. Catholicis, quòd assererent non esse dandam nisi discessuris. *Ut appareat* inquit, *eos non authoritate ulla, sed suo arbitrio, ex verbis Apostoli malè intellectis, Sacramentum & unctionem extremam fecisse, cum injuria cæterorum infirmorum, quibus vi propria abstulerunt ungendi beneficium ab Apostolo statutum.* Deinde verò irridet dicentes administrandam esse discessuris. Verba retulimus superiùs, quibus & adjungit. *Ideo & extremam volunt unctionem, ut non sit verum sanari per eam infirmum, quod ille statuit. Si hoc non est insanire, rogo quid est insanire?*

CALVINISTÆ.

Calvinus ibidem §. XXI. *Jacobus omnes infirmos vult inungi: isti* NON INFIRMOS, *sed* SEMIMORTUA CADAVERA SUA *pinguedine inficiunt: quum jamjam anima in primoribus labris laborat, vel (ut ipsi loquuntur) in extremis. Si præsentem habent medicinam in suo Sacramento, qua vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animæ solatium afferant, crudeles sunt, qui nunquam in tempore medentur.*

ARTICULUS OCTAVUS.

De erroribus circa usum Unctionis infirmorum.

CONCILIUM Trid. cap. III. laudato docet, *nulla ratione audiendos esse, qui ritum & usum, quem sancta Romana Ecclesia in hujus Sacramenti administratione observat, Jacobi sententiæ repugnare, atque ideo in alium commutandum esse: & denique qui hanc Extremam-unctionem à fidelibus sine peccato contemni posse affirmant.* Idipsumque iisdem terminis sub anathemate definit Can. III.

LUTHERANI.

Lutherus suprà. *Non ergo Sacramentum est extrema ista, idest, ficta unctio, sed consilium Jacobi, quo possit qui velit, uti. Neque enim credo datum infirmis* QUIBUSVIS; *cùm Ecclesiæ gloria sit infirmitas, & mors lucrum: sed* HIS TANTUM QUI IMPATIENTIUS ET RUDI FIDE INFIRMITATEM FERRENT. *Quos ideo reliquit Dominus, ut in eis miracula & virtus fidei eminerent.* Et postea. *In nostræ autem Extremæ-unctionis hodierno usu, ubi est oratio fidei? Quis eâ fide orat super infirmum, ut non hæsitet eum restitui?* Et rursus appellat FIGMENTUM: *commutandumque* ait *in eum ritum, quo seniores in fide nihil hæsitantes postularent sanitatem infirmi anteaquam vergeret in interitum.* Quibus adde quæ superiùs observavimus ex eodem de institutione atque effectu.

CALVINISTÆ.

Calvini mentem eandem esse in hoc cum Luthero facilè intelligitur ex præmissis de institutione atque effectu. Quibus adjungere est illa verba §. XX. *Ceremonia usurpari non debuit nisi ab iis qui curationum gratiâ præditi fuerant: non ab istis carnificibus, qui plus mactando ac trucidando valent, quàm sanando.*

DISPUTATIO SECUNDA.

De ratione Sacramentali Unctionis infirmorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Marci VI. *exprimatur Unctio infirmorum.*

SCRIBIT Marcus Evangeliſta c. VI. de Apoſtolis miſſis à Chriſto Domino. *Et ungebant oleo multos ægros & ſanabant.* Quæritur, utrum verbis iſtis Sacramentum Unctionis infirmorum exprimatur?

Duæ ſunt ſententiæ. I[a] vult unctionem exprimi diſtinctam à Sacramento Unctionis, cujus Sacramenti eſt mentio Jacobi V. quæque unctio perpetua non fuit, ſed ad conferendam duntaxat corpoream ſanitatem uſurpata eſt ad tempus ab Apoſtolis. II[a] aſſerit unam eandemque commemorari hoc utroque loco.

Placet hæc ſecunda ſententia, quam probo imprimis authoritate Patrum. Victor Antiochenus ad hæc verba c. VI. Marci. *Et ungebant oleo multos* : ita ſcribit. *Quod ait de myſtica unctione, & olei uſu hic ſubjungitur, hoc inter Evangeliſtas ſolus* MARCUS *commemorat. Interim quæ Apoſtolus* JACOBUS *in ſua canonica narrat*, AB HIS NON DISSENTIUNT. Beda ad eundem locum. *Dicit Apoſtolus Jacobus:* INFIRMATUR *&c. Unde patet ab ipſis Apoſtolis hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum, ut Energumeni vel alii quilibet ægroti ungantur oleo &c.* Et in c. V.

Jacobi ad hæc verba : INFIRMATUR *&c. inquit. Hoc & Apostolos fecisse in* EVANGELIO *legimus.* Jonas Aurelian. lib. III. de Institut. laïcali c. XIV. *Quòd unctio sanctificati olei sit expetenda* MARCUS *Evangelista indicat.* ET EXEUNTES *&c.* Theophil. in idem Marci. *Quòd unxerunt oleo Apostoli*, SOLUS MARCUS *narrat, quod & frater Domini* JACOBUS *in Catholica Epistola dicit.* Oecumenius in idem Jacobi. *Hoc etiam Domino inter homines adhuc conversante faciebant Apostoli, ungentes ægrotos oleo & sanantes.*

II. ex S. Thoma supplementi q. XXIX. a. III. in respons. ad I. argumentum, quo concluditur ejusmodi unctionem non esse de institutione Christi, quia nulla sit ipsius mentio in Evangelio. S. Doctor duo respondet I. multa Dominum fecisse, quæ non continentur in Evangelio : illa enim præcipuè curavisse Evangelistas tradere quæ ad necessitatem salutis & Ecclesiæ dispositionem sive distinctionem pertinent, qualis non est unctio infirmorum. II. ejusdem responsio terminis istis concepta est. *Tamen etiam de olei unctione fit mentio in Evangelio Marci* VI. *ubi dicitur quòd Apostoli oleo ungebant infirmos.* Quibus certè verbis non est quòd dicatur mentio fieri olei unctionis in figura, aliàs S. Doctor non fuisset locutus ad propositum : quandoquidem non quærebatur ibi utrùm unctio infirmorum præfigurata fuerit in Evangelio, sed quærebatur utrùm expressa fuerit in seipsa.

III. probatur eadem propositio ex hoc modo loquendi Concilii Trid. sess. XIV. c. I. de unctione infirmorum. *A* MARCO *quidem* INSINUATUM, *per* JACOBUM *autem Apostolum fidelibus* COMMENDATUM *&* PROMULGATUM. Non quòd contendere sit animus, meam hanc propositionem fuisse definitam à Patribus Tridentinis, quippe cùm persuasum mihi sit id eos semper studiosè servasse nullam ut Catholicorum Theologorum opinionem damnarent, discrepantibusque Theologorum sententiis, eo semper uterentur temperamento, quo satisfieret omnibus: sed quòd ex iis verbis inferendum esse putem habitam fuisse Synodo nostram sententiam probabilem. Ut enim eo loci scriptum non est : unctionem infirmorum fuisse institutam à Christo Marci VI. ne sententia adversa condemnaretur ; ita scriptum legitur unctionem istam fuisse apud Marcum insinuatam, quæ vox *(insinuatam)* ejusmodi est, ut quisque putare possit cum suo sensu consi-

ſtere. Nam (*inſinuare*) eſt in notitiam alicujus adducere : eſt etiam latenter introducere. Latenter verò introducere eſt introducere ſub velamine ſeu figura. Alii inſinuatam exponent unctionem apud Marcum, quia ibi adducta eſt in notitiam noſtram, ubi præcepta eſt : alii verò inſinuatam exponent, quia introducta fuit ſub figura ſui, ejuſmodi videlicet unctione exiſtente figura unctionis infirmorum, quæ eſt Sacramentum novæ Legis.

Narrat Petrus Suavis in Hiſtoria ſua Concilii Trid. quòd principio ſcriptum fuerat c. illo citato Concilii unctionem infirmorum eſſe Sacramentum à Chriſto apud Marcum *inſtitutum* : verborum antecedentium ſubſequentiumque contextum illud requirere : ſed monente quodam Theologo, mutationem factam, & pro (*inſtitutum*) ſcriptum eſſe (*inſinuatum.*) Theologum porrò illum monuiſſe, Apoſtolos quos S. Marcus ait unxiſſe infirmos, ea tempeſtate nondum ordinatos Sacerdotes, Eccleſiâ Romanâ eam opinionem tenente, Sacerdotium nonniſi in ultima cœna ipſis fuiſſe collatum : ideoque pugnare hæc inter ſe, unctionem ſcilicet, quam illi miniſtrabant eſſe Sacramentum, & ſolos Sacerdotes ejus eſſe Miniſtros. Et quamvis alterius ſententiæ propugnatores ad hoc reſponderent, Chriſtum, quo tempore imperaverat Apoſtolis unctionis adminiſtrationem, eoſdem quoad hoc ſolùm Sacerdotes inſtituiſſe ; tamen quòd iſta aſſertio audax nimis & periculoſa videretur, placuiſſe in vicem verbi (*inſtitutum*) ſubrogare (*inſinuatum.*)

Quam narrationem Palavicinus in ſua quoque Hiſtoria ejuſdem Concilii lib. XII. c. XII. falſi accuſat, & incredibilem eſſe contendit. Falſi accuſat, quia, inquit, ex actis liquidum eſt, quòd in Congregatione Theologorum habita de eo argumento diebus XXII. & XXIII. Octobris, hoc eſt, ferè per menſem ante Congregationem alteram in qua confectum eſt atque digeſtum caput illud. (In Concilio quippe duo erant genera Congregationum particularium, alterum Theologorum, qui de rebus fidei propoſitis diſſerebant, quorum opiniones ab uno è publicis Notariis Synodi ſcripto excipiebantur : ubi verò de reformatione agebatur, Theologis Canoniſtæ adjungebantur ; eæque Congregationes habebantur præſentibus Legatis, & omnibus Patribus intereſſe licebat. Alterum Congregationum genus conſtabat ex Prælatis, qui

capita ſive doctrinæ, ſive reformationis redigebant in formam: quæ quidem examinata & ſecundùm opinionem maximè communem digeſta in ordinem, erant proponenda in Congregatione generali, ut ſingulorum ſuffragiis auditis, de aſſenſu plurium decreta proximâ ſeſſione promulganda firmarentur.) In Congregatione, inquam, illa Theologorum, non unicus, ſed plures è Theologis monuerunt, inſinuatam fuiſſe unctionem noſtram atque figuratam apud Marcum, non inſtitutam, quos inter Jocodus Raveſtein Lovanienſis & Sigiſmundus Provincialis Obſervantinorum. Incredibilem præterea Palavicinus narrationem præfatam in eo eſſe contendit, quòd non ſit credibile Concilium voluiſſe definire aliquem articulum, non conſentientibus antiquis Patribus, ſed adſtipulantibus duntaxat paucis, iiſque non primæ ætatis, neque præcipuæ authoritatis, ac repugnantibus è Schola primipilis Hugone à S. Victore, Petro Lombardo, Alexandro Halenſi, S. Bonaventura, quibus placet hoc inſtitutum fuiſſe ab Apoſtolis poſt deſcenſum Spiritus ſancti.

Fortè narrationes illæ duæ conciliari poſſunt inter ſe, dicendo Petrum Suavis locutum eſſe de Congregatione minori Theologorum, & illum Theologum, quo monente mutatio facta eſt, fuiſſe Jodocum Raveſtein, cui poſtmodum aliqui alii ſeſe adjunxere: Palavicinum verò habuiſſe ante oculos Congregationem minorem Prælatorum. Ad id autem quod Palavicinus ſubjicit, credibile non eſſe, quòd Concilium voluerit aliquid definire non fultum Traditione, atqu repugnantibus Scholaſticis nonnullis magni nominis: dicendum, eam quidem fuiſſe legem quam ſibi Synodus impoſuit, neque tranſgreſſa eſt, nihil ut contra traditionem definiret, nihilve eorum, de quibus inter ſe Theologi Scholaſtici diſputabant: quo tamen non obſtante qui ex illis in Concilio longè remotiores à dogmatibus Hæreticis amplectebantur opiniones, conatos non ſemel fuiſſe ut juxta ſuam potiùs quàm alienam, etſi non abſque alienæ diſpendio ac nota quadam inuſta definiretur. Atque, ut unicum in hujuſce rei confirmationem proponam exemplum; refert idem Petrus Suavis, quòd ubi de inſtitutione Sacramentorum novæ Legis ſermo fuit, cùm alii vellent pronunciari Chriſtum eſſe eorum authorem, quidam inſtitère non eò uſque progrediendum, ſed conſiſtendum intra terminos decreti Eugenii de

unione Armen. hoc maximè nomine, quòd Magiſter ſententiarum cenſuit Extremam-unctionem deberi Jacobo, & Bonaventura cum Halenſi tenuerunt Confirmationem cœpiſſe à temporibus Apoſtolorum : quódque idem Bonaventura cum aliis Theologis Apoſtolos Sacramenti Pœnitentiæ laudent authores. Matrimonium quoque eſſe qui aſſerant à Deo in Paradiſo inſtitutum. Et Chriſtum ipſum de eo ſermonem habentem, non ſibi, ſed ſuo Patri ejuſdem adſcripſiſſe inſtitutionem. His illi adducti rationibus *ſuadebant*, inquit Hiſtoricus, *caput illud articulo non adjungendum : ne Catholicorum ſic opinio damnaretur. Contrà Dominicani, verbis etiam paulò aſperioribus aſſeverabant, Doctores eos commodis interpretationibus & variis diſtinctionibus poſſe evadere ; quòd illi perpetuò parati eſſent Eccleſiæ judicio ſe ſubmittere : audaciam verò Lutheranorum ſine condemnationis ſententia non eſſe prætereundam &c.* Et quidem res definita fuit ex voto Dominicanorum. Potuiſſet ergo ſimiliter definiri, iiſdem ipſis reclamantibus Theologis pro Magiſtri, Alenſis, atque Bonaventuræ ſententia, quod unctio infirmorum inſtituta eſt à Chriſto apud Marcum. Ergo multo magis credibile eſt nonnullos è Theologis Tridentinis enixos fuiſſe, ut hoc ita definiretur, à cujus tamen definitione pars longè maxima cenſuit eſſe abſtinendum.

Objicies 1. Unctio infirmorum eſt *complementum Sacramenti Pœnitentiæ* ; adeoque nullus niſi Sacerdos poteſt ejus eſſe miniſter. Unde Jacobi v. *Inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Sed Marci vi. Apoſtoli non erant Sacerdotes, Eccleſiâ Romanâ eam opinionem tenente, Sacerdotium nonniſi in ultima cœna ipſis fuiſſe collatum.

Reſpondet Maldonatus tract. de Extrema-unctione q. 1. *Nihil video prohibere, quominus Chriſtus, qui non habebat poteſtatem alligatam Sacramentis,* ANTICIPATIONE *quadam fecerit Miniſtros hujus Sacramenti eos, qui nondum erant ordinati Sacerdotes : quemadmodum juſſit Apoſtolos ſuos baptizare antequam eſſent Sacerdotes. Nam quòd plerique Theologorum dicunt, illos fuiſſe ordinatos in cœna, tantùm eſt opinio, & neſcio quàm probabilis : ſaltem non eſt neceſſaria.*

Reſpondeo, quòd prædicatio Evangelii non minùs eſt proprium Sacerdotum munus, quàm adminiſtratio unctionis infirmorum : & adminiſtratio Baptiſmi propriè etiam perti-

net ad Sacerdotes. Cùm ergo Apostoli ante cœnam ultimam prædicarent & baptizarent, habebant à Christo Sacerdotium secundum illa munia, etiamsi forsan non haberent Sacerdotium quoad munus offerendi. Sicut in opinione quæ asserit Apostolos fuisse ordinatos Sacerdotes in ultima cœna, verum est quòd tùm fuere constituti Sacerdotes in ordine ad sacrificium tantùm, & non in ordine ad potestatem absolvendi à peccatis in foro pœnitentiæ: quam potestatem eadem opinio vult illos consecutos fuisse duntaxat post resurrectionem, quando Christus Dominus, ait illis: *Accipite Spiritum sanctum. Quorumcunque remiseritis &c.* Christus contulit potestatem Apostolis ex quo jussit illis eâ uti, quamvis non contulisset antea. Responsio hæc differt à responsione Maldonati in paucis, in eo videlicet, quòd censet Apostolos fuisse Sacerdotes quoad munus administrandæ unctionis infirmorum Marci VI. & quoad munus prædicandi, quando præcepit illis ut prædicarent ibidem; & quoad munus baptizandi, quando jussit illis baptizare: cùm Maldonatus existimet Apostolos factos fuisse Ministros unctionis Marci VI. qui tamen nullo modo erant Sacerdotes.

Objicies II. Illa unctio de qua Marci VI. referebatur *solùm* aut *præcipuè* ad curationem *morbi corporalis*, ut ex verbis ipsis patet. Unde etiam *sanabantur omnes, qui tùm inungebantur.* At verò Sacramentum Unctionis infirmorum non refertur solum vel præcipuè ad curationem morbi corporalis infallibiliter faciendam.

Respondeo negando majorem. Sacer contextus habet Apostolos unxisse multos ægros & sanasse. Non habet unctionem hanc *tantùm* vel *præcipuè* ordinatam fuisse ad sanitatem *corpoream*. Non habet etiam idem contextus unctionem restituisse sanitatem *singulis* quibus adhibebatur. Quanquam si singulis restituisset, non foret consequens hanc nostram inunctionem non esse Sacramentum. Si, inquam, singulis restituisset ex speciali ordinatione Divina in finem Evangelii promulgandi. Ut enim idem est Sacramentum Confirmationis, quod nunc, & quod in Ecclesiæ nascentis exordio celebrabatur, quamvis tunc temporis haberet effectum aliquem quem modò non habet: ita est idem Sacramentum Unctionis quod primis Ecclesiæ temporibus conferebatur, & quod modò confertur, quamvis nunc non habeat eundem effectum

ſanationis corporeæ reſpectu ſingulorum, quem ſupponitur tunc habuiſſe in ſingulis.

Objicies III. Apoſtoli tunc *promiſcuè* ungebant *quoſlibet* ægrotos. At Sacramentum Unctionis infirmorum non datur niſi his qui decumbunt cum periculo vitæ, ut omnes concedunt.

Reſpondeo I. non liquere ex textu Apoſtolos inunxiſſe quoſlibet ægrotos. Habetur vox (*multos,*) quæ non idem ſonat ac (*quoſlibet.*) II. ex eo contextu non magis planum eſt Apoſtolos unxiſſe quoſlibet ægrotos, quàm planum ſit ex Jacobi V. quoſlibet ægrotos eſſe inungendos, quo in c. S. Jacobi ſermo eſt de Sacramento Unctionis infirmorum, & Bellarminus (cujus eſt argumentum cui reſpondemus) admittit, unico fortè Caïetano è Catholicis illud negante. III. ægrotorum nomine intelliguntur *graviori* non *leviori* duntaxat morbo laborantes. In moralibus parum pro nihilo habetur.

Objicies IV. Apoſtoli tunc cùm inungerent, non quærebant eſſent-ne *baptizati* qui ungendi erant: & omnino probabile eſt multos ab eis inunctos *infideles*. At Sacramenta niſi baptizatis dari non poſſunt.

Reſpondeo I. Scripturam non docere quòd infideles ægri ab Apoſtolis ungerentur. Quòd enim id probabile omnino in objectione dicitur, quo fundamento dicatur haud video. II. ordinariè loquendo ſolis quidem baptizatis Eccleſiæ Sacramenta conferri debent, Chriſtus tamen potuit præcipere Apoſtolis ut ungerent infideles: ſi non ut primarium, ſaltem ut ſecundarium, in reſtitutione ſanitatis corporeæ conſtitutum, conſequerentur unctionis effectum. Fortè Apoſtoli ſolos baptizatos ungebant, quo totam Judæam magis ac magis excitarent corporeo illius inunctionis effectu ad Evangelii doctrinam atque ad Baptiſmi ſuſceptionem. Placet Maldonato II. reſponſio, quam explicat verbis ſequentibus. *Initio Evangelii potuit Chriſtus præcipere, ut illis ægrotis, qui nondum eſſent baptizati adhiberetur hoc Sacramentum, ut miraculo curationis repentinæ crederent Evangelio. Nam quòd nullum Sacramentum detur niſi baptizatis, non eſt jus divinum apertum, ſed Eccleſiaſtica diſciplina.*

Objicies V. cum Dallæo lib. I. c. IV. Quod Marcus c. VI. habet, Mathæus more ſuo fuſiùs enarrat c. X. ſcribens. *Dedit*

illis

illis potestatem spirituum immundorum ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem & omnem infirmitatem. Mox Christum inducit dum eos dimittit ita præcipientem : *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Neque aliter Lucas c. IX. ita tamen ut solus Marcus olei meminerit, quo sanarentur. Ex quibus rectè colligitur hæc omnia ad illam Apostolorum missionem pertinere. Duo Christus præceperat Apostolis: ut videlicet prædicarent regnum Dei, quod est potestatis *ordinariæ* ; & ut mira illa operarentur, quod erat *extraordinariæ*, adeoque proprium illorum, & non commune cum Episcopis atque Presbyteris. Inter mira autem ista, sanare infirmos per olei inunctionem refertur, non secus ac mortuos suscitare, dæmones ejicere, leprosos mundare.

Respondeo I. ex Victore Antioch. Beda, Jona Aurel. Theophilacto, & Oecumenio, unctionem de qua Marci c. VI. eandem esse cum ea, de qua Jacobi V. agitur. Eandem quoque esse haud inficiantur Lutherus atque Calvinus. Quare non est unctio ita propria Apostolorum, ut non esset communis eis cum Episcopis atque Presbyteris. II. quia Dallæus hac in parte non modò à Patribus istis, sed & à suis authoribus, Luthero atque Calvino recedit. Dico prædicationem Evangelii & unctionem infirmorum Apostolis ibi committi tanquam duo eorum munia *ordinaria* ; ut verò ressuscitent mortuos, atque dæmonia ejiciant, imò ut ægrotos aliter quàm per oleum restituant sanitati, esse munus *extraordinarium.* An verò per hæc verba (*omnem languorem & omnem infirmitatem,*) intelligatur restitutio per unctionem olei difficultas est. Si negetur, probari non poterit. Si concedatur, sensus erit, omnis generis languores & omnis generis infirmitates depulsas fuisse ab Apostolis per unctionem olei ; non ita tamen, ut quoslibet ægrotos etiam infideles linirent, nisi forsan ex ordinatione speciali Christi Domini.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm probari possit ex v. capite Epistolæ Canonicæ Sancti Jacobi Unctionem infirmorum esse Sacramentum novæ Legis.

SUPPONO Epistolam S. Jacobi esse Canonicam. Licèt enim aliquando *à* QUIBUSDAM, teste Euseb. lib. II. Histor. c. XXII. *tanquam* ADULTERINA *& minimè germana propterea judicata fuerit, quòd* NON ADEO MULTI EX VETERIBUS *illius meminissent, sicut neque alterius, quæ dicitur* JUDÆ (*quæ etiam in* VII. *Catholicarum Epistolarum numero ponitur) tamen*, inquit idem Eusebius, *nos istas cum reliquis, in* QUAMPLURIMIS *Ecclesiis publicè* RECEPTAS APPROBATASQUE *cognovimus.* Et ad eundem sensum scripsit Hieronymus lib. de Scriptor. Ecclesiast. in Jacobo. *Unam tantùm scripsit Epistolam, quæ de* VII. *Catholicis est. Quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur, licet paulatim* TEMPORE PROCEDENTE *obtinuerit authoritatem.* Et certè Athanasius in Synopsi. Concil. Laodic. Can. ultimo. Epiphanius hæresi LXXVI. Innoc. ad Decent. Concilium Carthag. III. c. XLVII. Rufinus in Symbolum. August. lib. II. de doctrina Christiana c. VIII. Gelasius in Concil. Rom. Isidorus lib. IV. Etymol. cap. I. & alii passim inferiorum sæculorum scriptores agnoscunt illam Epistolam Scripturarum Canone contineri. Hoc præmisso.

Nostra sit propositio. Probari potest efficaciter unctionem infirmorum esse Sacramentum novæ Legis ex verbis istis c. v. Epist. canon. S. Jacobi. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Est contra Caïetanum scribentem in hunc locum. *Nec ex* VERBIS *nec ex* EFFECTU *verba hæc loquuntur de Sacramentali unctione Extremæ-unctionis: sed magis de unctione quam instituit Dominus Jesus in Evangelio à Discipulis exercendam ægrotis. Textus enim non dicit:* INFIRMATUR QUIS AD MORTEM? *sed absolutè:* IN-

FIRMATUR QUIS? *& effectum dicit* INFIRMI ALLEVIATIONEM: *& de remissione peccatorum nonnisi* CONDITIONALITER *loquitur: cùm Extrema unctio nonnisi prope articulum mortis detur, & directè (ut ejus forma sonat) tendit ad remissionem peccatorum. Præter hoc, quod Jacobus ad unum ægrum* MULTOS *Presbyteros tum orantes tum ungentes mandat vocari: quod ab Extremæ unctionis ritu alienum est.* Caïetano subscribunt ultro hac in parte Lutherus & Calvinus.

Probatur nostra propositio. Signum sensibile perpetuum, collativum gratiæ sanctificantis, est Sacramentum novæ Legis propriè dictum. Atqui ex his verbis Jacobi, unctio infirmorum est signum sensibile perpetuum collativum gratiæ sanctificantis. Ergo minoris prima pars est evidens, quia unctio ex oleo est *signum sensibile.*

II. pars probatur, quòd scilicet *signum perpetuum,* hoc pacto. Quod à temporibus Apostolorum ad nos usque sine interruptione permansit, signum est perpetuum. At verò à temporibus Apostolorum ad nostra usque tempora permansit ritus unctionis infirmorum, de quo Jac. v. agitur. Et quidem de duobus primis sæculis non repugnant hæretici nostri. De sequentibus habemus testimonia inferius referenda. Origenis hom. II. in Levit. Chrys. lib. III. de Sacerd. Innoc. I. ad Decent. c. VIII. Aug. in Speculo, & Serm. CCXV. de Tempore. Cyrilli Alexand. de Adorat. in spiritu l. VI. Victoris Antioch. ad c. VI. Marci. Gregorii Magni lib. Sacram. Eligii Noviom. lib. II. vitæ suæ c. XVI. à B. Audoëno conscriptæ. Bedæ venerabilis ad c. VI. Marci & ad V. Jacobi. Veterum Pontificalium plurimarum Ecclesiarum. Crotogangi Metens. in Regul. Canon. c. LXXI. Capitul. Caroli Magni lib. I. c. CLXII. & lib. VI. c. CLXXVI. Conc. Cabilon. II. c. XLVIII. Regiaticense c. VIII. & Wormat. c. LXXII. Halitgarii Camerac. lib. III. c. XVI. Isaaci Lingon. Can. XXIII. Agobardi Lugdun. Epist. de quorumdam illusion. signorum. Authoris lib. de divinis Offic. c. XLVII. Amalarii lib. I. c. XII. Jonæ Aurel. lib. III. de Instit. laïca c. XIV. Paschasii Radberti lib. de Corpore & Sanguine Domini c. VIII. & in vita Adhelardi Abbatis Corbeïensis. Constitutionum Alfredi ad Wulfinum Episcopum Constit. XXXII. Ruperti in vita Hereberti Colon. Petri Damiani Serm. in Dedic. Ecclesiæ. Gofridi Vindoc. in opusc. IX. Petri Cluniac. Epist. I. lib. VI. Hugo à S. Victore

Sentent. tract. VI. c. XV. Magiſtri lib. IV. diſt. XXIII. Innoc. III. c. *Cùm veniſſet*, *De ſacra Unctione*. Guilelmi Antiſiiod. lib. IV. tract. VII. & omnium Scholaſticorum, unico ferè excepto Caïetano, aſſerentium unctionis ritum, cujus B. Jacobus meminit uſurpari etiamnum in Eccleſia: quod & citati authores pro ſuo quiſque tempore ſunt locis iſtis teſtificati.

III. pars, quæ procedit de unctione *collativa gratiæ ſanctificantis*, probatur. Unctio, quæ juncta orationi remittit peccata, eſt unctio infirmorum collativa gratiæ ſanctificantis. Atqui de ea unctione ſcribitur, quòd juncta orationi remittit peccata: *Ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.*

Reſpondet I. Dallæus lib. I. c. VIII. unctionem Jacobæam hunc aut ſolum, aut certè primarium atque præcipuum habere finem, ut ægrotum cui adhibetur morbo liberet. Unctionem verò noſtram hunc finem neque ſolum, neque præcipuum, imò ne omnino plerumque habere. Quia omnes Theologi negant eam ob ſanitatem corporis ægroto conferendam, præcipuè ac primariò adhiberi. Eorum nonnulli etiam negant ſimpliciter propter curationem corporis adhibitam fuiſſe, ut Maldonatus. Cæteri concedunt ſanitatem corporis finem eſſe, ſed per accidens & conditionaliter, ſi ægroto ad animæ ſalutem expedit, non per ſe ac propriè, neque abſolutè & primariò ac neceſſariò, ut Eſtius. Atque id colligi neceſſe eſt tum ex iis quæ Theologi docent de Sacramentis in genere, de quibus ſentiunt cum Auguſt. Enchyridii c. LXVI. *Magis ad ſpem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præſentium pertinere*: tum etiam ex iis quæ ſuſtinent de unctione infirmorum. I. in quantum in ejus forma nulla mentio ſanitatis habetur. II. in eo quòd dicunt ſanitatem conferri ægroto conditionatè tantùm: nam Sacramenta, ut Sacramenta, abſolutum habent effectum. III. quia non omnes qui inunguntur infirmi ritè diſpoſiti recuperant ſanitatem: ſed omnes qui, ut par eſt, recipiunt Sacramenta, illorum conſequuntur effectum. IV. quia unctio ejuſmodi inſtituta eſt, ex Conc. Trid. ad muniendum tanquam firmiſſimo præſidio finem vitæ, hoc eſt, ad mortem tutò atque feliciter obeundam.

Contrà. Unctio Jacobæa habet hunc *utrumque* finem, *reſtitutionem* videlicet *ſanitatis*, atque *remiſſionem peccatorum*.

Utrumque etiam hunc finem, *eodemque modo* habet *nostra inunctio.* Ergo Jacobæa non est diversa à nostra. Prior pars ostenditur : quia, quòd sanitas per eam restituatur, significant hæc verba : *Oratio fidei salvabit infirmum.* Quòd vero peccata remittantur per eandem, sequentia ista significant: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Posterior verò pars, quæ asserit unctionem *nostram* hunc utrumque habere finem *eodem prorsus modo* quo *unctio Jacobæa* probatur: quia stabilimus doctrinam nostram de effectu & fine unctionis nostræ super verba Jacobi. An autem primarius finis unctionis nostræ sit restitutio sanitatis vel remissio peccati, disputant inter se Theologi: qua de re suo loco mentem nostram aperiemus. Interim dicimus, quòd si finis primarius unctionis *Jacobææ* est remissio peccati, est & *nostræ:* si restitutio sanitatis, est & NOSTRÆ. Quod subjungitur unctionem nostram ne omnino plerumque habere pro fine ut ægrotum morbo liberet. Respondeo, habere eodem modo quo Jacobæa. Quod additur, omnes Theologos negare eam primario ac præcipuè adhiberi ad sanitatem ægroto conferendam. Respondeo, eosdem Theologos eadem ratione loqui, idemque sentire de unctione Jacobæa. Quæ etiam responsio adhiberi debet ad id quod subjungitur, aliquos planè negare nostram inunctionem propter curationem corporis adhibitam fuisse, ut Maldonatus. Nam ille, fatente Dallæo ipso, loquitur de unctione Jacobæa, & non de nostra, nisi in quantum vult Jacobæam eandem esse cum nostra. Præterea Maldonatus q. 11. duplicem hunc agnoscit effectum nostræ unctionis, quia Jacobus duplicem docet esse suæ, à qua nostra eidem Maldonato, ut mox dixi, non distinguitur. Ad id quod adjicitur, cæteros Theologos concedere sanitatem corporis finem quidem esse nostræ inunctionis, sed *per accidens* & *conditionaliter*, non *per se* ac *propriè*, neque *absolutè* ac *primariò* & *necessariò.* Respondeo 1. probandum fore Dallæo Theologos istos aliter sensisse de unctione Jacobæa 11. disputationem Theologorum hac in parte potiùs esse de modo loquendi, quàm de re ipsa, ut patebit ex dicendis. Quæ docent post Augustinum de natura Sacramenti in genere, conceduntur ab omnibus: quia Sacramenta novæ Legis maximè pertinent ad animam. Quæ demum de unctione, ea nobis nihil adversantur. Necesse non est exprimi in forma Sacramentorum singulos eorum effectus, ut patet

de forma Baptismi, in qua nulla mentio characteris. Quare etiamsi nulla fiat mentio sanitatis corporeæ in forma unctionis infirmorum, non est consequens sanitatem illam non esse alterum ex effectibus ejusdem. Sicuti neque quòd dicitur ab aliquibus *conditionatus effectus* unctionis infirmorum; cùm Sacramenta ut sic habeant effectum absolutum. Nam sanitas corporea in rei veritate est effectus absolutus, quamvis exprimatur ab aliquibus per particulam conditionalem: nihil quippe aliud est, nisi sanitas ordinata ad salutem suscipientis, atque ut sic, verum bonum est. Idem dico ad III. instantiam: nimirum, omnes rite dispositi per hanc unctionem recipiunt sanitatem ordinatam ad salutem illorum: & quando eam non recipiunt, ideo non recipiunt, quia non expedit animæ illorum. Ad IV. denique dico, sic institutam esse unctionem infirmorum ad mortem tutò atque feliciter obeundam, ut etiam instituta sit ad restituendam sanitatem, quæ expedit saluti atque incolumitati suscipientis.

Instabis. Jacobus videtur docere primarium effectum suæ unctionis esse restaurationem sanitatis corporeæ. Primo enim loco dicit: *Oratio fidei salvabit infirmum.* Deinde quasi remissio peccatorum sit effectus per accidens adjungit: *Si in peccatis sit, dimittentur ei.*

Respondeo, non sequi restaurationem sanitatis corporeæ esse effectum *primarium* unctionis infirmorum, ex eo quòd *primo loco* recenseatur. Nam vel eo loco recensetur, quia magis notus est, vel quia correspondet magis verbis istis antecedentibus: *Infirmatur quis in vobis?* vel ob aliquam aliam causam. Sic Math. XIX. de eo qui reliquerit Patrem aut matrem dicitur: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quæ verba: *Centuplum accipiet*: exprimunt mercedem *in hac vita* reddendam, quæque est minus præcipua, quamvis primo loco nominetur, & ante *vitam æternam*, quæ merces *præcipua* est. Sic enim de mercede *temporali* intelligendum esse hunc locum Christi apud S. Marcum contextus iste nos docet. *Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum,* NUNC IN TEMPORE *hoc domos & fratres & sorores & matres & filios & agros, cum persecutionibus, &* IN SÆCULO FUTURO *vitam æternam.* Et Lucæ c. XVIII. *Et non recipiet multò plura* IN

HOC TEMPORE, & IN SÆCULO VENTURO *vitam æternam.*

Respondet II. Dallæus ejuſdem lib. c. IX. unctionem Jacobæam ſuſcipientibus polliceri non *abſolutè*, ſed *conditionatè* remiſſionem peccatorum, ut ſignificant iſta verba: *Et ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Noſtram verò inunctionem ſecundùm nos remittere peccata, non *conditionatè* duntaxat, ſed *abſolutè*. Nam & id docent verba formæ, & id exigit ratio Sacramenti quam ipſi affingimus, cujuſque effectus abſolutus eſt, & id fatemur nos ipſi.

Contrà. Ut valeret iſta reſponſio Dallæi, particula (*ſi*) in Scripturis deberet ſignificare *conditionem rei dubiæ*, & nunquam ſignificare *conceſſionem rei certæ*: aut ſi ſignificet in Scripturis aliquando *conceſſionem rei certæ*, probandum ante omnia foret ita ſumi eo loco quem expendimus. Atqui particula (*ſi*) non ſemper ſignificat in Scripturis *conditionem rei dubiæ*, ſed aliquando ſignificat *conceſſionem rei certæ*. Sic Malach. I. *Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Ideſt, Cùm ego ſim pater, cur me non honoratis? Et cùm ego ſim Dominus, cur me non timetis? Sic II. Theſſalon. I. *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.* Ideſt, Si quidem juſtum eſt &c. Sic ipſe Jacobus ejuſdem Epiſt. c. I. *Si quis veſtrûm indiget ſapientiâ.* Ideſt, Cùm unuſquiſque veſtrûm indigeat ſapientiâ. Et nihil eſt quo evincatur loco cit. Jacobi particulam (*ſi*) uſurpari pro *conditione rei dubiæ*. Imò Patres ſuprà citati, à quibus ſenſus genuinus Scripturæ peti debet ubi verba ſunt obſcura, docent nos hanc particulam ſignificare *conceſſionem rei certæ*: quia pronunciant abſolutè dimitti peccata per unctionem Jacobæam & per noſtram, quam dicunt eandem eſſe cum Jacobæa.

Neque verò Jacobus uſus eſt hac particula, quaſi ſenſus ejus fuerit, unctionem Jacobæam eſſe ad curandos eos morbos, qui ex peccato prodeunt, cùm morbi ſint in duplici differentia, alii *à peccato* & alii *non à peccato*. Unde in Evangelio: *Quis peccavit, hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* quærentibus in hunc modum Judæis reſpondit Chriſtus: *Neque hic peccavit neque parentes ejus, ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Et è contrà, Chriſto Domino reſtituente ſanitatem, peccata quoque ipſe remittebat. Unde ille Paralitico:

Dimittuntur tibi peccata tua. Quare conditionatè tantùm per illam unctionem remissa fuisse peccata, quando scilicet morbi isti proveniebant ex peccato. Eo, inquam, sensu non potest asseri Apostolum usurpasse hanc voculam, nisi afferatur fundamentum aliquod istius interpretationis. Nullum verò afferri posse certissimum est.

Respondet III. Dallæus unctionem nostram *solis* exhiberi *moribundis*: Jacobæam non *solis moribundis*, sed *quibusvis infirmis*. Jacobus scripsit: *Infirmatur quis in vobis?* Alii autem à moribundis infirmantur.

Contrà. Non *soli moribundi* à nobis ungendi sunt, sed alii quoque qui infirmantur, de quibus Jacobus loquitur. Nam Concilium Trident. quod suam de Sacramento unctionis profitetur haurire doctrinam ex verbis Apostoli, sic loquitur sess. XIV. de Extrema-unctione c. III. *Declaratur etiam* (in Epistola Jacobi) *esse hanc unctionem* (nostram videlicet.) *infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Audis ex Conc. Trid. adhiberi *moribundis*, & præterea aliis *infirmis*. S. Thomas opusc. LXV. de Sacramento unctionis idem sentiens, pronunciat sufficere, si ægroti in ea sint infirmitate constituti, ut de morte timeatur. Et infrà. *Prodest autem istud Sacramentum ad duo. Primò, quia citiùs sanantur infirmi, si sunt convalituri &c.* S. Thomæ concinit Eugenius IV. in decreto de unione armenorum. Et Catech. Concilii Trid. *Cùm igitur illi tantùm qui morbo laborant, curatione indigeant, idcirco iis etiam, qui adeo periculosè ægrotare videntur, ut ne supremus illis vitæ dies instet, metuendum sit, hoc Sacramentum præberi debet. In quo tamen gravissimè peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cùm jam omni salutis spe amissa, vita & sensibus carere incipiat.* Sed de hoc inferius. Infirmitas illa gravis esse debet. Et quidem quod parum est, pro nihilo reputatur in moralibus.

Respondet IV. Dallæus ibidem. Jacobus *plures Sacerdotes* induci jubet. Sed in unctione nostra *unicus* sufficit. Quare unctio nostra non est eadem cum Jacobæa.

Contrà. Ut Jacobus posset dici jussisse plures Sacerdotes induci ad suam unctionem, deberet *exprimi numerus* duorum. v. g. aut trium: neque sufficit quòd *Presbyteros* dixerit *in plurali numero*, quandoquidem usitatum est genus locutionis.

tionis in Scripturis, *ut pluralis numerus ponatur pro singulari:* quæ est observatio S. Augustini lib. III. de consensu Evangelistarum c. XVI. ubi exponit illud Math. XXVII. *Idipsum & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei:* Luca id ab uno tantùm factum esse scribente c. XXIII. *Nisi*, inquit S. Doctor, *intelligamus Mathæum & Marcum breviter perstringentes hunc locum*, PLURALEM NUMERUM PRO SINGULARI POSUISSE. *Sicut & in Epist. ad Hebr. legimus pluraliter dictum: Clauserunt ora Leonum: cùm solus Daniel significari intelligatur: & pluraliter dictum: Secti sunt: cùm de solo Esaïa tradatur. In Psalmis etiam quod dictum est: Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum:* PLURALEM NUMERUM PRO SINGULARI POSITUM IN ACTIBUS APOSTOLORUM EXPONITUR. *Nam Reges propter Herodem, Principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem Psalmi adhibuerunt. Sed quia & Pagani solent calumniari Evangelio; videant quemadmodum locuti sunt authores eorum, Phædras, Medeas, & Clytemnestras, cùm singulæ fuerint. Quid autem usitatius v. g. quàm ut dicat aliquis: Et rustici mihi insultant, etiamsi unus insultet? Tunc enim esset contrarium quod Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent, ambos latrones conviciatos Domino. Ita enim non posset sub numero plurali unus intelligi. Cùm verò dictum est, Latrones, vel, Qui cum eo crucifixi erant; nec additum est, Ambo: non solùm si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam quia unus hoc fecit, potuit* USITATO LOCUTIONIS MODO PER PLURALEM NUMERUM SINGULARIS SIGNIFICARI.

Respondet V. Dallæus ibidem. Jacobum nullam mortem, nullam serpentis calcaneo insidiantis, nullam periculorum, quæ homines cùm versantur in supremis urgent, nullam denique præparationis ad alterius vitæ ingressum necessariæ mentionem facere: quæ sine flagitio omitti tali loco non poterant, si unctio Jacobæa eadem cum nostra fuisset.

Contrà. Apostolus ait: *Et alleviabit eum Dominus: quòd si in peccatu fuerit, remittentur ei.* In quibus duobus, nimirum alleviatione infirmi, atque peccatorum remissione continentur hæc omnia, quæ Dallæus observat. Nam in hac voce (*alleviabit*) includitur effectus ille positus in gratia, qua animus erigitur & confirmatur ad incommoda morbi ferenda, atque ad resistendum adversario calcaneo insidianti. Græcum habet (ἐγερεῖ) *eriget.* Innocentius I. (*suscitabit*) quo

videlicet significatur animam suscitari atque erigi ad perferendum quicquid incommodi est, atque ad resistendum nocentibus & impugnantibus. Et per alteram vocem (*dimittentur*) exprimitur præparatio necessaria ad ingressum alterius vitæ : quia vox ista significat consummationem totius spiritualis curationis : in homine verò ultimatè atque perfectè sanato remanet nihil quo ejus anima in exitu retardari possit à consecutione æternæ gloriæ. Itaque Apostolus expressit tres effectus Sacramenti unctionis, videlicet sanitatis corporeæ restaurationem, per has voces: *Et oratio fidei salvabit infirmum.* Gratiam erigentem & confortantem animam, per sequentes istas: *Et alleviabit eum Dominus.* Ac denique remissionem peccatorum per postremas illas: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quod enim Dallæus ibi contendit agi de alleviatione seu de erectione *corporis*, non *animi*, gratis contendit. Certum est vocem Græcam sæpius usurpari in Scripturis pro *erectione animi*, ut Lucæ III. Rom. XIII. Ephes. v. II. Petri III. & pro *erectione corporis*, ut Psalm. CXLIV. & Math. VIII. Sed, quòd hîc usurpetur pro erectione corporis; unde, quæso, Dallæus probabit? An quia verbis immediatè antecedentibus sermo est de sanitate corporea? Nullatenus. Tum quia verbis immediatè sequentibus agitur de remissione peccatorum: neque est quòd erectio illa magis referatur ad antecedentia, quàm ad subsequentia. Tum etiam, quia melius dicitur duo distincta exprimi, sanationem corpoream per priora verba, & erectionem animi per sequentia; quàm unum idemque per istud utrumque significari: *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* An quia agitur de infirmo: *Infirmatur quis in vobis?* Neque id magis. Nam agitur de infirmo, utraque tum corporis, tum etiam animæ infirmitate laborante, & de remedio adhibendo utrique ægritudini.

Respondent VI. nonnulli, Apostolum loqui *de naturali curatione*; & ideo meminisse *olei*, quia est *naturaliter medicinale*, & *in illis regionibus abundat.*

Contrà. I. in naturali curatione facta per oleum non dimittuntur peccata. II. Presbyteri non sunt necessarii ad curationem naturalem per oleum, necessaria quoque non est oratio fidei. III. oleum non est medicinale respectu morborum quorumlibet. IV. præceptum istud Jacobi Apostoli est

pro iis ad quos scribebat. Scribebat verò ad duodecim tribus dispersas, neque oleum abundabat in omnibus locis, in quibus illæ tribus dispersæ erant, sicut vult adversariorum responsio.

Respondet VII. Lutherus, Jacobæam unctionem non salvare infirmum, nec alleviare, neque ejusdem peccata delere: sed eos effectus præstari per *orationem fidei.* Nostram verò inunctionem, quia Sacramentum est, non exigere orationem aut fidem Ministri.

Contrà. Jacobus ibi docet effectus istos præstari per unctionem factam in nomine Domini: *Ungentes eum in nomine Domini:* & hanc unctionem factam in nomine Domini appellat immediatè postea orationem fidei: *Et oratio fidei salvabit infirmum.* Ergo non attribuit effectum hunc orationi, prout illa sejuncta est atque abstracta ab unctione. Quanquam si illi soli effectus iste tribueretur, usitatâ locutione tribueretur, qua videlicet effectus, qui à toto est, formæ tribuitur. Quòd enim forma Sacramentorum novæ Legis, saltem aliquorum, sita sit *in oratione*, patet ex SS. Patribus, & id forma Baptismi Orientalis Ecclesiæ confirmat. Neque verò dicimus fidem Ministri requiri necessariò ad unctionem nostram: sed quando Apostolus ait; *oratio fidei:* loquitur de fide Ecclesiæ, cujus Minister personam sustinet, quæque fides nunquam deficit ab Ecclesia: aut si vox ista (*fidei*) exponatur de fide Ministri, sensus est: Et oratio quæ est à Ministro, & est etiam ut plurimum ex fide illius, salvat infirmum: non quia vim habet à fide Ministri, sed quia est forma Sacramenti.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm probari possit ex Traditione, Unctionem infirmorum esse Sacramentum novæ Legis?

SI Dallæo credimus, nullo in usu apud veteres fuit unctio nostra infirmorum. Nulla ejus mentio occurrit in omnibus, qui supersunt plurimi, II. aut III. sæculi libris. Ne IV. quidem Patribus nota erat: quia non memoraverunt il-

lam, dum accuratè ſacræ Eccleſiæ inſtituta, ritus, Sacramenta enarrarent, ut Epiphanius, & qui dicuntur Dionyſius atque Clemens Romanus, imò & Auguſtinus. Ignota quoque fuit veteribus ſex priorum ſæculorum Scriptoribus. Quia dum illi piorum mortes deſcribunt accuratè, ut Conſtantini, Helenæ, Antonii, Athanaſii, Baſilii, Gorgoniæ &c. nullam ejus commemorationem faciunt. Et v. quidem ſæculi atque ſequentium ad IX. uſque certi & indubitati Scriptores, ubi de morte piorum, bene quidem obſervaverunt Euchariſtiam ab eis fuiſſe ſuſceptam, unctionem ab eorum nemine. Sed & pœnitentibus in extremis cum negari ad IV. uſque ſæculum legatur Euchariſtia, & concedi à IV. ad IX. magnum tamen de unctione iſta ſilentium. Nihil apud veteres conſpicitur eorum, quæ de illa nunc & nuper docentur in Eccleſia Romana. Eccleſia Æthiopum hanc neſcit. Ortum habuit à miraculoſa illa unctione, quæ apud veteres diù, hoc eſt, per VII. priora ſæcula remanſit. Quæ in uſu erat unctio ex oleo VII. ſæculo, à noſtrâ longè diverſa erat, utpote quorumvis, non deſperatè tantùm laborantium, & ad ſanitatem temperandam, non ad moriendum comparata. Eadem eſt ratio unctionis illius, de qua ſermo eſt apud authores IX. ſæculi, quæque duobus ſequentibus ſæculis in uſu fuit, ea ſcilicet & ante Euchariſtiam, & quibuſvis ægrotis adminiſtrabatur, minimè verò dabatur in exitu poſitis. Senſim tandem immutata illa unctio veterum in noſtram, ſæculum non ante XII. deſiit. Hæc Dallæus per totum lib. II. de Extrema-unctione.

Oppono verò ego Dallæo inprimis, quòd unctio noſtra fuit in uſu primo & altero Eccleſiæ ævo: quia Jacobæa, quam eandem eſſe cum noſtra probavimus articulo ſuperiori, vigebat duobus iſtis ſæculis.

II. Agnitum fuiſſe III. ſæculo: quod perſpicuum erit ex Origene referendo inferiùs.

III. Eandem pro Sacramento habitam IV. ſæculo, Euſebii Papæ & Joannis Chryſoſtomi teſtimoniis.

IV. Scriptores V. ſæculi Innocentium Papam, Auguſtinum, Cyrillum Alexandrinum & Victorem Antiochenum illam commemoraſſe.

V. De eadem authores VI. ſæculi teſtimonium perhibere, Gregorium Magnum, & qui libellos de vitis Eugendi Ab-

batis, & Tresani Presbyteri posteritati consignaverunt.

VI. Theodorum Cantuariensem, Eligium Novio. & quod de Hunegunde virgine author Opusculi vitæ illius conscripsit, docere hanc nostram unctionem fuisse in usu ipso sæculo VII.

VII. Bedam, Crodogangum Metensem, Egbertum Eboracensem, Codices Pontificales Anglicanum, Turonensem evidenter ostendere, & quòd erat hoc ævo recepta, & quòd habebatur in numero Sacramentorum novæ Legis.

VIII. Capitularia Caroli Magni, Conc. Cabil. II. Aquisgranense II. Moguntinum, Regiaticense, Wormatiense, Eparchium, Heraldum Turonensem, Halitgarium Camerac. Hincmarum Remensem, Isaac Lingon. Agobardum Lugdun. Jonam Aurel. Prudentium Tricassinum, Paschasium Radbertum, authorem libri de divinis Officiis, authorem libri de vita S. Remberti, Codicem Arremarensem esse manifestissima pro nostra sententia.

IX. Ad sæculum x. pertinere Canones Ælfrici, Ratherium Veronensem, authorem Opusculi de vita S. Oswaldi Eboracensis, atque Ratoldi Codicem, ut & Siculum.

X. Indubitata esse sæculo XI. testimonia Everhelmi, Osberni, Arnoldi, Wiberti, Conradi, Ruperti, Hugonis Monachi, Lanfranci, Pseudo-Anselmi, Petri Damiani, & authoris vitæ Wilelmi Abbatis Hirsaugiensis. Quibus addo Codices Gemeticensem, Sagiensem, Remigio-Remensem, Anglicanum hujus ævi, ut & statuta Congregationis Cluniacensis sub Hugone.

XI. Fidei nostræ pro sæculo XII. defensores esse Yvonem Carnot. Gofridum Vindocinensem, Petrum Cluniacensem, Hugonem à S. Victore, Petrum de Honestis, S. Bernardum, Petrum Lombardum, Guilelmum Malmesbur. Helmoldum, authores qui descripserunt res gestas Abbatum Beccensium, Gofridi Cappenberg. Theotonii Presbyteri, Joannis Morinorum Episcopi, Roberti de Arbrucellis, Gilberti Semprimgham.

Sed antequam in medium adducam nubem hanc testium. Præmitto I. plurimos insignes viros scripsisse II. & III. sæculo, quorum ad nos usque monumenta nulla pervenerunt. Aliorum quædam non omnia possidemus volumina, sicut legenti cuilibet librum Hieronymi, *de Scriptoribus Ecclesiasti-*

cis compertum evadit. Et in illis quidem quibus fruimur, quamplura desiderantur eorum quæ spectare noscuntur ad fidem. Quapropter non licet inferre aliquam rem fidei duobus istis Ecclesiæ sæculis ignotam fuisse, eo quòd nihil legitur de ea in lucubrationibus quæ nunc extant, authorum qui per id temporis Ecclesiam scriptis suis illustraverunt.

Præmitto II. non ex solis illis veterum IV. sæculi Patrum libris, in quibus agitur *de ritibus Ecclesiasticis*, indagandam esse Traditionem circa Sacramenta, sed etiam ex aliis certis & indubitatis eorumdem Patrum operibus. Unde funditùs evanescit objectio Dallæi, qua contendit ignotam fuisse IV. sæculo nostram unctionem eo quòd in libris hujus ætatis, qui *de ritibus Ecclesiasticis* agunt, minimè commemoratur.

Præmitto III. justos, generaliter loquendo, non teneri præcepto divino ad suscipiendam unctionem in exitu. Quare non est consequens illam aut non fuisse in usu, aut etiam non esse Sacramentum, eo quòd à justis priorum VI. Ecclesiæ sæculorum, quorum vitas habemus præ manibus, imminente morte minimè suscepta fuerit.

Præmitto IV. fieri posse, ut justi illi uncti fuerint ingravescente morbo, neque tamen istud scriptum fuerit. Sicut certum est quamplurimos eorum *Viatico Eucharistiæ* fuisse munitos, quod tamen scriptum non est in ipsis operibus quæ objiciuntur.

V. Quia unctio hæc nostra est *perfectio atque consummatio Pœnitentiæ*, seu *reconciliatio ad mortem*; meritò commemorata putatur locis in quibus dicitur, quòd aliqui in Pœnitentia, seu reconciliati ad mortem ex hac vita decesserunt.

VI. Præmitto, Dallæum non concinere Luthero, Calvino eorumque sequacibus, quando agnoscit ultro unctionem miraculosam perseverasse per septem priora Ecclesiæ sæcula, imò nec fortè sibi ipsi.

VII. Unctionem nostram non esse diversæ speciei ab unctione VII. sæculi: quia utraque iisdem personis atque ob eundem finem administrabatur.

VIII. Denique, hanc potestatem, ex Conc. Trid. sess. XXI. c. II. *perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expe-*

dire judicaret. Quare unctio quâ delinimur ante Viaticum Eucharistiæ, non est diversa specie ab unctione quâ ungimur post susceptam Eucharistiam. His præmissis propono veterum testimonia.

ORIGENES.

Homiliâ II. in Leviticum docet, quòd quemadmodum in Lege plura erant sacrificia pro peccato; sic plures sunt in Evangelio remissiones peccatorum. Et sex quidem enumeratis, nimirum *Baptismo, martyrio, eleemosynâ, condonatione offensarum proximo, conversione cordis,* & *abundantiâ charitatis;* ea verba subjicit. *Est adhuc & septima, licèt dura & laboriosa per Pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lavat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panes die ac nocte, & cùm non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam secundùm eum qui ait:* DIXI PRONUNCIABO ADVERSUM ME INJUSTITIAM MEAM DOMINO, ET TU REMISISTI IMPIETATEM CORDIS MEI. *In quo impletur & illud quod Apostolus dicit.* SI QUIS AUTEM INFIRMATUR, VOCET PRESBYTEROS ECCLESIÆ, ET IMPONANT EI MANUS, UNGENTES EUM OLEO IN NOMINE DOMINI *&c.* Ex his verbis sic argumentor. Signum sensibile in unctione positum, quod junctum orationi peccata dimittit est Sacramentum propriè dictum. Atqui Origeni datur signum sensibile in unctione positum quod infirmis peccata dimittit.

Respondet I. Dallæus lib. II. c. VII. Origenem hîc *de Pœnitentia* loqui, in qua affirmat impleri quod est apud Jacobum: at verò nostram unctionem infirmorum Pœnitentiæ partem non esse, imò Sacramentum secundùm nos à Pœnitentiæ Sacramento distinctum. Bellarminum utriusque rationes ita dispescere, ut unctionem eorum tantùm esse dicat, qui non possunt jam facere opera Pœnitentiæ, morbo scilicet præpediti. Unde fit ut in Sacramento Pœnitentiæ in qua reperiuntur confessio & satisfactio, adeoque opera laboriosa, ibi reperiatur justitia & misericordia: in unctione verò nostra sola misericordia Dei occurrat; indeque dicatur: *Indulgeat tibi Deus.* Apud Origenem, qui ungitur, potest facere, imò etiam facit opera Pœnitentiæ: in nostra inunctio-

ne ungitur, qui ea non modò non facit, ſed ne facere quidem poteſt. Apud Origenem, qui ungitur peccata confitetur Domini Sacerdoti, lavat ſtratum ſuum lachrymis, in duris ac laborioſis ſe exercet. In noſtra inunctione neque confeſſio eſt, neque ſatisfactio, neque opera laborioſa. Apud Origenem, nulla corporis infirmitatis mentio fit, nedum ut deſperati morbi: tantum de peccatore loquitur, & eo quidem pœnitente.

Contrà. Origenes ibi loquitur *de universa Christiani Pœnitentia*, quæque complectitur Sacramentum *Pœnitentiæ*, & Sacramentum *inunctionis*, quod quidem poſterius Sacramentum appellatur à Patribus, *Conſummatio atque perfectio Pœnitentiæ Christianæ*. Neque verò loquitur de ſolo Sacramento, quod vulgò *Pœnitentiæ* nunc dicitur: quia in illo Sacramento neque modò oleum adhibetur, neque unquam adhibitum eſt. De Pœnitentia equidem loquitur, ſed loquitur de Pœnitentia Chriſtiana completè ſumpta, cujus Sacramentum quod vulgò nuncupatur Pœnitentiæ, eſt duntaxat pars, & Sacramentum unctionis eſt altera pars, & conſummatio Pœnitentiæ: ad eum modum quo Sacramentum Confirmationis eſt conſummatio atque perfectio Baptiſmi. Ad Bellarminum dico, quòd ſi ſenſus ejus ſit, non requiri contritionem cordis in unctione cum voluntate atque propoſito ſatisfaciendi Deo, vel patiendi aliquid in compenſationem injuriarum illatarum Deo per peccatum, ſaltem antecedenter; non video quomodo tueri ſe poſſit adversùs doctrinam SS. Patrum & Concilii Trid. pronunciantium, unctionem infirmorum eſſe *ſpeciem quandam Pœnitentiæ*, eſſe *aliquam Pœnitentiam publicam*, eſſe *conſummativum Pœnitentiæ*. Siquidem Pœnitentia eſſe non poteſt ſine odio peccati, & voluntate puniendi peccatorem. Quare vel ille id malè ſcripſit, vel potius benignè exponendus eſt, dicendo unctionem infirmorum non eſſe Pœnitentiam comparatè ad Sacramentum Pœnitentiæ, neque ſpectare ad juſtitiam Dei, ſed ad miſericordiam. Quod etiam Dallæus addit, *apud Origenem qui inungitur, facere & poſſe facere opera Pœnitentiæ: qui verò apud nos inungitur, ea non modò non facere, ſed nequidem facere poſſe*, parum afficit. Si quidem apud nos qui inungitur, facit ſi poteſt, ſi non poteſt præ infirmitate, eſt in præparatione animi faciendi & patiendi quicquid potuerit pro peccatis, ut obſervabimus inferiùs.

inferiùs. Neque verò apud Origenem, qui inungitur Sacerdoti sua confitetur peccata, lachrymis stratum suum lavat, atque se se in duris atque laboriosis operibus exercet. Verba namque Origenis significant tantum ea esse actus Pœnitentiæ Christianæ adæquatè sumptæ, non significant ea esse præcisè actus *consummationis Pænitentiæ* Chiltianæ in unctione positæ. Quod denique idem Dallæus subjicit, *apud Origenem nullam corporeæ mentionem fieri ægritudinis, nedum ut desperati morbi*; ad summum valeret, ut probaretur quòd in Ecclesia Orientali tempore Origenis unctio administrabatur cuilibet peccatori, seu ille *infirmus* esset, seu *sanus* atque *benevalens*, sicuti in eadem Orientali Ecclesia BENEVALENTIBUS administratur, ut Euchologia, & Græcorum qui ante multos annos scripsere, de quibus inferiùs, opera nos docent. Sed non valet ad probandum Origenianam aliam esse specie à nostra: sicuti non est alia specie Eucharistia veterum à nostra, apud quos infantibus ipsis administrabatur, cùm apud nos non nisi rationis compotibus. Adde quòd fortè Origenes meminit sufficienter ægrotorum, suamque inunctionem ad eos pertinere satis indicavit, cùm adduxerit verba Jacobi: *Infirmatur quis in vobis?*

Respondet II. Dallæus, Pœnitentes olim apud Sacerdotes peccata confessos, unctos oleo fuisse, suorum ut peccatorum remissionem consequerentur. Ad hanc rem facere, quòd qui apud Hæreticos baptizati fuerant, cùm ad Ecclesiam transirent, inungebantur, ut ita solveretur hæretici Baptismatis vitium. Origenem ad hoc exemplum ipsos Pœnitentes oleo inungi intelligere. Neque verò magis ab hæresi transeuntibus, quàm cæteris pœnitentibus convenire unctionem: neque eam Jacobum illis potiùs, quàm his commendare: neutris enim adhiberi præcipere, sed solis infirmis seu ægrotantibus.

Contrà. Nunquam *Occidentalis* Ecclesia peccatores SANOS inunxit, suorum ut peccatorum veniam obtinerent. Unxit olim fortè *Orientalis*, quemadmodum etiamnum inungit, atque inunxit à multis sæculis, sed absolutos à peccatis, atque ad abstersionem peccatorum reliquiarum duntaxat, quam eandem unctionem benevalentium adhibent infirmis ipsis Græci, profitenturque esse eam de qua Jacobus Apostolus: *Infirmatur quis in vobis &c.* Quod Dallæus opponit *de ritu quo*

Ccc

redeuntes ab hæresi recipiebantur in Ecclesia, non facit ad institutum. Nam ritus ille erat purè *reconciliatorius*, non *Sacramentalis*: quod patet, quia nonnulli per *manûs impositionem*, alii per *nudam fidei professionem*, cæteri per *unctionem solam*, aut per *unctionem manûs impositioni conjunctam* recipiebantur. De ritu *Orientis* lege Basil. Epist. ad Amphilochium c. II. Concil. Constantinop. I. c. VII. Quinisextum c. XCV. Theodor. Studitam Epist. ad Naucration. De ritu *Occidentis* per manûs impositionem solam, habes Arelat. I. c. VIII. per unctionem solam, habes Synodum Arausf. I. c. I. & Epaon. c. XVII. de eo denique, qui unctionem atque manûs impositionem simul includebat, habes Arelat. II. c. XVII. Quare benignè interpretandus est Gregorii Magni locus lib. IX. Epist. LXI. Neque verò satis capio, quomodo Dallæus scribere potuerit unctionem istam pertinere *ad Sacramentum Pœnitentiæ*, qui tractatu *de Sacr. Confirmationis* asserere non dubitavit, unctionem qua recipiebantur revertentes ab hæresi, esse Baptismi purum putumque ritum atque cæremoniam.

Respondet III. Dallæus, Origenem, illud quod ait Jacobus: *Infirmatur quis in vobis?* ut erat allegoriarum amans, de infirmitate non corporis, sed animi intellexisse, idest de peccato: similiterque oleum de spirituali Pœnitentiæ medicina, sanationem de peccatorum remissione interpretatum esse: quem etiam sensum amplexus est Beda in Jacobi locum istum. Atque hinc patere, quid hæc verba sibi velint: *In quo impletur & illud Apostoli &c.* nimirum Origeni, unctionem infirmi à Jacobo præceptam, esse typum ac figuram quandam solatii, quod peccator à Dei Ministro per Pœnitentiam consequitur.

Contrà. Etiamsi Origenes fuerit amans allegoriarum, non tamen omnia testimonia Scripturæ quæ laudavit, juxta sensum allegoricum laudavit: & certum est plurima ab ipso fuisse usurpata in sensu litterali. Nihil porro est quo Dallæus nitatur ut dicat, Origenem hæc verba Jacobi laudavisse secundum sensum allegoricum, & non secundùm sensum litteralem.

Respondebit fortè aliquis, Homilias istas nomine Origenis circumferri, sed esse alterius authoris.

Contrà. Qui negant esse *Origenis*, contendunt esse *Cyrilli Alexand.* sub cujus nomine excusæ sunt ab *Hervagio*. Sed ne

Cyrillo, atque ut Origeni adjudicentur, facit id quod à Sixto Senensi lib. IV. Bibliothecæ observatum est de falsa librorum inscriptione, in hæc verba. *Quis enim ausit affirmare* XVI. *Origenis tractatus in Leviticum, Cyrilli nomine ab Hervagio excusos, esse Cyrilli: cùm in eis passim occurrant animæ ante mundum creatæ, & ob sua flagitia detrusæ in corpora tanquam in vincula: inferorum supplicia finem aliquando habitura: dæmones post certa tempora ad amissam felicitatem restituendi: atque alia permulta Origenica asserta, quæ Cyrillus ubique toto pectore, totisque viribus oppugnat & expugnat?* Facit etiam, ut Origeni haud dubiè tribuantur, quod Rufinus illas tanquam Origenianas, quamvis paulo liberius, è Græco in Latinum transtulerit, ut ipse testatur in peroratione quam adjecit Commentariis in Epist. ad Rom. Unde Erasmus de fide Rufini in vertendo Origene scribit. *Rufinus in peroratione quam adjecit Commentariis in Epist. ad Rom. profitetur se vertisse Origenis in Genesim, Exodum, Leviticum; item in Iesu Nave, & in librum Iudicum, Homilias in Leviticum, fatetur se vertisse liberiùs, hoc est, multa de suo attexuisse: & qui legit hoc opus & enarrationes in Epist. ad Rom. incertum est utrùm legat Origenem, an Rufinum. Hac arte vir gloriæ cupidus putavit se reperisse viam, quâ vel invitis omnibus, tereretur manibus hominum.* Unde Bellarminus de Script. Eccles. *Homiliæ in Leviticum habentur etiam inter libros sancti Cyrilli: sed verè Origenis sunt, non sancti Cyrilli. Nam phrasim Origenis servant, & erroribus ejusdem scatent.* At, inquies, si Rufinus multa de suo intexuit Homiliis istis; fortè & ea quæ pro unctione infirmorum proferimus? Dico inprimis quòd, hoc gratis dato, saltem locus iste sæculi IV. doctrinam exprimeret. II. nimiùm ista connexa sunt cum antecedentibus, quæ haud dubiè sunt Origenis, multiplici videlicet ratione qua peccata delentur, quàm ut assuta jure ac meritò censeantur.

EUSEBIUS PAPA.

Extat Decretum Pontificis istius apud Burchardum, & apud Yvonem p. XV. Decreti c. XXXV. his verbis conceptum. *Si quis Pænitentiam petens, dum Sacerdos venerit, fuerit officio linguæ privatus, constitutum est, ut si idonea testimonia habuerit, quòd ipse Pænitentiam petiisset, & ipse per motus aliquos sua*

voluntatis aliquod signum facere potest, Sacerdos impleat omnia, sicut suprà circa ægrotantem pœnitentem scriptum est, idest, orationes dicat & UNGAT EUM OLEO SANCTO, & Eucharistiam ei donet, & postquam obierit, ut cum cæteris fidelibus ei subministret. Ex quibus verbis patet, quòd unctio adhibebatur eo tempore ad reconciliationem infirmi pœnitentis, & ante Eucharistiæ administrationem. Qui falsi atque imposturæ decretum istud volet arguere, exponat necesse est momenta quibus adducitur ut ita sentiat. Verum caveat, ne idem dicat de eo quod de Epistolis, quæ Pontificis ejusdem nomine circumferuntur, quas quidem eruditi supposititias esse fatentur: idque ex simplici eorum lectione faciliè concluditur. Non sic de decreto isto, cujus stilus IV. sæculum sapit, cujus sensus concinit Epistolæ Innocentii I. suo loco referendæ, in qua Epistola sermo est de unctione nostra, tanquam de re longè antè usurpata in Ecclesia Romana.

SANCTUS JOANNES CHRYSOSTOMUS.

Libro III. *de Sacerdotio* loquitur de potestate Sacerdotum ad remittenda peccata in hunc modum. *Neque enim solùm cùm nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent:* INFIRMATUR, *inquit*, INTER VOS ALIQUIS? ACCERSAT PRESBYTEROS.

Dallæus lib. II. c. VIII. scribit, mirum esse qua ratione nostrum oleum extundamus ex verbis istis. Neque enim Chrysostomum vel ungendos *morientes* Christianos dicere, neque eam unctionem *Sacramentum* esse docere, neque denique vel *de ægroto* loqui. Tantùm parentes cum Sacerdotibus comparantem dicere, hos suorum animas laborantes, ac in exitium ruentes sæpe servasse, vel etiam effecisse ne in exitium inciderent; cùm parentes, quam filiis dederunt corporis vitam, vel à morte vel à morbo eripere nequeant. Prius autem illud Sacerdotes efficere non modò Baptismi Sacramento quo homines regenerant, sed etiam postea cùm regeneratos, tum doctrina & admonitionibus, tum etiam precibus suis in via salutis tuentur ac confirmant: quod allatò illo Jacobi loco vel probat vel illustrat, in quo scilicet habetur, fusam à Sacerdote orationem cum fide eam vim habere, ut si peccaverit is in cujus gratiam funditur, ei pec-

cata remittantur. Hanc unam loci Jacobæi partem ad Chrysostomi consilium facere. Quæ in eo de morbo hominis Christiani, deque oleo ei illito habentur, ad ejus propositum minimè pertinere, sed idcirco tantùm referri, quòd sine iis Apostoli locus, quem recitat Chrysostomus, non constaret. Nam neque de morbo corporali, neque de oleo hîc disputat, sed de ea tantùm vi quam habent Sacerdotis preces. Absurdissimum porro esse, atque à Chrysostomi mente penitus alienum, conficere ex illo Jacobi loco hanc vim Sacerdotis preces non aliter habituras, nisi cum unctione conjungantur. Nam 1. Chrysostomus loquitur in genere de quavis anima laborante ac de salute periclitante, & non de infirmis tantùm in articulo mortis positis: tum de præsidio, quod animæ laboranti confert Sacerdos, sive per instructionem & commonefactionem, sive per preces simpliciter in genere loquitur. Atqui constat Sacerdotes peccatoribus non solùm in supremis versantibus, sed etiam valentibus in quovis vitæ articulo auxiliari; neque iis tantùm auxiliari quos oleo inungunt, sed etiam multò sæpiùs iis quos minimè inungunt.

Contrà. Quæstio est quid Chrysostomus ibi nomine *precum* intellexerit, an *orationem simplicem Sacerdotis*, an potiùs *orationem Sacramentalem*, seu verba Sacramentalia? Ego contendo non intelligere orationem simplicem: quod probo 1. quia de ea oratione loquitur, quam cùm Sacerdos profert, utitur potestate sibi concessa per Christum ad remittenda peccata, & quæ illa dimittit simili modo, quo peccata dimittuntur in Baptismate. Nam, ut probet Sacerdotes posse laboranti animæ præsidio precum opitulari, ait: *Neque enim solùm cùm nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent.* Est verò oratio Sacramentalis & non oratio simplex ea, qua cùm utitur Sacerdos, remittit pecca a ex potestate sibi facta per Christum illa remittendi, atque dimittit eadem simili modo, quo Baptismus peccata dimittit.

Comparat ibi, fateor, Chrysostomus parentes cum Sacerdotibus, & ait, parentes posse quidem dare vitam corpoream; at non posse à morbo corporeo eripere, multò minùs corporalem interitum à liberis amoliri: sed Sacerdotes & regenerare in Baptismate, & regeneratos ab interitu spirituali eripere, non doctrinæ solùm atque commonitionis, verùm etiam

precum præsidio: quod præstant, quando orando ex potestate peccata dimittunt regeneratis, quamque potestatem illos habere, verba Jacobi declarant: *Infirmatur quis &c.*

Ex quo perspicuum fit ad Chrysostomi propositum pertinere, quæ in hoc Jacobi loco de morbo hominis Christiani, deque oleo ei illito habentur. Nam Sacerdotes non habent potestatem remittendi peccata regeneratis, & quidem simili modo quo remittunt in Baptismate, non per orationem ut sic, sed per solam *orationem Sacramentalem*, seu per *Sacramentum.*

Quod ait Dallæus, *absurdissimum esse, atque à Chrysostomi mente penitus alienum, dicere orationem Sacerdotis hanc vim non habere, nisi cum unctione conjunctam; quia loquitur de quavis anima laborante, non de infirmis solis, & de præsidio quod Sacerdos cuilibet animæ laboranti confert, sive per instructionem, sive per preces simpliciter in genere*; frivolum est. Et quidem, si ea fuit veteris Ecclesiæ Orientalis praxis quæ præsentis, apud quam non *moribundis* solùm, sed *ægrotis* quibuslibet, imò & *sanis* atque *benevalentibus* unctio confertur, non interest, utrùm de infirmis solis locutus fuerit, an generatim de qualibet anima periclitante. Quòd si antiquitus apud Græcos Sacramentum istud administrabatur solis ægrotis, non ideo validior est hæc ejus ratiocinatio. Quia Chrysostomi animus non fuit proponere rationes omnes atque omnia media quibus Sacerdos animæ periclitanti potest auxiliari; sed animus illi fuit ostendere Sacerdotem & à periculo mortis æternæ, & ab ipso interitu sempiterno posse animam eripere: quod probat; quia non doctrinæ solum atque commonitionis præsidio, sed etiam potestate succurrit animæ periclitanti & mortuæ, quam ex Jacobi v. eum habere constat, ad remittenda peccata ejus super quem precando fundit oleum: quasi sic argumentetur. Ille potest à morbo spirituali atque ab interitu animam eripere, qui potestatem habet condonandi peccata. Sed, ex Jacobo Apostolo, Sacerdos habet potestatem remittendi peccata infirmis, fundendo super eos oleum & orationem. Itaque Sacerdos potest eripere animam à morbo atque ab interitu.

Pergit Dallæus. *Si unctionem, de qua istic Jacobus, sic urgeas, ut cui Sacerdotis oratio prodest, eum oleo quoque à Sacerdote unctum esse velis; sequitur nulli Sacerdotis preces profuturas, nisi quem ille unxerit: quod falsum est.*

Respondeo, Catholicos censere orationem Sacerdotis oleo minimè conjunctam utilem esse regeneratis. Censemus quoque Sacerdotes habere potestatem remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, in quo Sacramento pœnitentes minimè unguntur. Contendimus tantùm, quòd Sacerdotes habent etiam potestatem remittendi peccata adhibendo oleum & orando super infirmos: quod Chrysostomus voluit eo loco de quo agimus, ubi probare voluit Sacerdotes ea facultate gaudere; noluit verò modos omnes proponere, quibus animæ laboranti potest auxiliari.

INNOCENTIUS PRIMUS.

Ille Epistolâ ad Decentium à quo de multis consultus fuerat, cap. VIII. respondit in hunc modum. *Sanè quoniam de hoc sicuti de cæteris consulere voluit dilectio tua, adjecit etiam filius meus Cælestinus Diaconus in Epistola sua, esse a tua dilectione positum illud, quod in B. Apostoli Jacobi Epistola conscriptum est.* (SI INFIRMUS ALIQUIS IN VOBIS EST, VOCET PRESBYTEROS, ET ORENT SUPER EUM, UNGENTES EUM OLEO IN NOMINE DOMINI : ET SI PECCATA FECIT, REMITTENT EI :) *quod non est dubium de* FIDELIBUS ÆGROTANTIBUS *accipi vel intelligi debere, qui* SANCTO OLEO CHRISMATIS *perungi possunt, quo* AB EPISCOPO CONFECTO, *non solùm* SACERDOTIBUS, *sed* OMNIBUS *uti* CHRISTIANIS *licet, in sua aut suorum necessitate inungendo. Cæterùm illud superfluum videmus adjectum, ut* DE EPISCOPO *ambigatur quod* PRESBYTERIS *licere non dubium est. Nam idcirco de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum & benedicere & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrisma conficere. Nam* POENITENTIBUS *istud infundi non potest, quia* GENUS EST SACRAMENTI. *Nam quibus* RELIQUA SACRAMENTA *negantur, quomodo* UNUM GENUS *putatur posse concedi?* Gratianus & Yvo legunt: *Nam non pœnitentibus &c.*

Ex qua Romani Pontificis responsione colligendum esse videtur, quòd ille consultus fuerat à Decentio Episcopo Eugubino super difficultates sequentes. 1. utrum hæc verba Ja-

cobi : *Si infirmus aliquis in vobis &c.* intelligantur de infirmis ungendis oleo per Sacerdotes ? II. supposito quòd intelligantur de unctione infirmorum, utrùm Episcopus possit ungere infirmos, Jacobo Apostolo commemorante solos Presbyteros ? III. utrùm laïci possint uti oleo isto infirmorum, quod ab Episcopo confectum esse debet, *in suis aut in suorum necessitatibus?* IV. denique utrum pœnitentes inungi possint eâ Jacobæâ inunctione. Respondet Innoc. primam quæstionem esse extra omnem controversiam. *Quod*, inquit, *non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi debent.* De secunda quoque non esse ambigendum; cum Episcopus possit quidquid potest Sacerdos. *Cæterùm illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur quod Presbyteris licere non dubium est.* Ad tertiam respondet affirmativè. *Quo*, inquit, *ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus Christianis uti licet &c.* Ad quartam denique dicit pœnitentes inungi non posse unctione Jacobæa. *Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti.* Hoc præmisso.

Infero, per id temporis unctionem infirmorum *usurpatam fuisse* communiter, *Sacramenti* nomine decoratam, & eo nomine intelligi *Sacramentum propriè dictum* : quia signum sensibile junctum verbo, cujus Minister est Episcopus vel Sacerdos, ad remissionem peccatorum institutum in Lege nova, est Sacramentum propriè dictum.

Opponit I. Dallæus hanc Innocentianam unctionem ab hodierna Romana differre *materiâ*, quia oleum est simplex, Innocentio asserente *Chrisma* esse materiam suæ : *Sancto oleo* CHRISMATIS *perungi possunt* : & : *tangere* CHRISMATE *sine cunctatione potest.* Nimirum cum Chrisma in Ecclesiis ab Episcopo benedictum servaretur ad inungendos pro more illius ævi baptizatos, consecrandosque Sacerdotes, omnino verisimile est aliquos qui viderent, & oleo adhibito morbos à multis miraculosè curatos fuisse, & apud Jacobum legissent verba illa recitata, à Decentio ægrotantes petiisse, ut Chrismate quoque inungerentur, si fortè ea ratione sanari possent, & ex ea occasione quæsiisse Decentium, quid facto opus esset.

Respondeo, Dallæum immeritò vim facere in hac voce (*Chrisma*,) quod in Scripturis & apud Patres etiam Latinos usurpatur

usurpatur pro unctione ut sic. Unde II. Corinth. I. ubi legitur in vulgata : *Qui* UNXIT *nos Deus* : I. Joan. II. *Sed vos* UNCTIONEM *habetis à Deo* : & infrà : UNCTIONEM *quam accepistis ab eo* : Græcum habet χρίσμα, à χρίω. Cyprianus Epist. LXX. quæ est ad Januarium. *Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto* CHRISMATE, *idest* UNCTIONE, *esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit.* Et certè unctio fieri potest ex oleo simplici, fieri quoque potest ex mixtura olei & balsami. Mixtura quoque ista est unguentum. Ergo nomen Chrismatis convenit utrique, non tantùm si ad modum loquendi Scripturæ Patrumve attenderis, sed & si vim ipsam vocis spectes. Unde Eugenius IV. in Decreto unionis Armen. ubi de materia Confirmationis loquitur : *Est Chrisma*, inquit, *confectum ex oleo & balsamo* : quo videlicet significaret materiam istius Sacramenti, non esse Chrisma simpliciter, sed speciem quandam Chrismatis seu unctionis, eam nempe, quæ sit mixtura ex oleo & balsamo. Si Pontifex sensisset mixturam hanc proprio nomine appellatam fuisse Chrisma, dixisset : *Est Chrisma* : neque addidisset quidquam, aut si addidisset sequentia, sic locutus fuisset : *Est Chrisma, hoc est, unguentum confectum ex oleo.* Sed dicendo. *Est Chrisma confectum &c.* significavit nomen Chrismatis esse nomen genericum & non specificum. Neque verò Dallæus ostendet unquam nomen, *Chrisma*, usurpari apud veteres ad significandum ejus mixturam duntaxat. Bene est autem quòd Dallæus non diffitetur, per id temporis Chrisma pro mixtura usurpatum, benedici ab Episcopo atque asservari solitum ad inungendos baptizatos atque ad consecrandos Sacerdotes. Bene quoque est quòd agnoscit, oleo adhibito morbos à multis miraculosè fuisse curatos : sed oleum quoque benedictum asservabatur pro infirmis ungendis. Oleum hoc sæpe sæpius restituebat sanitati fideles eo perunctos : quare credibilius est laïcos fideles in suis suorumque necessitatibus illo potius fuisse usos, quàm Chrismate Confirmationis, quæ erat III. difficultas Innocentio proposita.

Opponit II. Innocentius in genere & indefinitè ait, fideles *ægrotantes* ungi posse, non solos *moribundos*. Imò significat adhibendam esse ægrotantibus de quorum vita & sanitate speratur. Negat enim pœnitentibus dandam, ideo quòd iis *reliqua Sacramenta* negarentur. Stultè & absurdè, si so-

lis, ut nunc fit, in mortis discrimine positis ministraretur, quibus ne Eucharistia quidem per ea tempora negabatur, neque cætera Sacramenta propriè dicta.

Respondeo, ex ipsa Concilii Trid. doctrina, unctionem non esse ministrandam *solis moribundis*, sed & aliis præterea ægrotis *periculosè decumbentibus*, de quorum adhuc sanitate speratur. Quare funditus ruit fallaci nixa fundamento Dallæi objectio. Quando Pontifex definit unctionem non esse dandam infirmis pœnitentibus; sensus est, non esse ungendos ante reconciliationem, quamvis ungendi sint in exitu, postquam reconciliati fuerint. Ratio est, quia Innocentius vult unctionem illis denegari, cùm cætera Sacramenta denegentur eisdem. Ut ergo certum est cætera Sacramenta eis non negari postquam reconciliati sunt in exitu, ita neque unctionem. Quærebatur an unctio concedenda esset pœnitentibus? Et fortè ratio dubitandi hæc erat pro affirmante: quòd ea unctio multùm valeret ad restitutionem sanitatis: pro negante, quòd pœnitentes non essent capaces Sacramentorum. Definit Pontifex pœnitentibus dandam non esse, sicut pœnitentibus reliqua Sacramenta non dantur. Si ad effectum solummodo corporeum instituta fuisset, causæ nihil cur ab ea pœnitentes excluderentur. Concilium Regiaticense habitum an. DCCCL. infrà citandum rem totam in hunc sensum explicat. Audiat, quæso, Dallæus Spalensem lib. v. de Republ. Eccles. c. x. §. x. *Meo judicio*, inquit, *Innocentius stante jam usu Ecclesiæ Romanæ, & aliarum eidem Metropolitanæ in Provincia Romana subjectarum, ut infirmi Chrismatis unctione uterentur, & sic Jacobi documentum servarent, duo dubia Episcopo Eugubino solvit: alterum est, non modò Presbyteros, ut est in Epistola Jacobi, sed etiam multò magis Episcopum, imò verò etiam quemcunque Christianum posse Chrismate ægros inungere quisque suos domesticos, ubi tam commodè habere Presbyteros non possint. Alterum est, pœnitentibus publicis unctionem hanc non esse permittendam, quia Sacramenta eis omnia negantur. Intellige nisi priùs reconciliati fuerint. At verò ante præfixum suæ pœnitentiæ tempus non reconciliabantur, nisi essent jam in periculo mortis constituti: tunc enim reconciliati, per condonationem reliqui temporis, jam erant omnium Sacramentorum capaces: atque hinc ortum habet nostra consuetudo, ni fallor, ut non nisi moribundos ungamus. Quia tamen ægroti, ante mortis periculum Chrismatis*

unctionem cupiebant, illa pœnitentibus duntaxat negabatur. Mitto quòd Gratianus & Yvo legunt. *Nam non pœnitentibus istud infundi non potest.* Quæ lectio si vera esset (veram tamen eam esse non puto) sensus esset, pœnitentes solos esse ungendos, ut reconciliarentur ultimatè atque completè per eam unctionem.

Opponit III. Minister nostræ unctionis solus est *Presbyter*, vel *Episcopus.* Minister Innocentianæ est *quilibet fidelis* in sua aut suorum necessitate. Nam Innocentius habet : *Quo ab Episcopo confecto, non solùm* SACERDOTIBUS, *sed* OMNIBUS *uti* CHRISTIANIS *licet, in sua aut suorum necessitate inungendo.* Quæ vox (*inungendo*) de unctione passiva cùm intelligi non possit, quia nemo unquam existimavit fas esse Sacerdotibus alios Presbyteros inungere, non laïcos. Ergo superest ut intelligatur activè.

Respondeo, Innocentium verbis istis docere, quòd laïcis uti licet oleo ab Episcopo confecto in sua necessitate, aut suorum inungendo, hoc est, ad recuperandam sanitatem, sed non pronunciare unctionem ejusmodi eam esse, de qua Jacobi V. agitur. Idem scilicet fideles facere consueverant adhibendo oleum infirmorum, quod aquâ Baptismatis. Ut enim illi cœperunt uti aquâ consecratâ ad restitutionem sanitatis corporeæ, cùm vidissent plurimos in Baptismo deperditam recuperare sanitatem : ita quia videbant in Sacramento unctionis homines convalescere, oleum illud sanctum in suis, suorumque necessitatibus adhibuerunt : ut constat de Machario apud Palladium Historiæ Lausiacæ c. XX. de Eutychio CP. apud Eustathium Presbyterum in ejus vita, de Martino Abbate apud Gregor. Turon. in vitis Patrum c. XIV. de Senoch Abbate ibidem c. XV. de Hospitio recluso apud eundem lib. VI. Hist. c. VI. & VII. de Martino Turon. apud Sulpitium Severum, de Germano Paris. de Germano Altissiodor. de Paterno Abrincensi, de Cudberto Lindisfarn. de Udalrico Augustano, de Domnulo, de Theodoro Archimandrita, de Theodorico Abbate, de Austregesilo & cæteris in vitis eorum. Et hæc inunctio non condonabat peccata, quod Jacobæa seu nostra facit, juxta illud : *Si in peccatis sit, remittentur ei.* Aut si mavis, Innocentius intelligit, quòd absente Presbytero laïcus inungere possit infirmum, unctione quæ nostra seu Jacobæa sit *quodammodo*, in quantum videlicet

includit *votum* ſeu *deſiderium percipiendæ unctionis per Sacerdotem*, ſed non *proprie & verè*. Et hæc unctio haberet ſe eodem modo ad Jacobæam ſeu noſtram inunctionem, quo confeſſio laïco facta defectu Sacerdotis haberet ſe ad confeſſionem Sacramentalem.

Opponit IV. Si hanc, quam intelligit, unctionem Innocentius verè propriéque dictum Sacramentum eſſe putaſſet, non dixiſſet, quod ſimpliciter dixit, fideles Chriſmate perungi *poſſe*; dixiſſet perungi debere. Quia *poſſe* dicitur de iis, quibus uti vel abſtinere liberum eſt: quod nemo de veris Sacramentis dixerit.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad ejus probationem dico, fideles non teneri *præcepto divino* ſimpliciter ad ſuſcipiendam unctionem, ſicuti præcepto divino tenemur ad ſuſcipiendam Euchariſtiam. Quare etiamſi *poſſe* dicatur de iis quibus uti vel abſtinere liberum eſt, uſurpatum meritò fuit. Deinde non eſt verum, verbum (*poſſe*) dici ſemper de iis quibus uti vel abſtinere liberum eſt: nam includit & ea quæ debemus, & ea quæ nobis libera ſunt.

Opponit V. Innocentius ait Chriſma eſſe non ſimpliciter Sacramentum, ſed *Sacramenti genus*: quam loquendi formam notum eſt imminuendæ ſignificationis vim habere, idemque ſæpe valere, ac ſi dictum eſſet, *quodammodo*, vel *aliquo modo*. Baptiſmum vel Euchariſtiam neminem dicturum Sacramenti genus eſſe.

Reſpondeo, hanc loquendi formulam aliquando equidem imminuendæ ſignificationis vim habere, ſed ſæpe quoque, nec Dallæus repugnat uſurpari tantùm, ad exprimendam rei, ut in ſe eſt, qualitatem. Sic genus hominum, genus marmoris, genus coloris, genus pœnæ, ſignificant hominem verum, colorem verum, marmor verum, veram pœnam. Hîc uſurpatur ſecundo iſto modo: quod probatur ex verbis ſubſequentibus: *Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur poſſe concedi?* In quibus unctio dicitur *unum genus Sacramenti*, comparatè ad Sacramenta propriè dicta, quæ Innocentius intelligit per *reliqua Sacramenta*. Nam vox (*reliqua Sacramenta*,) ſignificat id quod appellavit genus Sacramenti eſſe Sacramentum eodem modo, quo cætera, quæ vocibus iſtis (*reliqua Sacramenta*) comprehenduntur. Atque id adeo verum eſt, ut Gofridus Vindocin. Epiſt. XIX.

lib. II. scripserit unctionem vocatam esse ab Innocentio I. *Magnum Sacramentum*. Et Yvo Carnot. Epist. xx. apud eundem Gofridum, postquam scripsit eam esse secundum institutum Apostolicæ Sedis *genus Sacramenti*, vocaverit eam postea *Sacramentum simpliciter*.

Opponit VI. Non ipsam ungendi actionem, sed id quod ægroto illinebatur, nimirum Chrisma Sacramentum appellari ab Innocentio.

Respondeo, Innocentium non appellasse Chrisma Sacramentum, sed Chrismatis infusionem, seu ipsam ungendi actionem, ut ex contextu liquidum fit. *Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti*. Sed etsi appellavisset, eodem modo appellavisset, quo Tertullianus Baptismum appellavit *Sacramentum aquæ*, lib. de Baptismo, hoc est, Sacramentum quo homo abluitur aquâ: Sacramentum Chrismatis, Sacramentum quo Chrismate seu unctione delinitur infirmus.

Opponit VII. nondum Innocentii sæculo usitatam receptamque fuisse nostram unctionem. Nam ex responsione ipsius certo certius est, Decentium aliquid hujusmodi quæsivisse: *An fidelibus laïcis liceret Chrismatis oleo in morbo inungi? An Episcopis fas esset id olei ministrare?* Denique: *An pœnitentes infirmos eodem illo oleo contingi concessum esset?* Atqui si unctio eo sæculo usitata Sacramentum propriè dictum habita fuisset, profectò nunquam ullus eorum temporum Episcopus dubitaturus erat, an ea unctio fidelibus concedenda, an pœnitentibus neganda esset, an vel ab Episcopo administrari posset? Neque ferendus esset Episcopus, vel fidelis laïcus de his, velut dubiis quærens, utpotè claris & perspicuis. Imò neque pœnitentes ferè illius usum fuissent postulaturi, qui scirent sibi quamdiu pœnitentes erant, omni Sacramentorum communione interdictum esse. Contrà verò omnia plana erunt, si astruatur quosdam illo ævo fideles, cùm viderent oleo sacro non paucos ab iis qui miraculorum donum habebant, morbis liberatos fuisse; cœpisse & ipsos oleum Chrismatis, quod apud Ecclesiam asservabatur, expetere, Decentiumque Jacobi verbis adductum id iis minimè invidendum putavisse, & idem cum pœnitentibus quoque in morbis communicari posse: quòd scilicet ea unctio ad corpus potiùs quàm ad animum pertinere videretur: tamen quòd

res, utpote nova, nondum esset vel usu vel lege constituta, de ea ad Innocentium referendum existimasse, antequam quicquam ipse in alterutram partem statueret.

Respondeo, ex observatis suprà, Innocentium de his fuisse consultum à Decentio, utrum locus Jacobi intelligendus sit de unctione infirmorum quæ hoc ævo in usu erat? utrùm Episcopi Ministri ipsius essent, quandoquidem Jacobus ibi Presbyterorum tantum meminerit, neque Pontifices ungere solerent? utrum laïci hoc oleo in suis & suorum necessitatibus (quæ erat plurimorum praxis) uti possent? ac denique utrùm pœnitentes inungi valerent, si non ut spiritualem, saltem ut corporeum consequerentur effectum; cum liquidum foret proprium esse unctionis istius, ex præfato Jacobi loco, ut corporeæ sanitati restituendæ, atque ut peccatis remittendis utilis foret. Non est quæsitum, an liceret fidelibus laïcis Chrismatis oleo in morbo inungi? Ratio dubitandi petita ex verbis Jacobi aliqua fuit de Episcopis atque pœnitentibus. Ut dubitaretur quoque de consuetudine ista laïcorum recepta, facere videbatur idem contextus, in quantum agitur in eo de ungendis infirmis per *Sacerdotes*, & non per alios. Rationes istæ dubitandi non erant indignæ Præsule, supposito quòd Jacobus intelligeretur de illa: & ea quidem, quæ Episcopos spectat, tantò videbatur major, quòd receptum erat, ut soli ungerent Presbyteri, Episcopis ad alia occupatis. Sed neque si de iis Decentius Eugubinus dubitavit, consequens est tum temporis pro vero propriéque dicto Sacramento minimè habitam eam fuisse. Erat quidem obvium & apertum cuique, quòd unctio esset Sacramentum, sed non erat æque planum & conspicuum, quòd Episcopus esset ejus Minister, aut quòd pœnitentibus infirmis ad recuperandam sanitatem corpoream dari non posset. Sed quærerem à Dallæo, cui placet unctionem infirmorum Innocentianam esse Sacramentum impropriè, seu aliquod sacramentale, rei sacræ scilicet, hoc est, lætitiæ spiritualis signum ac symbolum Episcopali benedictione consignatum; quærerem, inquam, utrùm Decentius majori cum fundamento dubius esse potuerit, utrùm administranda esset ægrotis fidelibus? utrùm ab Episcopis? utrùm ipsis pœnitentibus? Quia æque perspicuum est sacramentalia ac Sacramenta conferri posse fidelibus ab Episcopis, neque verò conferri posse pœnitentibus. Verum, esto, Decentius

prodiderit ea dubitatione aliquam ignorantiam; certè non ita Innocentius, qui eruditâ suâ responsione sic satisfecit, ut modestè significaverit dubitationem exortam fuisse, ubi nullus erat dubitandi locus. Dubitabatur utrùm verba Jacobi v. intelligenda essent de unctione infirmorum? Respondit Pontifex non esse quòd de eo dubitetur. *Quod*, inquit, *non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere.* Dubitabatur utrùm Episcopi possent infirmos ungere? Respondit Pontifex, de eo nullatenus esse ambigendum. *Cæterùm*, inquit, *illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium.* Dubitabatur, utrùm oleum istud possit infundi pœnitentibus? Respondit Pontifex, non posse: & id quidem perspicuum cuilibet videri debere significavit, dum scripsit: *Nam pœnitentibus istud infundi non potest, quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Dubitabatur denique utrùm laïci fideles uti possent oleo ab Episcopo confecto in suis aut suorum necessitatibus. Sed quia res hæc humani planè est arbitrii, neque hactenus ullâ fuerat Ecclesiasticâ lege firmata; Pontifex respondet, id posse. Sed non ait, quod satisfaciendo primæ difficultati propositæ dixerat, rem esse extra dubium: aut quod secundæ quæstionis responsioni adjunxerat, superfluum esse ut de eo ambigatur: neque etiam, quod ubi de tertia, miratur, quomodo de ea moveatur quæstio: sed respondet simpliciter: *Quo ab Episcopo confecto non solùm Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet, in sua aut suorum necessitate inungendo.* Atque sua illa responsione approbat, quod ex pietate à nonnullis fidelibus absque lege factitatum hactenus fuerat.

Quod alii opponunt, spuriam esse hanc Epistolam & falsò Innocentii primi nomine circumferri: rejectum à nobis est tract. de Confirmat.

SANCTUS AUGUSTINUS.

In *Speculo*, referens verba Jacobi citata, suffragatur fidei nostræ de Sacramento unctionis infirmorum: quod ostendo. In præfatione *Speculi*, postquam sanctus Doctor admonuit, *in Scripturis sanctis quædam sic esse posita, ut tantùm scirentur & crederentur: quædam verò sic esse jussa, ut observarentur &*

fierent, vel prohibita ne fierent: eaque esse duplicis generis: alia Sacramentorum relata mysteriis, quæ multa veteris Testamenti populo illi facienda mandata sunt, neque à populo Christiano nunc fiunt, sed tantummodo intelligenda requiruntur atque tractantur; alia verò etiam nunc facienda, si facienda præcepta sunt; nec facienda, si prohibita: subjunxit. *De his igitur, quæ ita sunt posita in litteris sacris vel jubendo, vel vetando, vel sinendo, ut etiam* NUNC, IDEST, TEMPORE NOVI TESTAMENTI *ad vitam piam exercendam, moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumpsi, componere agressus sum, ut, quantum me Deus adjuvat, omnia talia de Canonicis libris colligam: atque ut facilè inspici possint, in unum tanquam speculum congeram.* Inde dico. Augustinus hoc libro, suo loco refert verba Jacobi: *Infirmatur quis in vobis &c.* Existimavit itaque suo sæculo, generatimque tempore novi Testamenti præceptum esse infirmis, ut advocent Presbyteros à quibus inungendi sint, per quam inunctionem eorum peccata deleantur. Hoc verò est Augustinum agnoscere unctionem illam esse signum perpetuum, practicum gratiæ sanctificantis, adeoque esse Sacramentum novæ Legis. Itaque probatur ex eo loco invictissimè veritas Catholica de Sacramento unctionis infirmorum.

Respondet Dallæus, Augustinum illic tantùm ea Jacobi verba nudè & simpliciter recitare: quis verus sit sensus, & an unctio in iis memorata ordinarium sit Ecclesiæ Sacramentum, an verò extraordinarium doni sanationum in primitiva Ecclesia signum, non dicere. Ad hoc referre eum locum, ut de orationis efficacia, divina benignitate, remissione peccatorum, & clavium potestate doceret: tum etiam, ut ex illo miraculosæ sanationis dono multa colligerentur ad ædificationem nostram nunc utilia.

Contrà. Augustinus refert illum locum, ut doceat juberi toti Ecclesiæ id quod Apostolus præcepit his verbis. Præcepit verò ibi inungi infirmos & orari super eos, ut per hanc unctionem atque orationem corporis & animæ suæ recipiant sanitatem: non præcipit orationem tantùm, non præcipit tantùm fidelibus ut se se clavibus Ecclesiæ subjiciant ad obtinendam peccatorum suorum condonationem; præcipit etiam inunctionem ipsam. Cur enim distinguit Dallæus, ubi non distinguit Augustinus? & ex eo quòd S. Pater ne quidem

dem verbum ullum de ſuo ſacris Apoſtoli vocibus adjicit, conſequens eſt retuliſſe hunc locum, quo doceret præceptum imponi ut ea omnia fiant, quæ verbis Apoſtoli continentur. Satis porrò ſuperque ſignificavit Auguſtinus ſe non intellexiſſe locum hunc de extraordinario ſigno doni ſanationum: quia ſignum hujuſmodi priora tantùm Eccleſiæ ſæcula reſpiciebat: cùm ille eum ad Eccleſiam pro omni tempore pertinere contendat.

Idem Auguſtinus Serm. ccxv. de Tempore ſcribit. *Quoties aliqua* INFIRMITAS *ſupervenerit, Corpus & Sanguinem Chriſti ille qui ægrotat accipiat: & inde* CORPUSCULUM SUUM UNGAT, *ut illud quod ſcriptum eſt impleatur in eo:* INFIRMATUR ALIQUIS? INDUCAT PRESBYTEROS, ET ORENT SUPER EUM, UNGENTES EUM OLEO, ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM, ET ALLEVIABIT EUM DOMINUS, ET SI IN PECCATIS SIT DIMITTENTUR EI. *Videte, fratres, quia qui in infirmitate* AD ECCLESIAM *cucurrerit:* ET CORPORIS SANITATEM *recipere*, ET PECCATORUM INDULGENTIAM *merebitur obtinere.*

Reſpondent vulgò Calviniſtæ, Sermonem hunc non eſſe *Auguſtini.* Dallæus lib. II. c. x. addit, videri ſibi ejuſdem authoris, cujus eſt liber *de rectitudine Catholicæ converſationis*, hoc eſt, *Eligii Noviomenſis*, de quo inferius. Quia, quæ hîc brevius & contractius, ibi fuſius exprimuntur. Favere Eraſmum, Martinum Lypſium, Lovanienſes & Pariſienſes editores, qui docti quidem, ſed incerti parentis eſſe aſſeverant.

Contrà. Calviniſtæ malè negant Sermonem hunc eſſe Auguſtini. Sapit Auguſtinum. Stilus eſt Auguſtinianus. Non eſt rejectus *in appendicem* à Martino Lypſio, Lovanienſibus, Pariſienſibus editoribus. Non eſt Eligii Noviom. quanquam ejus ſit liber *de rectitudine Catholicæ converſationis*: quo in libro mutuatus eſt ſenſum Auguſtini, quem ſtilo fuſiori expreſſit. Diverſitas phraſis diverſum prodit authorem. Non favent Dallæo Eraſmus, Lypſius, Lovanienſes, Pariſienſes: quaſi verò voluerint Sermonem hunc habere parentem incertum? Unus Martinus Lypſius cenſuit de Sermonibus, qui nomen Auguſtini præferre videbantur, cujus Lovanienſes amplexi ſunt judicium: nomen *Auguſtini* ſolis illis appoſuit, qui ſibi certò videbantur eſſe *Auguſtini*; rejecit *in appendicem* eos.

quos Augustini non esse certo certiùs agnovit. Cæterorum duæ sunt classes: alii quippe, quòd non satis discussi, *Augustini* nomine non fuerunt insigniti: reliqui, quòd ex judicio quorundam virorum eruditorum dubiæ essent authoritatis. Probandum incumbit Dallæo Sermonem, de quo agitur, eruditorum judicio videri esse dubiæ authoritatis.

Respondet Dallæus lib. II. c. XII. cujuscunque Sermo iste sit, minimè suffragari nostræ doctrinæ. Nam unctio de qua ibi, est quidem *infirmorum*, sed non est *exeuntium* tantùm, qualis est nostra. Est ad reparandam sanitatem corpoream, non ad munimen animæ in extremis, sicut est nostra. Est denique hujusmodi, ut eâ infirmus se ipsum ungere possit, cùm nostra non possit fieri nisi per Sacerdotes.

Contrà. Unctio nostra est quidem ita *exeuntium*, ut sit etiam *infirmorum gravi ægritudine laborantium*. Est *ad munimen animæ*, quando homo versatur in extremis; sed est etiam *ad reparandam corpoream sanitatem* instituta, quando Christianus periculosè decumbit. Et licèt *Augustinus* non meminerit eo loci effectûs istius spiritualis, argumento ejus id minimè postulante; satis est tamen quòd non excluserit, sicuti revera non exclusit. Denique harum vocum (*inde corpusculum suum ungat*,) sensus est iste: Inde corpusculum suum inungi faciat, per Sacerdotes videlicet: quod evincitur ex iis quæ subjungit: *Ut illud quod scriptum est impleatur in eo*: INFIRMATUR ALIQUIS? INDUCAT PRESBYTEROS, ET ORENT SUPER EUM, UNGENTES EUM OLEO. Nam textus iste probat inunctionem fieri debere per Sacerdotes, non per infirmum; alias ridiculè afferretur ab Augustino, cujus sensus is esset: *Ungat seipsum infirmus, ut illud impleatur quo scriptum est ungi debere infirmos per Presbyteros Ecclesiæ seu per Sacerdotes.* Inungere quidem se posse infirmos oleo consecrato, imò & frequenter id ab illis factum in veteri Ecclesia fuisse non diffiteor: cæterùm cùm id faciunt, non faciunt vi illius præcepti Apostolici, faciunt ex devotione & pietate quadam, cujus meminimus ad Innocentium I. & qui seipsos ægros inungere negligebant, violati vel neglecti præcepti Apostolici rei minimè censebantur.

SANCTUS CYRILLUS ALEXANDRINUS.

Lib. VI. *de adoratione in spiritu & verit.* agens contra in-

cantationes ita loquitur. *Tu verò*, SI QUA TIBI PARS CORPORIS DOLET, *& verè credis hæc verba, Dominus Sabaoth, & alias hujusmodi appellationes, quas Deo, qui secundùm naturam est, divina Scriptura tribuit vim habere putas pellendi malum illud, pro te ipso preces fundens hæc verba pronuncia: sic enim rectiùs quàm illi facies, neque impuris spiritibus, sed Deo gloriam tribues. Commemorabo etiam divinitus inspiratam Scripturam quæ ait:* INFIRMATUR QUIS IN VOBIS? INDUCAT &c. Ex hoc loco sic argumentor. Cyrillus contra morbos corporis loco incantationum proponit duo genera remediorum, *orationem* in qua Dominus Sabaoth invocetur, & *unctionem*, de qua Jacobus Apostolus. Ergo ejusmodi unctiò usitata erat V. sæculo, adeoque non erat signum extraordinarium pro primis duntaxat sæculis Ecclesiæ. At verò eadem unctio, ex Apostolo per Cyrillum relato, conferebat etiam remissionem peccatorum. Ergo Sacramentum propriè dictum habebatur Cyrillo Alexandrino.

VICTOR ANTIOCHENUS.

Ad hæc verba Marci VI. *Et ungebant oleo multos*, scribit. *Quæ Apostolus Jacobus in sua Canonica narrat ab hoc non dissentiunt: scribit enim:* INFIRMATUR *&c. Oleum inter alia & laborum molestias mitigat, & lumen fovet, & hilaritatem conciliat... Oleum igitur quod in sacra unctione adhibetur & Dei misericordiam & morbi sanationem & cordis illuminationem denotat. Dici tamen potest orationem hæc omnia efficere; oleum autem eorum omnium quæ fiunt, externum tantùm symbolum esse.* Victor Antioch. attribuit effectum hunc orationi, non oleo, nisi ratione orationis, secundùm modum loquendi Patrum, quo attribuunt effectus Sacramentorum *formis* & non *signo*, nisi ratione formæ. Sic Augustinus loquens de Baptismo ait: *Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo &c.*

GREGORIUS MAGNUS.

In Sacramentario (quod Menardus publici juris fecit ex vetustissimo Codice scripto temporibus Caroli Magni anno DCCLXVIII. per Lansbertum) Feria V. in Cœna Domini ha-

betur. *Tunc offertur Pontifici oleum, & benedicit eum tam ipse quàm omnes Presbyteri, ad ungendum infirmum his verbis: Emitte &c. Ut tua benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis &c.* Et in ordine ad visitandum infirmum. *Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuël David in Regem & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Patris omnipotentis: ut non lateat illic spiritus immundus &c.* Et infrà in quadam oratione. *Et animam refove quam creasti: ut castigationibus emundata, continuò se sentiat tuâ medicinâ salvatam.* Et in alia. *Ut medelam tuam non solùm in corpore, sed etiam in anima sentiat.* Et in alia. *Sana vulnera, ejusque peccata dimitte.* Et in alia. *Et quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occasum, medela tua gratia restituat in salutem. Sana quoque, quæsumus, omnium medicator, ejus febrium, & cunctorum langorum cruciatus, ægritudinemque, & dolorum omnium dissolve tormenta, viscerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum: sana discrimina ulcerum, viscerumque putredines evacua, conscientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immensasque remove passiones, carnis ac sanguinis materiam reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue, sicque illum tua pietas jugiter custodiat, ut nec ad corruptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem nunc, te auxiliante, perducat infirmitas: sed fiat ei hæc olei sacra perunctio morbi & langoris præsentis expulsio, atque peccatorum omnium optata remissio.* Et in alia. *Propitieturque Dominus cunctis iniquitatibus tuis, & sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, & satiet in omnibus desiderium tuum.* Et post omnes istas orationes habetur. *Deinde communicet eum Corpore & Sanguine Domini. Et sic faciant illi per* VII. *dies, si necessitas fuerit, tam de communione, quàm de alio officio: & suscitabit eum Dominus, & si in peccatis fuerit dimittentur ei. Debent etiam Sacerdotes & Ministri sanctæ Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies vesperas & matutinas, cum Hymno:* CHRISTE COELESTIS MEDICINA PATRIS *&c.* Et postea. *Multi enim Sacerdotes infirmos perungunt in* V. *sensus corporis, idest in superciliis oculorum, & in auribus deintus, & in narium summitate, sive exteriùs, & in labiis exteriùs, & in manibus exteriùs, idest de foris. In omnibus ergo his membris crucem faciant*

de oleo ſacrato dicentes : In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti. Hoc enim faciant, ut ſi in v. *ſenſibus mentis & corporis aliqua macula inhæſit, hac medicina Dei ſanetur.* Et poſt hæc habetur oratio *in conſummatione* hujus officii, cujus iſta verba valde ponderanda ſunt. *Ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, qui famulum tuum in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem, conſolationibus tuis attollat, quibus & de præſenti conſequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.*

Ex his omnibus perſpicuum eſt ejuſmodi unctionem tunc temporis fuiſſe collatam etiam infirmis periculosè ægrotantibus, ut conſequerentur cum remiſſione peccatorum ſanitatem corporis ; & vergentibus ad occaſum, hoc eſt, morti proximis, ut ſuorum peccatorum remiſſam plenam atque conſummatam obtinerent.

Opponit Dallæus lib. II. c. XIV. iſtam veterum unctionem ab hodiernæ noſtræ ritu valde alienam eſſe. Nihil enim in illa haberi de *exeuntibus* : nullum poſci *contra tentationes* ultimas *præſidium* : nullam PRÆPARATIONEM AD COELESTE REGNUM INGREDIENDUM : nullas denique *peccatorum reliquias* hoc ſuo oleo deleri rogare. Rem totam ad *miraculoſam Dei virtutem* referri, *ad unam vel morborum vel dæmonum expulſionem* pertinere: adeoque non eſſe Sacramentum propriè dictum.

Reſpondeo I. Orationes iſtius veterum inunctionis eædem ſunt quæ noſtræ, eædem inunctiones, eadem forma. II. De *exeuntibus* ſermo eſt iis verbis. *Et quem languor curvat ad exitum, & virium defectus trahit ad occaſum.* Poſcitur præſidium adverſus tentationes, iſtis. *Ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, qui famulum tuum in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem, conſolationibus tuis attollat, quibus & de præſenti conſequatur auxilia, & æterna remedia comprehendat.* Rogatur præparatio ad cœleſte regnum ingrediendum, cùm dicitur : *Redimatque de interitu vitam tuam, & ſatiet in omnibus deſiderium tuum.* Rogatur quoque ut deleantur peccatorum reliquiæ his verbis. *Ut caſtigationibus emundata, continuò ſe ſentiat tuâ medicinâ ſalvatam.* Et : *Ut medelam tuam non ſolùm in corpore, ſed & in anima ſentiat.* Et : *Viſcerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque & cogitationum.* Et: *Atque peccatorum omnium optata remiſſio* : Et. *Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis.* Quare falſum eſt rem totam in veteri illa inunctione referri ad miraculoſam Dei virtu-

rem, atque ad unam morborum vel dæmonum expulsionem.

AUTHOR VITÆ SANCTI EUGENDI ABBATIS.

Sanctus iste vivebat VI. sæculo. Ejus vitæ librum scripsit quidam illius discipulus. Extat in Surio tom. I. stilo immutato in aliquibus. Extat etiam in Bollando I. tomo Januarii ex MSS. Codicibus S. Mariæ de Bonifontis, & S. Mariæ de Ripatoria secundum phrasim suam primigeniam, in qua verba sequentia reperiuntur. *Cùm enim ultra sexagenariam ætatem ferè sex mensibus prædictus Pater* INÆQUALITATE CORPOREA *laboraret, sic tamen quòd nunquam Canonico usque ad horam defuisset cursui, nec bis in die, fesso corpusculo coactus fuit aliquid impertiri, vocato uno ad se de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam* PERUNGENDI INFIRMOS *opus injunxerat, secretissimè quoque sibi* PECTUSCULUM PETIIT (UT MORIS EST) PERUNGI. Hæc erat dubio procul unctio infirmorum ad exitum vergentium facta per Sacerdotes, quod indicant ista verba (*ut moris est.*) Exprimitur autem duntaxat *pectusculum*, aut ideo fortè quia in illis regionibus tùm temporis solum *pectus* inungebatur, aut potius quia, cæteris partibus inunctis, unctum est pectus tanquam membrum, quo præcipuè Eugendus Abbas infirmabatur.

AUTHOR VITÆ S. TRESANI PRESBYTERI.

Beatus quoque ille vixit eodem sæculo VI. Presbyter fuit in Diœcesi Remensi apud Aveniacum, de quo Flodoardus lib. IV. c. IX. vitam ejus posteritati consignavit coætaneus. Reperitur apud Bolandum tomo II. Februarii, in qua leguntur ista: OLEUM SANCTÆ RECONCILIATIONIS *accepit, & cum cordis intima contritione & humilitate suscepit. Confortans itaque fratres &c. Quæ postquam explevit, Viaticum petiit.* Moribundus erat Tresanus, ex hoc loco, quando inunctus est.

THEODORUS CANTUARIENSIS.

Qui à Vitaliano Romano Pontifice ordinatus est Archie-

piſcopus Cantuarienſis anno Chriſti DCLXVIII. Conſtituit *pænitentiales regulas*, ſeu compoſuit *librum pænitentialem*, cujus meminit Rhegino ſub annum Chr. DCCLXXVI. Extat in Bibliotheca S. Benedicti Cantabrig. Ex eo Gratianus XXVI. q. VII. c. *Ab infirmis*, & Yvo decreti p. XV. c. XXXVI. referunt verba quæ ſequuntur, & quæ maximè ſtabiliunt veritatem Sacramenti unctionis, atque uſum Eccleſiæ temporis iſtius ſuperiorumque ſæculorum demonſtrant. AB INFIRMIS IN PERICULO MORTIS *poſitis pura eſt inquirenda confeſſio peccatorum, non tamen illis imponenda eſt quantitas Pænitentiæ, ſed innoteſcendo: & cum amicorum orationibus & ellemoſynarum ſtudiis pondus Pænitentiæ ſublevandum, ſi fortè migraverint, ne obligati, à communione & conſortio veniæ fiant alieni: à quo periculo ſi divinitus ereptus convaluerit, Pænitentiæ modum ſibi à Sacerdote impoſitum diligenter obſervet, & ideo* SECUNDUM AUTHORITATEM CANONICAM, *ne illis janua pietatis clauſa videatur orationibus & conſolationibus Eccleſiaſticis,* SACRA UNCTIONE OLEI INUNCTI *ſecundùm ſtatuta ſanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.* En uſum unctionis infirmorum reſpectu ægrotorum ad exitum properantium.

SANCTUS ELIGIUS NOVIOMENSIS.

In *Sermone* quem B. ille Præſul habere ſolebat ad *Populum*, referturque vitæ ipſius à B. Audoeno conſcriptæ lib. II. c. XVI. hæc legere eſt. *Quoties aliqua* INFIRMITAS *occurrerit alicui, non quærantur præcantatores, non divini, non ſortilegi non caragi, neque per fontes, aut arbores, aut bivia phylacteria exerceantur: ſed qui ægrotat in ſola miſericordia Dei confidat, & Euchariſtiam cum fide & devotione accipiat,* OLEUMQUE BENEDICTUM AB ECCLESIA FIDELITER PETAT, UNDE CORPUS SUUM UNGATUR, *& ſecundùm Apoſtolum,* ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM ET ALLEVIABIT EUM DOMINUS. *Non ſolùm autem* CORPORIS, *ſed & ANIMÆ recipiet* SANITATEM. Fateor iſta non reperiri apud Surium, reperiuntur tamen in MSS. Codice S. Germani Pratenſis, atque in appendice tomi IX. S. Aug. tract. XX. qui eſt, *De rectitudine Catholicæ converſationis*, & eſt ille ipſe Sermo Eligianus, ut optimè Sirmondus obſervavit in notis ſuis ad

Canonem I. Concilii Antissiodor. *Veterum*, inquit, *exemplarium consensu & Audoeni testimonio.* Tacere verò non possum, quòd in illo MS. Sangermanensi (qui præ se fert annos cccc.) & in appendice ista Augustiniana extat propositio ista: *Nam qui ante nuptias legitimas habere concubinas præsumit, pejus peccat, quàm qui adulterium committit.* Ob quam propositionem Lovanienses censuere tractatum hunc non esse Augustini. Catholicum tamen sensum habet, & est Augustini alio loco mox referendo. Author hic comparat habentem concubinam cum eo qui committit adulterium, & vult quòd etiamsi adulterium peccatum sit gravius fornicatione, tamen qui vivit in concubinatu, gravius peccat, quàm qui committit adulterium: quia concubinatus dicit statum & permanentiam in fornicatione, publicè, adeoque non sine gravi scandalo, quod *scandalum* aggravat maximè fornicationem, efficitque ut fornicatio sic spectata gravior videri possit adulterio *extra omne scandalum.* Expositionem hanc docet nos Augustinus ipse Serm. CCXLIII. de Tempore. Ubi namque eandem propositionem fecit in hæc verba: *Qui ante legitimas nuptias concubinam sibi adhibere præsumit, pejus peccatum facit, quàm qui adulterium committit*: eam sic immediatè pòst exponit in hunc modum: *Quia qui adulterat, adhuc tam grave malum secrete vult agere, in publico autem aut metuit aut erubescit committere: ille verò qui publicè concubinam habere voluerit, fronte impudentissima rem execrabilem toto populo vidente, licenter se putat admittere.* Codex MS. Monasterii Conchensis non habet hanc propositionem, sed neque Surius. Certè insuta videtur. Sed ad rem.

Dallæus c. XII. idem ad hunc locum opponit, quod suprà, ad locum petitum è Serm. CCXV. Augustini. Et nos itaque idem Dallæo reponimus.

Ubi legitur (*unde corpus suum ungatur*) idem Dallæus contendit esse legendum (*ungat*) secutus Valdensem. Levior certè controversia, quàm ut nos moretur. Rectè legitur passivè (*ungatur*,) non (*ungat*) activè. Quia Pontifex jubet ejusmodi inunctionem secundum præceptum Apostoli: quod præceptum Apostoli est, ut infirmus *ungatur per Sacerdotes*, non ut seipsum ungat. Quanquam dici possit legendo cum Valdensi (*ungat*,) sensum esse (*ungi faciat*,) sicut antè observavimus ad locum illum Augustini.

AUTHOR

AUTHOR OPUSCULI DE VITA SANCTÆ HUNNEGUNDIS.

Sancta hæc Virgo vixit sæculo VII. cujus vitæ opusculum habemus apud Surium ab authore sæculi X. conscriptum. Sic legimus c. XIV. *At illa conversa ad eos, qui illic assidebant, Presbyteros*, SACRÆ UNCTIONIS OLEUM *& Eucharistiam sibi petiit ministrari.*

Dallæus lib. II. c. IV. tria opponit I. quòd Surius *stilum* hujus opusc. à se passim *mutatum* confitetur. II. quòd author imprudens *affinxit res sui temporis huic Virgini*, sicut plerisque Scriptoribus accidit. III. quòd nequidem hujusce Scriptoris ævo obtinuerat nostra Extrema unctio. Ille enim Virginem *inungi primùm* facit, tum *Eucharistiam* sumere, contra nostrum usum, qui nostros *priùs* communicatos, *postremò* demum inungimus.

Contrà I. Surius plurimorum ejusmodì operum immutavit stilum, in quorum nullo meminit apertè unctionis infirmorum. Sic mutavit stilum vitæ S. Severi Ravennatensis, in qua tamen ea duntaxat leguntur. *Transitum suum saluberrimâ Sacramentorum cœlestium perceptione communivit.* Mutavit stilum vitæ S. Adelheidis, in qua tamen ea leguntur duntaxat. *Missam sibi celebrandam curavit, Corporisque & Sanguinis Dominici Sacramento se communivit.* Idem Win Waloci, de quo: *Sacrificii vivam immolavit hostiam, Agni Dei vivifico refectus convivio.* Gertrudis, de qua: *Sacratissimi Christi Corporis & Sanguinis Viaticum accepit.* Hermenaldi Abbatis, de quo: *Corporis & Sanguinis Domini Sacramento se se præmuniens.* Ruperti Vangionum, de quo: *Sumpto sanctissimo Corporis & Sanguinis Viatico emisit spiritum.* Eustachii Luxoviens. de quo: *Sumpto Viatico, animam cœlo reddidit.* Margaritæ Reginæ Scotorum, de qua: *Exitum suum Dominici Corporis & Sanguinis Viatico præmunivit.* Joan. Gualberti, de quo: *Perceptis cum multa devotione Sacramentis.* Brigittæ, de qua: *Perceptisque Sacramentis.* Valentini, de quo: *Propriis manibus accepit Corporis & Sanguinis Domini Sacramentum.* Remacli Episcopi, de quo: *Cùm se sanctissimi Corporis & Sanguinis Domini Viatico confirmasset.* Stephani Diensis, de quo: *Petiit Ecclesiastica sibi porrigi Sacramenta.* Audomari Episco-

pi, de quo : *Sanctissima Corporis & Sanguinis Christi accipiens Sacramenta.* Gerardi Abbatis, de quo : *Corporis & Sanguinis Domini perceptione munivit.* Amabilis Presbyteri, de quo: *Dominici epuli Sacramentis se communivit.* Gofridi Ambian. de quo : *Eucharistiam de manu Lysiardi Suessionensis Episcopi accepit.* Laurentii Dublin, de quo: *Confessione præmissa, Viatico suum transitum præmunivit.* Odonis Cluniacensis, de quo: *Cùm Sacro-sanctâ Eucharistiâ priùs se se communiisset.* Adde, quòd toto cœlo distinguantur, *immutare stilum*, & *reponere aliquid quod non est in textu.*

II. Author non affingit res sui temporis Sanctæ Hunnegundi. Quæ hactenus retulimus ostendunt ritum inunctionis ægrotantium esse longè anteriorem sæculo VII. Vel nihil probat Dallæus, vel nulla fides Historicis habenda est, quando loquuntur de rebus anteriorum temporum. Quod si ita sit, nulla fides Eusebio referenti, quæ tribus prioribus Ecclesiæ sæculis acta sunt : Gregorio Turonico nulla, nisi quando descripsit res suæ ætatis. Idem censendum de cæteris.

III. denique, quòd infirmi *ante* vel *post* Eucharistiæ perceptionem ungantur, non mutat naturam inunctionis. IX. sæculo & ante & post unctionem vicibus distinctis Eucharistia concedebatur. Etiamnum in ordine Cisterciensi, retento veteri usu, ungitur infirmus ante communionem Corporis & Sanguinis Christi Domini. Eadem tamen est specie inunctio, quæ in hoc ordine, & quæ in cæteris Ecclesiis celebratur.

BEDA.

Ad hæc verba Marci VI. *Et exeuntes &c. dicit Apostolus Jacobus.* INFIRMATUR *&c. Unde patet* AB IPSIS APOSTOLIS *hunc Sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut Energumeni, vel alii quilibet* ÆGROTI UNGANTUR OLEO PONTIFICALI BENEDICTIONE CONSECRATO.

Et in hæc verba Jacobi : *Infirmatur &c. Hoc*, inquit, *& Apostolos fecisse, &* NUNC ECCLESIÆ CONSUETUDO TENET, UT INFIRMI OLEO CONSECRATO UNGANTUR A PRESBYTERIS, *& oratione comitante sanentur. Nec solùm Presbyteris, sed, ut Innocentius Papa scribit, etiam omnibus Christianis uti licet eodem oleo, in sua aut suorum necessitate ungendo.*

Quod tamen oleum nonnisi ab Episcopis licet confici. Nam qui ait; OLEO IN NOMINE DOMINI : *significat oleum consecratum in nomine Domini : vel certè quia etiam cùm ungunt infirmum, nomen Domini super eum invocare debent.* ETSI IN PECCATIS SIT DIMITTENTUR EI. *Multi propter peccata in anima facta, infirmitate, aut etiam morte plectuntur corporis. Unde Apostolus Corinthiis, qui Corpus Domini percipere indignè soliti erant, ait :* IDEO INTER VOS MULTI ET INFIRMI ET IMBECILLES SUNT, ET DORMIUNT MULTI. *Si ergo infirmi in peccatis sint, & hæc Presbyteris Ecclesiæ confessi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare sategerint, dimittentur eis.*

Adjungo Guilelmum Malmesburiensem lib. I. Histor. c. III. referre, Bedam ipsum sub finem vitæ suæ, secundo videlicet ante mortem die, Sacramentum unctionis extremæ suscepisse. *Feriâ* III. inquit, *ante Ascensionem Domini, invalescente* AD EXTREMUM *incommodo, modicus tumor in pedibus apparuit, haud dubius vicinæ mortis præsagus & index. Tunc accitâ Congregatione,* INUNCTUS EST *& communicatus. Die verò Ascensionis spiritum efflavit.* Idem habet Trithemius : nec juvat quod Dallæus lib. II. c. IV. objicit, Trithemium hominem XV. sæculi, quod suo tempore fieri apud Christianos videbat, id à Beda quoque factitatum sibi persuasisse. Nam I. Historici est quæ gesta sunt posteritati commendare, non suas persuasiones, neque sæculis anterioribus accommodare ritus sui temporis. II. Quod Trithemius, id ante Trithemium Guilelmus Malmesburiensis observaverat. III. Ex Theodoro Cantuariensi & Beda ipso constat, eam fuisse hoc sæculo consuetudinem Ecclesiæ, quæ non ab Innoc. duntaxat, sed ab ipsis quoque Apostolis haberet originem.

Dallæus inprimis opponit nostram inunctionem aliam esse ab ea, de qua Marci VI. juxta sententiam Bellarmini & cæterorum, imò & Patrum Trid. At verò inunctionem illam, de qua Beda, esse eandem cum illa quæ Marci VI. refertur. Quare Bedam commemorare aliam unctionem à nostra.

Respondeo vitiosum esse Syllogismum. Beda existimat Marci VI. & Jacobi V. eandem commemorari unctionem. Bellarminus & nonnulli alii (de Tridentinis enim Patribus sileo, qui quid senserint, suprà diximus) existimant aliam apud Marcum, aliam apud Jacobum referri : sed ita tamen,

ut Jacobi v. agatur de nostra inunctione. Unde detegitur vitium argumentationis Dallæi. Cui reponimus hoc argumentum. Inunctio nostra quæ secundùm Bellarm. est alia ab ea de qua Marci vi. eadem est cum illa de qua Jacobi v. Sed unctio, de qua Jacobi v. est Sacramentum propriè dictum. Ergo & nostra.

Opponit ii. Veteris Ecclesiæ unctionem, ex Beda in c. viii. Lucæ fuisse administratam *Energumenis*. Quare cùm unctio Energumenorum non esset Sacramentum, neque Sacramentum erat unctio veteris Ecclesiæ.

Respondeo, Bedam docere quidem quòd ungebantur & Energumeni: sed non docere quòd eadem esset specie unctio Energumenorum, quæ infirmorum.

Opponit iii. Diserta sunt Bedæ verba, & Apostolos, & veterem secundùm eos Ecclesiam, *quoslibet ægrotos* unxisse. Nos verò non alios ungimus, quàm *quibus mors in labris*. Item unctio, de qua Beda, erat ad *restituendam corporis sanitatem* instituta: nostram verò sentimus institutam esse *ad animæ bonum*. Denique Beda loquitur de unctione, quam *laici* poterant laïcis, imò & *sibimet* ipsis adhibere: qualis unctio non est nostra.

Respondeo i. neque mentem, neque praxim Ecclesiæ eam esse ut solis moribundis unctio nostra ministraretur. ii. unctio nostra est ad corporis & animæ sanitatem atque ad robur instituta: unctio de qua Beda, est ejusdem conditionis. Et quamvis locis relatis non videatur expressus alter effectus à corporeo; alterum tamen esse, eumque spiritualem satis superque significavit Beda ipse, cùm instante morte ungi voluit, & Eucharistiam tanquam ultimum viaticum percipere, cúmque verba Jacobi de nostra hac inunctione est interpretatus. iii. quod subjungitur in objectione de laïco alteri & sibi ipsi Ministro inunctionis, solutum est ad Innocentium primum.

CRODOGANGUS METENSIS.

Qui Referendarius fuit Caroli Martelli, & postea Pipini Regis temporibus Metensem administravit Ecclesiam. Is in *Regula Canonicorum* (quam habemus curâ & studio Domni Lucæ Dacherii Benedictini tom. iii. sui Spicilegii) caput

LXXI. ſub hoc titulo ſcripſit : *Pro* INFIRMIS *orare &* UNGERE *eos præcipitur.* Cujus capitis verba non ſunt alia á verbis *Jacobi* v. Innocentii ad *Decentium*, & Bedæ in illud *Jacobi* citata.

EGBERTUS, EBORACENSIS.

In *Excerptionibus* è dictis & Canonibus SS. Patrum concinnatis circa annum DCCL. Excerpt. XXI. *Ut* SECUNDUM DEFINITIONEM SS. PATRUM, *ſi quis* INFIRMATUR, A SACERDOTE OLEO SANCTIFICATO *cum orationibus diligenter ungatur.*

VETUS PONTIFICALE ANGLICANUM.

Aſſervatur in Bibliotheca Cœnobii Gemeticenſis & notatur in ordine Bibliothecæ MSS. K. XX. *Anglicanum* appello, quia in Litaniis invocantur Sancti Anglicanæ Eccleſiæ Birinus, Edcowaldus, Cudbertus &c. & præterea, quia magnam habet cum Miſſali Anglicano, de quo ſuo loco dicturi ſumus, conformitatem, nonnullas quoque dictiones Anglicas. Recentior ex Sanctis qui advocantur eſt S. Cudbertus Lindisfarnenſis Epiſcopus, cujus dies ſupremus conſignatur ad annum DCLXXXVIII. Character ſæculum VIII. demonſtrat. Ibi in ordine viſitationis infirmorum, continetur unctio ſub eadem ratione qua deſcribitur in Sacramentario Gregorii quod ad res eſſentiales.

VETUS PONTIFICALE ECCLESIÆ TURONENSIS.

Concinit Anglicano mox citato. Morinus lib. de Pœnitentia refert verba quæ ad rem præſentem faciunt, putatque non eſſe minorem octingentis annis.

CAPITULARIA CAROLI MAGNI.

Lib. I. c. CLXII. *Ut Presbyter in Cœna Domini tres ampullas ſecum deferat, unam ad Chriſma, alteram ad oleum ad Catechumenos, tertiam ad* INFIRMOS, *juxta ſententiam Apoſtoli-*

cum: ut quando quis infirmatur, INDUCAT PRESBYTEROS ECCLESIÆ *&c.*

Lib. VI. c. LXXV. SI INFIRMITATE *depressus quis fuerit,* VITAM SINE COMMUNIONE NON FINIAT, *nec* UNCTIONE SACRATI OLEI *careat: & si finem perspiciat, sacro-sancto Corpore Deo anima ejus à Sacerdote precibus commendetur.*

C. LXXVI. *Ut omnes Presbyteri* OLEUM INFIRMORUM *ab Episcopo expetant, secumque habeant, & moneant fideles* INFIRMOS *illud exquirere, ut eodem oleo peruncti, gratiâ Dei sanentur: quia* ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMOS.

Ex quibus locis habetur, ritum unctionis Apostolicæ sub finem VIII. sæculi adhuc perseverasse, eamque non modò reparandæ sanitatis corporeæ causâ usurpatam, sed etiam spiritualis effectûs consequendi, quando homo versatur in extremis. Illud enim ea verba significant: *Vitam sine communione non finiat, nec unctione sacrati olei careat.*

CONCILIUM CABILONENSE II.

Celebratum est anno Dom. DCCCXIII. cujus est iste Canon XLVIII. *Secundùm Beati Jacobi Apostoli* DOCUMENTUM, *cui etiam* DOCUMENTA PATRUM *consentiunt, infirmi oleo quod ab Episcopis benedicitur, à* PRESBYTERIS UNGI *debent. Sic enim ait:* INFIRMATUR *&c. Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ* ANIMÆ, *corporisque medetur languoribus.*

Respondet Dallæus lib. II. c. XV. unctionem istam corpori per se, animæ verò per accidens mederi ac conditionaliter, ut habet Jacobus: nostram per se animæ, per accidens mederi corpori.

Contrà. Eadem est ratio nostræ & istius, quantum ad modum medendi animæ atque corpori: quia nihil aliud agnoscimus in unctione nostra, quàm quod apud Jacobum: & Cabilonenses Patres loquuntur quoque de unctione Jacobæa.

CONCILIUM AQUISGRANENSE II.

Coactum est anno salutis DCCCXXXVI. Can. V. *de vita & doctrina inferiorum ordinum,* ita definit. *Si autem* INFIRMITATE *depressus fuerit, ne confessione atque oratione Sacerdotali,*

nec-non UNCTIONE *sacrificati olei per ejus* (Presbyteri) *negligentiam careat. Denique si finem urgentem perspexerit, commendet animam Christianam Domino Deo suo, more Sacerdotali, cum acceptione sacræ Communionis, corpusque sepulturæ &c.*

Respondet Dallæus lib. II. c. XV. Unctionem hanc dari quidem infirmis, sed non solis moribundis, sicut nostram: dari ante Viaticum, non nostram.

Verùm neque nostra dari debet solis moribundis; neque quòd ut plurimùm modò conferatur post Viaticum, sequitur aliam esse ab ea, de qua Patres Aquisgranenses, ut antè ostendimus.

CONCILIUM MOGUNTINUM.

Anni DCCCXLVII. Ejus verba sunt cap. XXVI. AB INFIRMIS IN MORTIS PERICULO *positis, per Presbyteros pura inquirenda est confessio. Et ideo* SECUNDUM CANONICAM AUTHORITATEM, *ne illis janua pietatis clausa videatur; orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra cum* UNCTIONE *Dei animati*, SECUNDUM STATUTA SS. PATRUM *communione Viatici reficiantur.*

Non habet Dallæus quod opponat huic Concilio, nisi quòd ea unctio adhibetur infirmis, antequam sacrâ Communione reficiantur. Quæ oppositio planè nihil est.

CONCILIUM REGIATICENSE.

Anni DCCCL. cap. VIII. *Illud quoque* SACRAMENTUM, *quod commendat Jacobus Apostolus, dicens:* INFIRMATUR QUIS *&c. solerti prædicatione populis innotescendum est: magnum sanè ac valde appetendum mysterium, per quod si fideliter poscitur, & remittuntur, & consequenter corporalis sanitas restituitur. Sed quia frequenter contingit, ut ægrotus aliquis aut* SACRAMENTI VIM *nesciat, aut minùs periculosam reputans infirmitatem, salutem suam operari dissimulet, aut certè morbi violentiâ obliviscatur, debet eum loci Presbyter congruenter eum ammonere, quatenus ad hanc* SPIRITUALEM CURAM *secundùm propriæ possibilitatis vires, vicinos quoque Presbyteros invitet. Hoc tamen sciendum, quia si is qui infirmatur publicæ Pœnitentiæ mancipatus est, non potest hujus mysterii consequi* MEDICINAM, *nisi*

priùs reconciliatione perceptâ, communionem Corporis & Sanguinis Christi meruerit. Cui enim RELIQUA SACRAMENTA *interdicta sunt,* HOC UNO *nulla ratione uti conceditur. Si autem infirmi qualitas talis est ut per se ipsum visitandum & ungendum dignum existimet Episcopus, ab ipso quamplurimùm competenter fieri valet à quo ipsum Chrisma conficitur, & cui* PECCATA REMITTENDI *officio Privilegii potestas concessa est.*

CONCILIUM WORMATIENSE.

Anni DCCCLXVIII. Canon. ipsius LXXII. est locus ipse *Innocentii*, de quo suprà diximus.

EPARCHIUS ENGOLISMENSIS.

In opusculo de vita Caroli Magni ita refert finem illius: *Oleo autem sancto* INUNCTUS *ab Episcopis, & Viatico sumpto & omnibus suis dispositis, commendans Deo spiritum suum, obiit in pace anno* DCCCXIV. Author est Carolo, cujus vitam descripsit, coætaneus.

Opponit ad hoc Dallæus lib. II. c. III. Eginardum qui ejusdem Imperatoris vitam scripsit, nihil tale tradere, sed hoc unum tradere, quòd communione perceptâ decesserit.

Contrà. Etiamsi Eginardus meminerit solius communionis, non ideo negavit unctum fuisse Imperatorem: imò quia prævia erat inunctio ad Eucharistiæ Viaticum, meminisse censetur unctionis qui meminit communionis. Deinde Capitularibus citatis præcipientibus, ut fideles ungantur, antea quàm ex hac vita discedant; longè probabilius est Carolum Imperatorem unctum fuisse in extremis, quod Eparchius testatur, quàm non inunctum, quod Dallæus vult significari per reticentiam Eginardi. Quando plures Historici synchroni in eandem materiam incumbunt, argui falsi non debet, quod eorum alter non habet, sed prætermissum censetur.

HERALDUS TURONENSIS.

Anno DCCCLVI. capitula edidit, quorum XXI. conceptum est verbis istis. *Ut* IN INFIRMITATE *positi absque dilatione reconcilientur.*

reconcilientur, & Viaticum accipiant, & BENEDICTIONE SACRATI OLEO NON CAREANT.

HALITGARIUS CAMERACENSIS.

Libri III. c. XVI. conflatum est ex loco *Jacobi*, & verbis Epistolæ INNOCENTIANÆ.

HINCMARUS REMENSIS.

In capitulis, *De quibus rebus Magistri & Decani per singulas Ecclesias inquirere & Episcopo renunciare debent*, capitulo x. *Si ipse Presbyter visitet* INFIRMOS, *&* INUNGAT OLEO SANCTO, *& communicet per se.* Extant apud Sirmondum tomo III. Concil. Galliæ.

AGOBARDUS LUGDUNENSIS.

Epistolâ de quorumdam illusionibus signorum, ita scribit. *Quòd verò illi de quibus nobis innotuistis, ad easdem Ecclesias in quibus percutiuntur concurrunt, & quidquid possunt donant, nos credimus omnino, quòd terroribus decepti hoc faciant, perdito consilio meliore. Meliùs enim facerent, si sua pauperibus & hospitibus erogarent, & ad* PRESBYTEROS *Ecclesiæ currerent* UNGENDI OLEO SECUNDUM PRÆCEPTUM EVANGELICUM ET APOSTOLICUM.

ISAAC LINGONENSIS.

In *Canonibus* apud Sirmondum tom. III. Concil. Galliæ. Canon. XXIII. est *capitulum* LXXV. *lib.* VI. *Capitularium Caroli Magni*, de quo suprà.

JONAS AURELIANENSIS.

Lib. III. de Institut. laïcali c. XIV. *Sunt item plerique, qui dum* INFIRMANTUR *aut ipsi, aut eorum parentes & propinqui, non sibi* PRESBYTEROS *Ecclesiæ induci, seque sanctificato* OLEO, SECUNDUM TRADITIONEM APOSTOLICAM ET SANCTÆ

ECCLESIÆ MOREM PERUNGI, *sed magis divinos & divinatrices, imò in illis diabolum consulere expetunt &c.* Et postea. *Quòd verò hujuscemodi divinationes ab omnibus prorsus vitandæ sint, &* UNCTIO SANCTIFICATI OLEI *expetenda, Marcus Evangelista indicat.* ET EXEUNTES, *inquit*, PRÆDICABANT, UT POENITENTIAM AGERENT, ET DÆMONIA MULTA EJICIEBANT, ET UNGEBANT OLEO MULTOS ÆGROTOS, ET SANABANT OMNES. *Unde patet, ut Beda scribit, hunc sanctæ Ecclesiæ morem esse traditum, ut Energumeni vel alii quilibet ægroti ungantur oleo Pontificali benedictione consecrato: docet quoque Jacobus Apostolus dicens:* INFIRMATUR *&c.* Deinde relatis Beda & Innoc. I. subjungit. *Multis namque propter* IGNORANTIAM, *multis propter* INJURIAM *hæc olei* UNCTIO AB USU RECESSIT. *Quibus autem in usu non est, necesse est ut in usum veniat. Unde oportet, ut quando quis infirmatur, non à divinis & divinatricibus, quæ utique habitationes sunt dæmonum, sed ab Ecclesiis, ejusque* SACERDOTIBUS ET UNCTIONE SANCTIFICATI OLEI, *sibi remedium non solùm in corpore, sed etiam in* ANIMA *à Domino Jesu Christo postulet ad futurum.* Audis unctionem in usu non tanquam rem novam, sed ex Apostolica traditione in animæ remedium.

PASCHASIUS RADBERTUS.

Libro de Corpore & Sanguine Domini c. VIII. *Unde, secundùm Apostolum cùm aliquis* INFIRMATUR, *priùs adhibenda est confessio peccati, deinde oratio plurimorum, pòst* SANCTIFICATIO UNCTIONIS: *quia impossibile est per medicinam sanari ulcus artis, quem divina ultio premit.*

Idem, in vita Adelardi Abbatis Corbeïensis. *Interim verò audiens Beatus vir Hildemannus Episcopus (Bellovacensis) sanctum ægrotare Patrem, advenit illico. Interea cùm cœpisset idem sanctus Episcopus à nobis percontari, utrùm* BENEDICTIONIS OLEO, *sicut à Beato* APOSTOLO *sancitum est, deberet* PERUNGI: *interrogavimus eum utrúm-ne vellet? quem proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum, cominùs obsecrabat ut fieret.* Et postea. *Dicebat* NUNC DIMITTIS SERVUM TUUM DOMINE SE-

OUNDUM VERBUM TUUM IN PACE : *quia percepi omnia tui mysterii Sacramenta.* Moribundus erat quando inunctus est Adelardus.

Hildemannum dixi per parenthesim, *Bellovacensem* : quia ita habetur in vita ejusdem S. Adelardi scripta per S. Gerardum ex Monacho Corbeïensi 1° Abbate Sylvæ majoris, edita à Bollando tom. I. ex vetusto Codice Bertiniano. Apud Paschasium Radbertum, tum in editione Surii, tum etiam in editione operum Paschasii per Sirmondum, tum denique apud Bollandum nihil de loco Episcopatûs Hildemanni habetur : hoc tantùm legere est : *Interim verò audiens B. vir Hildemannus Episcopus, quem ipse Monachum nutrierat, & per concessum Regis tanto Bellovaci sublimarat honore, sanctum ægrotare &c.* Consentit Bollandus his verbis appositis in margine. *Visitat eum Hildamannus Episcopus Bellovac.* Sirmondus tomo III. Concil. Galliæ putat Hildemannum, de quo in Conc. Sueff. II. act. v. esse Episcopum Bellovac. In tabulis Episcoporum Bellov. apud Democharem collocatur post Rembertum & ante Erminfridum. Mitto alios.

PRUDENTIUS TRICASSINUS.

Sermone *de vita & morte Sanctæ Mauræ*, apud Nicolaum Camusæum, in promptuario antiquitatum Tricassinæ Diœcesis, refert B. Virginem petiisse inungi. *Satimque*, inquit, *ad me conversa subjunxit : Hoc etiam munus à te peto, Prudenti Pater Episcope, ut in eorum præsentia de manu tua Eucharistiæ &* UNCTIONIS EXTREMÆ *recipiam Sacramenta. Quod & factum est.* Et hanc quidem Beatam morti tùm proximam fuisse Dallæus haud inficiabitur.

Opponit tamen duo lib. II. c. III. Prius est, Codicem ex quo descriptus fuit hic Sermo, plerisque in locis, *ob characteres pene exæsos, ægrè legi potuisse*, teste ipso Camusæo : ut exigua debeat esse fides eorum, quæ ex carioso & corrupto libro finguntur pro animi libidine. Posterius est, quòd abhorrens erat à IX. sæculo Eucharistiæ administratio ante inunctionem : & tamen eo loci Eucharistia ante unctionem administrata indicatur.

Respondeo ad I. tantum abesse, ut quod objicitur elevet

vim argumenti, auget potius : quia teſtimonium perhibet de vetuſtate Codicis MS. Aliud eſt Codicem *ægrè legi in nonnullis ejus locis, propter characteres penè exæſos* ; & aliud eſt illum *ex carie atque corruptione legi non poſſe*, ſed fingi quòd legitur id quod revera in eo non legitur. Camuſæum quicunque novit, hominem novit ſincerum, à figmentis vel impoſturis penitus alienum, antiquitatis amantiſſimum, de re litteraria optimè meritum. Enimverò quid ibi legitur, quod non eſſet in uſu tùm temporis *in Provincia Senonenſi*, quod liquet ex Jona Aurelianenſi ? *in Gallia univerſa*, quod evincunt teſtimonia quæ congeſſi ? per totum Caroli Magni Imperium, quod ipſa ejuſdem capitula Principis edocent ? imò quod non obſervaretur *in ipſa Diœceſi Tricaſſina*, quod Codex Arremarenſis, de quo mox dicturi ſumus, apertè demonſtrat ? Ad II. nominari potuiſſe Euchariſtiam ante unctionem à Sancta Maura, quia rationem habebat *dignitatis*, non *ordinis* quo duo iſta Sacramenta conferebantur. Res non eſt nova vel ſingularis Mauræ eo ſæculo. Uſurpavit modum loquendi ſibi communem cum Heraldo Turonenſi, quando priùs nominavit Euchariſtiam ipſa unctione. Sic enim ille capitulo XXI. *Ut* IN INFIRMITATE *poſiti abſque dilatione reconcilientur & Viaticum accipiant*, ET BENEDICTIONE SACRATI OLEI NON CAREANT. Viatici nomine quid ibi præter Euchariſtiam intelligitur ? Eſt & adhuc alia ratio : quia in eadem infirmitate per id temporis in Eccleſia Tricaſſina Euchariſtia bis porrigebatur, ſemel poſt confeſſionem peccatorum Sacerdoti factam & abſolutionem ab eo conceſſam, & ſemel poſt unctionem, ut conſtat ex Codice Arremarenſi.

CODEX ARREMARENSIS.

Arremarenſem appello, quia dono datus eſt Arremarenſi Cœnobio à *Prudentio Tricaſſino* (ejuſdem conſecratore ex mandato Leonis IV. qui S. Pontifex ad ipſum Prudentium in hunc finem miſit ex Urbe, de reliquiis Apoſtolorum *Petri & Pauli*, in quorum nomine ſanctiſſimæ Trinitati dedicavit,) ſicut colligitur ex verſibus in eo deſcriptis, qui ſic incipiunt.

Augustam trici nutu statuere Monarchi &c.

Non appello Trecensem, quamvis ad eam Ecclesiam pertinuerit, ut Camusæus significavit in suo promptuario, versus prædictos referens, & ex eo dignoscitur, quòd ubi legitur (*Monachorum*) suprà scriptum fuerit charactere recentiori (*Canonicorum.*) In eo Codice duplex ritus conspicitur. Prior sub hoc titulo : *Ordo ad visitandum infirmum.* Et is complectitur ritus duorum Sacramentorum quæ porrigebantur ægrotis, Pœnitentiæ videlicet atque Eucharistiæ. Posterior sub isto titulo : *Reconciliatio pænitentis ad mortem.* Et ille duorum quoque Sacramentorum ritus involuit, unctionis nimirum & Eucharistiæ. Ex quo liquet unctionem eo sæculo moribundis factam. Ritus porro iste clamat eam esse Sacramentum propriè dictum.

AUTHOR VITÆ S. REMBERTI BREMENSIS.

Obiit S. ille Pontifex anno DCCCLXXXVIII. Coætaneus vitam ejus conscripsit. Extat apud Surium tom. I. in quo leguntur quæ sequuntur. VII° *ante obitum die, ministerium sanctæ* UNCTIONIS *cum oleo sancto sibi exhiberi præcepit, unà cum communione Corporis & Sanguinis Domini.* Et ipse quoque non longè erat à morte quando oleo sancto delibutus est.

Respondet Dallæus lib. II. c. III. Testimonium illud vel nullam vel certè perexiguam vim habere: tum quia Surius *stilum mutasse*, hoc est, opus interpolasse ipse profitetur, ut nesciamus sincerum-ne sit, an adulterinum & incrustatum : tum quòd Rembertus mortuus fuerit jam inclinato ac pene præcipiti IX. sæculo : quo tempore fieri potest ut ex singulari aliqua devotione ab isto, præter consuetum hactenus Ecclesiæ usum, expetitum fuerit in supremis oleum.

Sed contrà est I. quòd Bollandus, qui opus istud ex variis MSS. Codicibus primigeniæ phrasi restituit, ita legit. VII°. *ante obitum die, mysterium sanctæ unctionis cum oleo sancto ei fieri præcepit, & unà cum communione Corporis & Sanguinis Domini, usque in diem animæ exeuntis de corpore, hoc salutare remedium omni die percepit.* Unde patet, quòd Surius locum

quidem iſtum quoad ſtilum ſic immutaverat, ut neque interpolaverit, neque de ſuo addiderit illud quod facit ad noſtrum inſtitutum: quin potiùs primigenia phraſis clariùs edocet unctum adhuc fuiſſe Rembertum, cùm mors eſſet in labris. II. fatetur Dallæus Rembertum fuiſſe inunctum jam inclinato ac pene præcipiti IX. ſæculo. Satis iſtud eſt ad noſtrum inſtitutum. An ſecundùm uſum Eccleſiæ, vel ex devotione aliquâ ſingulari, parum intereſt ad id de quo agimus, hoc eſt, ad aſſerendum, quòd inunctio hæc Sacramentum ſit propriè dictum. Sed tamen quòd oleum illud expetiverit in ſupremis juxta & non præter conſuetum hactenus Eccleſiæ uſum, probant quæ præmiſimus. Authores laudati utuntur verbis (*oportet* & *debet:*) docent hunc eſſe *uſum Eccleſiæ:* docent illum *ab Apoſtolica traditione* proficiſci: docent *Apoſtolum Jacobum fuiſſe inſtituti hujus promulgatorem:* adduntque ungendos infirmos *ne ruina fidelibus fiat.* Sed & Pontificales libri habent ritum hunc inunctionis tanquam *ritum Sacramenti* ſuſcipiendi à fidelibus ex *publica devotione* ſaltem, ſi non *ex præcepto.* Et Concilia ſanxerunt, ne quis niſi delibutus oleo migraret è vita. Jonas Aurel. ſuprà. *Quibus autem in uſu non eſt, neceſſe eſt ut in uſum veniat.* Et antè. *Hunc ſanctæ Eccleſiæ morem eſſe traditum.* Et adhuc. *Secundùm traditionem Apoſtolicam & ſanctæ Eccleſiæ morem.* Agobardus Lugdun. *Secundùm præceptum Evangelicum & Apoſtolicum.* Heraldus Turon. *Ut benedictione ſacrati olei non careant.* Concil. Moguntinum. *Secundùm Canonicam authoritatem, ne illis janua pietatis clauſa videatur, & ſecundùm ſtatuta SS. Patrum.* Concil. Aquiſgranenſe. *Ne unctione ſacrificati olei careat.* Concilium Moguntinum. *Secundùm B. Jacobi Apoſtoli documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt.* Iſaac Lingonenſis. *Moneant infirmos fideles illud exquirere.* Concilium Wormatienſe nititur *Jacobi* & *Innocentii* verbis. Halitgarius Cameracenſis laudat *Innocentium*, Paſchaſius, *Apoſtolum.*

AUTHOR LIBRI DE DIVINIS OFFICIIS.

Capite *de infirmis*, poſtquam *Innocentii I.* verba retulit, ſubjungit. *Hac authoritate promulgata, quotieſcunque fidelis* INFIRMATUR, *ingrediantur fratres ad ægrotum cum aqua be-*

medicta, & cum cereis sive incenso ante oleum sanctum, & peragant omnia, sicut in Sacramentorum libro continetur. Ita ergo talium necessitati auxiliandum est, ut nec ratio illis Pœnitentiæ, nec communionis gratia denegetur. Sequens caput est. *De concedendo Viatico iis qui versantur in extremis.* Ex quo equidem liquidum fit unctionem traditam esse ante Viaticum Eucharistiæ, sed non liquet unctionem hanc esse aliam specie ab ea quæ nunc datur post communionem Corporis & Sanguinis Christi Domini.

CANONES ÆLFRICI AD WLFINUM EPISCOPUM.

Episcopus ille fuit *Scirburnensis* in Anglia, qui quam nactus fuerat Cathedram an. DCCCCXL. dimisit an. DCCCCLVIII. Ejus jussu Ælfricus Monachus edidit Canones, quos reperies in volumine Conciliorum Angliæ pag. DLXXII. & sequentibus XXXII. verba sunt ista. *Habebit etiam Presbyter consecratum oleum duplex, hoc infantibus, id* ÆGROTIS *præparatum: &* ÆGROTOS *semper unget* JACENTES. *Quidam verò ægroti hoc nihili pendunt, & in ægritudine sua se non concedunt ungi. Dicam quid de eis docuit* JACOBUS DOMINI APOSTOLUS, *qui credentibus ait:* TRISTATUR *&c.* Et postea. *Hæc locutus est Jacobus de* UNGENDIS ÆGROTIS. *Ægrotus autem priusquam inungatur, confitebitur ab intimo corde, si quid peccati commiserit, pro quo dignam non contulerit satisfactionem, sicut Apostolus hic jam suprà eum monuit: & nemo eum præsumat ungere, nisi exoratus, & post peractam confessionem. Si antea peccator fuit & negligens, faciat jam demum confessionem, pœnitentiam & eleemosynam ante obitum suum, ut inferno non adjudicetur, sed divinâ gaudeat misericordiâ.*

RATHERIUS VERONENSIS EPISCOPUS.

In Sermone *Synodali* (quem Gretserus edidit unà cum vita Gregorii VII. sub nomine *S. Vldarici*, solis nixus conjecturis; esse tamen *Ratherii* docet Codex vetustus *Laudunensis*, ut observatum est ab Henrico Valesio, in eruditis suis annotationibus ad c. XLIV. lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii, è quo MS. Laudun. Dacherius tom. II. Spici-

legii ſub vero nomine authoris prælo ſubjecit) c. xx. apud Gretſerum, & pag. CCLXI. apud Dacherium ita legitur. INFIRMOS *viſitate & eos reconciliate*, ET JUXTA APOSTOLUM OLEO *ſancto ungite, & propriâ manu communicate. Et nullus præſumat tradere communionem laïco aut fœminæ ad deferendum infirmo.*

CODEX ANTIQUUS SICULUS.

Morinus lib. *de Pœnitentia meminit illius.* Creditur charactere *Longobardico* exaratus ante DC. annos & ampliùs. Ritum unctionis infirmorum lege ibidem, & quàm doctrinæ noſtræ faveat, facilè intueberis.

CODEX RATOLDI.

Eſt Bibliothecæ Corbeïenſis, juſſu Ratoldi Abbatis exaratus, qui quidem obiiſſe legitur anno DCCCCLXXXVI. adeoque ad ſæculum decimum jure meritóque revocatur. In eo ritus habetur unctionis infirmorum qui legitur apud Menardum in notis ſuis ad librum Sacram. S. Gregorii, ubi inter cætera obſervanda eſt hæc Antiphona: *Ut non ſolùm per Baptiſmi & conſummationis gratiam, ſed etiam per Pœnitentiæ atque unctionis medicinam ſpes vitæ reparetur humanæ.*

AUTHOR VITÆ SANCTI OSWALDI WIGORNIENSIS PRIMO, AC POSTEA EBORACENSIS.

Reperitur apud Bollandum tom. III. Februarii, ſervatâ phraſi authoris antiqui. In qua de ſancto iſto Præſule, qui vivere deſiit anno DCCCCXCII. hæc legere eſt. *Regreſſus in Oratorium, convocatis fratribus, hortatur eos impendere ſibi miniſterium ſacræ* UNCTIONIS, *cum Viatico Dominici corporis.* Certè quæ unctio ſimul cum Viatico traditur, ea in extremis traditur.

EVERHELMUS IN VITA S. POPPONIS ABBATIS.

Obiit Poppo Abbas Stapulenſis anno MXLVIII. cujus vitam conſcripſit Everhelmus Abbas Altimonnenſis. Extat apud

apud Surium tomo I. stilo aliquot in locis modicè correcto. Extat quoque apud Bollandum restituta ad fidem MSS. Codicum, ubi hæc leguntur. RESOLUTIONIS *suæ* DIEM *imminere prædixit. Deinde ad visitationem* UNCTIONEMQUE *sui præfatum Abbatem admonuit.* Ecce unctionem susceptam à Poppone, postquam præsentit resolutionis suæ diem imminere.

OSBERNUS, IN VITA SANCTI DUNSTANI CANTUARIENSIS.

Refertur apud Surium tomo I. in qua leguntur hæc verba cujusdam Matronæ ad S. Dunstanum tunc temporis adhuc Monachum: *Tantùm precor, ut cras manè ad me venias, & mihi, cum* SACRAMENTO SACRÆ INUNCTIONIS, *Viaticum Dominici corporis tradas.* Ergo sub finem vitæ.

ARNOLDUS IN VITA SANCTI GODEHARDI.

Vixerunt hoc sæculo XI. & Sanctus Godehardus & Arnoldus operis de vita Godehardi conscriptor. *Beatus Pater,* inquit, *jam* DEFICIENTE FUNDITUS CORPORE *ab Abbate cæterisque fratribus,* SACRI OLEI *liquore,* ECCLESIASTICO MORE *perungitur.* Ergo morte instante.

WIBERTUS IN VITA S. LEONIS IX.

Migravit in cœlum Leo IX. anno MLV. Vitam ejus posteritati exaravit Wibertus Archidiaconus author Coætaneus, in cujus lib. II. c. XVI. describuntur extrema illius, his verbis. *Seque intelligens vocari divini respectûs miseratione &c..... Quorum pia consideratio perpendens, non diutiùs eum retinendum carnis ergastulo, decrevit, ut quoniam plures Episcoporum, Abbatum, cæterorumque fidelium confluxerunt turbæ, eis præsentibus inungeretur* SACRI OLEI *liquore. Super quo facto exhilaratus usquequaque, munitusque Corporis & Sanguinis Domini communione &c.* Et hic Pontifex unctus est sub finem vitæ suæ sibi probè cognitum.

CONRADUS IN VITA S. WOLPHELMI ABBATIS BRUWILLERENSIS.

Legitur apud Surium secundùm primigeniam phrasim tom. II. ubi hæc habentur. IMMINENTE JAM EJUS MIGRATIONE, *ubi se sensit repente viribus destitui, infirmitate gravari, evocatum Reverendissimum Abbatem Cœnobii B. Pantaleonis martyris, nomine Herimannum, totius honestatis & religionis virum,* OLEI SACRATI *se fecit liquore perungi.* Observa voces istas (*imminente jam ejus migratione.*)

RUPERTUS IN VITA HEREBERTI COLONIENSIS.

De eo c. XXIX. scribit. *Cùm igitur urgente atque ingravescente molestiâ vexaretur, propere Coloniam mittens, Abbatem Eliam accersivit. Quo veniente, ipse,* SECUNDUM PRÆCEPTUM APOSTOLI, *sacro est unctus* OLEO *in nomine Domini, pariterque Corporis & Sanguinis Dominici Sacramentis munitus, tunc demum carinæ illatus est, ut Coloniam deduceretur.*

HUGO MONACHUS IN VITA S. HUGONIS CLUNIACENSIS.

Refert ille author synchronus, visionem quam habuit Godefridus Ambianensis, de morte S. Hugonis Cluniacensis in hunc modum. *Ea nocte qua sanctus decessit, erat in Italia* GODEFRIDUS *Ambianensis Episcopus, sanctitate præclarus. Is cùm membra sopori dedisset, visus sibi est esse Cluniaci, rogarique se à fratribus, ut Hugonem Abbatem* OLEO SANCTO *innungeret, & Episcopali redimitus infulâ, Missas celebrans, Dominici Corporis & Sanguinis ei Viaticum ministraret. Expendens verò secum visionem Episcopus eum obiisse præsensit.* Extat apud Surium tom. II. nonnihil dictione correctâ. Visio ista testimonium perhibet de praxi Ecclesiæ ungendi morti proximos.

B. LANFRANCUS CANTUARIENSIS.

In Decretis, *pro Ordine S. Benedicti* c. XXIII. *Si* INFIR-

MUS *magis* AD MORTEM, *quàm ad salutem tendere videatur, & se petat* INUNGI *&c..... Interim dicantur alia collectæ usque ad* UNCTIONEM. *Facta* UNCTIONE, *lavet Sacerdos manus..... Quo facto vadat Sacerdos..... Quibus revertentibus, flexis genibus adorent omnes Corpus Domini, quod à Sacerdote affertur. Quo allato, abluto priùs ore ejus, communicetur infirmus, nisi forte ipsa die communicatus sit.* Qualis, quæso, infirmus, qui magis ad mortem quàm ad salutem tendit?

AUTHOR ELUCIDARII APUD B. ANSELMUM CANTUARIENSEM.

In Elucidario. D. *Quid valet unctio olei infirmis?* M. *Peccata confessa & non iterata vel quotidiana per hanc unctionem relaxantur, ut dicitur:* QUI IN PECCATIS EST, DIMITTENTUR EI.

PETRUS DAMIANI.

Sermone in Dedicatione Ecclesiæ. *Tertium* (Sacramentum) *est*, inquit, UNCTIO INFIRMORUM. *Infirmantibus nobis, & usque ad mortem mortali peccatorum febre languentibus spiritus pietatis assistit, & recordatus est quoniam pulvis sumus. Ait enim D. Jacobus:* INFIRMATUR: *& solemnis unctio, liquor excellens, quo sanitas redditur,* PECCATUM DIMITTITUR, *immittitur timor Domini. Videsne, qualiter* SACERDOTALIS MANUS *infirmantis corpus alleviet, & illecebrosam sensuum motionem sacratissimâ mitiget unctione. Unde & sancti Patres hanc unctionem Sacramentum esse sanxerunt.*

AUTHOR VITÆ WILELMI ABBATIS HIRSAUGIENSIS.

Hic obiit anno MXCI. ille verò synchronus extrema ejus descripsit verbis sequentibus. *Tertio die jussit portari se in Oratorium B. Mariæ, ibique conventu fratrum pro eo Missam celebrante,* UNCTIONE INFIRMORUM, *& perceptione Corporis & Sanguinis Domini exitum suum muniente, ab omnibus indulgentiam petens, & ipse omnibus indulgentiam faciens, ac singulos deosculans & amplexans, paterno affectu, præsentibus*

ultimum vale fecit. Unctio hæc adhibita est in extremis versanti Wilelmo.

BERNARDUS GUIDO IN VITA SANCTI FULCRANNI EPISCOPI LODEVENSIS.

Obiit *Fulcrannus* anno MVI. ejus vitam, quæ reperitur apud Bollandum tom. II. Februarii, scripsit Bernardus Guido XIV. sæculo Fulcranni in eadem Sede Lodevensi successor, cujus verba ista sunt. *His itaque gestis, cùm* FATISCENTIBUS TOTO CORPORE MEMBRIS, HORA JAM TRANSITUS EJUS INSTARET, *B. Pontifex Fulcrannus, recepto ordine* EXTREMÆ-UNCTIONIS, *& facta humili confessione, coram Sacerdotibus præsentibus, & Reverendissimo Magfredo Rutennensi Episcopo, exitum suum perceptione Corporis Domini nostri Jesu Christi munivit.*

STATUTA CONGREGATIONIS CLUNIACENSIS SUB HUGONE.

In notis Dacherii ad Guibertum pag. DCXIV. reperies legi sequentia c. XXVI. *Frater qui se* INFIRMITATE GRAVESCENTE SENSERIT IN PROXIMO AB HOC SÆCULO MIGRATURUM, *de omni conscientia sua Dom. Abbati vel Priori confiteatur. Et si in capitulum vult ire, ostendit Priori vel per se vel per infirmarium; & postea adducunt eum duo fratres inter manus, si est adeo infirmus, & petit veniam &c. Postea reducitur, reductus ut* OLEO INFIRMORUM UNGATUR : *& tunc collocatur in lecto tali, idest ad terram demisso, ubi fratres possint undique circumstare. Tunc Prior qui tenet Ordinem, innotescit Armario &c. Interim Sacerdos hoc modo facit unctionem. Pollicem oleo illinit, & cum pollice signum crucis imprimit super utrumque oculum &c. Deinde sequitur ritus communicandi infirmum inunctum.* Observa voces istas (*qui se infirmitate gravescente senserit in proximo ab hoc sæculo migraturum.*) Non ergo delibuti erant oleo ut convalescerent, sed potius ut effectum spiritualem consequerentur.

CODEX MONASTICUS SIMUL ET ECCLESIASTICUS GEMETICENSIS.

Notatur littera K. XXIII. ſcriptus eſt ſæculo XI. ante annum M. XXXIV. quod conſtat tum ex charactere, tum ex forma Profeſſionis Monaſticæ, quæ ibidem habetur, expreſſa ſub Abbate *Theoderico* præcipuo Gemeticenſis Monaſterii Reſtauratore, cujus obitus incidit in præfatum annum M. XXXIV. In eo legitur: *Ordo viſitationis infirmorum, & unctionis extremæ forma*, ſub hæc verba: *Per iſtam* UNCTIONEM, *& ſuam piiſsimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccaſti per viſum: Reſpondeant omnes: Amen. Sic per auditum, per guſtum, odoratum, tactum, inceſſum, ardorem libidinis.*

CODEX SAGIENSIS, VULGO TILLIANUS.

Fragmentum ejus extat apud Menardum in notis ſuis ad lib. Sacram. Gregorii. Teſtatur in præfatione Joannem *Tillium* ejus ſibi feciſſe copiam. Conjicit, & meritò fuiſſe *Sagienſis* Eccleſiæ. Scriptus eſt ſub Henrico I. Rege Francorum, adeoque ad ſæculum XI. pertinere dignoſcitur. In *ordine unctionis infirmorum*, quæ habentur docent quis fuerit uſus Eccleſiæ, & quòd fides illius ævi de ea non ſit alia à noſtra.

RITUALE REMIGIO-REMENSE.

Menardus obſervat loco cit. illud exaratum fuiſſe circa annum M. Refertque ex illo in eiſdem notis ſuis *ordinem viſitandi atque ungendi infirmum.* Legantur: dubium poſt hac non erit quin ritus iſte fuerit idem cum noſtro & Sacramentum propriè dictum.

MISSALE ANGLICANUM.

Extat in Bibliotheca Gemeticenſis Monaſterii notatum litterâ K. X. Datumque legitur iſti Cœnobio à *Roberto* primùm Abbate tum *Londinenſi* Præſule, demumque Archipræſule *Cantuarienſi.* Vixit eodem ſæculo XI. Rubricæ *An-*

glicano idiomate exprimuntur. Et hoc eandem fidem facit, quam cæteri Codices MSS. hactenus indicati.

IVO CARNOTENSIS.

Ab illo Pontifice initium facio, testes XII. sæculi adducturus in medium. Epistolâ XX. ad Gofridum Vindoc. & apud eundem lib. II. Epistolarum. UNCTIONEM INFIRMORUM, inquit, *non æstimo repetendam: quia, sicut ipse asseruisti,* SECUNDUM INSTITUTUM APOSTOLICÆ SEDIS, GENUS EST SACRAMENTI: *qui autem Sacramenta Christi & Ecclesiæ repetit, injuriam ipsis Sacramentis ingerit. Unctio enim infirmorum* PUBLICÆ POENITENTIÆ EST SACRAMENTUM, *quam non esse repetendam sicut nec Baptismum, testatur Augustinus, testatur Ambrosius.* Et iterum, *de non repetenda unctione*, Radulfo Abbati Sancti Fusciani: *Unctionem verò quam semel accepisti, non æstimo repetendam &c.* Sed quia rogatus à Gofrido id scripsit, eundem Gofridum lubet adducere.

GOFRIDUS VINDOCINENSIS.

Censuit Yvonem Carnotensem per Epistolam XIX. lib. II. de consuetudine quam Benedictini habebant iterandæ unctionis infirmorum. *In hoc*, inquit, *ut nobis videtur, non mediocriter errant, quòd* UNCTIONEM INFIRMORUM, *cùm à* SANCTA ET APOSTOLICA SEDE SACRAMENTUM VOCETUR, *& cùm nullum Sacramentum iterari debeat, iterandum putant..... Unctionis utique Sacramentum B. Innocentius Papa ideo magnum dicit, quòd pœnitentibus, quibus cætera Sacramenta negantur, nulla ratione putatur posse concedi.*

Idem opusculo suo IX. sic loquitur. INUNCTIO INFIRMORUM MAGNUM SACRAMENTUM EST: *& ideo nullâ est ratione iterandum. Sicut enim cætera Sacramenta per Apostolos Christiana Religio suscepisse creditur: ita & istud suscepisse* AB APOSTOLICA TRADITIONE *minimè dubitatur. Omne autem Sacramentum à Spiritu sancto, per Doctores sanctos, in quibus ipse loquitur, iterari prohibetur: idcirco videlicet, ne medicina sancta vilesceret, & minùs utilis esset: quæ tanto magis salubris est, quanto minùs contemptibilis invenitur.*

PETRUS CLUNIACENSIS.

Epiſtolâ I. lib. VI. ſcribit. *Secundò quæſiviſti cur* UNCTIO INFIRMORUM *ſola, & hoc apud Cluniacum ſolummodo reiteretur?* Et poſtea. *Arbitror, quòd qui* UNCTIONEM INFIRMORUM *iterandam non eſſe aut cogitat aut dicit, cauſam hanc ſibi objicit. Cùm unctio Baptiſmatis, cùm unctio Confirmationis, cùm unctio Sacerdotalis, cùm unctio Pontificalis, cùm unctio Eccleſiarum, cùm unctio Eccleſiaſticorum vaſorum ſimplex ſit; cùm nullo deinceps tempore iteretur: qua ratione ſola* INFIRMORUM UNCTIO *non ſolùm apud quoſdam geminatur; ſed inſuper quibuſdam infirmis frequenter per diverſa tempora in morbum recidentibus, nullo ſervato numero datur? Qui hoc cogitat, vel qui hoc objicit, attendat non ſolùm unctionum illarum ſimplicitatem; ſed quod majus eſt, ipſius ſimplicitatis ſcrutetur & intelligat rationem. Ut quid enim jam baptizatus inungitur, niſi ut jam collata non conferenda baptizato per Spiritum Dei peccatorum remiſſio demonſtretur? At de infirmis alia lex, alia de illorum frequenti unctione ratio demonſtratur. Iterari enim, prout mihi videtur, neceſſe eſt infirmorum unctionem: quia iterari neceſſarium eſt peccatorum, propter quam illa fit unctio, remiſſionem. Iſtud indicant & ipſa verba hoc præcipientis Apoſtoli:* INFIRMATUR *&c. Cùm igitur certum ſit cauſam unctionis hanc eſſe, ut oratio fidei ſalvet infirmum, & allevet eum Dominus, ut ſi in peccatis ſit dimittantur ei; cur non iterabitur unctio, præcedente unctionis cauſâ?* Et poſtea. *Non enim ait:* INFIRMATUR QUIS IN VOBIS SEMEL?.... *Sed nullâ mentione unius, binæ, vel ternæ unctionis factâ, jubet nullo præfixo numero, induci ad ægrum Presbyteros Eccleſiæ..... Qui ergo prioribus morbis ac peccatis medicinalem unctionem providit, nunquid eam ſequentibus morbis ac peccatis negavit? Nam & hæc ſola in toto novi Teſtamenti Canone invenitur, non more aliarum unctionum à veteri Teſtamento mutuata; ſed jam in tempore gratiæ, Apoſtolicâ ſuaſione & imperio inſtituta.*

Et Epiſt. XVI. lib. IV. ad Germanos ſuos, quæ eſt *Epitaphium Matris* ſuæ Raingardæ. *Colloquitur*, inquit, *ſororibus, confitetur peccata, petit abſolvi ab omnibus.* Et poſtea: *Inde ſuâ poſtulatione* OLEO SACRO INUNCTA, *Chriſti corpore ad æternitatem refecta, humilitate munita, confeſſione ſecura.* Et infrà: *Tandem infirmitate ſimul & oratione fatigata, corporis viri-*

bus sensim deficientibus, tertiâ jam die ex quo morbo correpta fuerat, ad extrema pervenit.

HUGO A SANCTO VICTORE.

Sententiarum tractatu VI. C. XV. *Est & aliud Sacramentum, scilicet* UNCTIO INFIRMORUM, *quæ fit* OLEO CONSECRATO PER EPISCOPUM. *Hoc* SACRAMENTUM *institutum fuit ab* APOSTOLIS. *Unde in Epistola Jacobi:* SI QUIS INFIRMATUR *&c. Sicut in aliis Sacramentis, ita & in isto, aliud est* SACRAMENTUM, *aliud res Sacramenti. Sacramentum* IPSA INUNCTIO; *res Sacramenti*, REMISSIO QUÆ EX INTERIORI UNCTIONE CONFERTUR. *Est enim in eadem Epistola Canonica:* ET SI IN PECCATIS FUERIT REMITTENTUR EI. *Et si ex contemptu hoc* SACRAMENTUM *prætermittitur, verè periculosum est & damnabile. Hoc* SACRAMENTUM *in quibusdam Ecclesiis solet reiterari: cùm dicat Augustinus Sacramentum non esse iterandum, & nulli Sacramento faciendam esse injuriam. Sed contra illud potest opponi de Sacramento altaris. Sæpe enim iteratur in eodem. Dicunt quidam, illud dictum esse de Sacramento Baptismi & de Sacramento ordinationis, quæ nunquam debent iterari: sed de aliis (ut dicunt) non est intelligendum. Sed melius est, ut de omnibus generaliter dicatur. Cùm enim dicitur: Sacramentum non esse iterandum: non est intelligendum de Sacramento secundùm partem sui, sed secundùm se totum: v. g. cùm baptizatur aliquis benedicitur aqua per invocationem Trinitatis: si in eadem aqua iterum baptizatur alius, eadem benedictio aquæ, scilicet invocatio Trinitatis, qua sanctificatur aqua, iteratur: nec tamen dicitur iterari Baptismus: quia pro parte iterata non iteratur ipsum Sacramentum. Sed si illa sanctificatio aquæ iteraretur, & in eadem persona hoc fieret, tunc injuria fieret Sacramento. Ita & de Sacramento altaris vel unctionis, licèt iteratio fiat, quantum ad personam quæ iterum suscipit Sacramentum, tamen quia non iterum benedicitur eadem hostia vel idem oleum, non iteratur Sacramentum. Si enim pro parte iterata dicantur hæc Sacramenta iterari; eadem ratione & Baptismus iteratur: cùm ibi (ut diximus) partis fiat iteratio, scilicet illius sanctificationis quam suscipit aqua per invocationem Trinitatis.* Et lib. II. de Sacram. p. XV. c. II. & III. corrigit hanc suam sententiam his verbis. *Ei, qui* UNCTIONIS SACRAMENTUM *accepit, si necesse fue-*

rit,

rit, & causa seu devotio expostulet ut illud iterum percipiat, rationaliter non contradicitur. Et antea. *Si morbus non potest cohiberi, quare debet medicina prohiberi? Si unctio iterari non potest, nec oratio iterari potest.* Et adhuc. *Quis dicat hominem aquâ aspersionis semel lustratum ampliùs aspergi non posse: &, quod majus est, Sacramento Corporis & Sanguinis Christi semel percepto, ampliùs illud suscipere non debere? Sed, si fortè ad hoc respondendum existimes, quia corpus semel consecratum denuo in eodem Sacremento non benedicitur, neque aspersionis benedictio in eadem aqua reiteratur: vide, quòd similiter idem oleum post unam consecrationem, aliâ rursum benedictione aut consecratione non sanctificatur &c.*

PETRUS DE HONESTIS, IN REGULA CLERICORUM.

Obiit ille anno M. CXIX. Regulam Clericis scripsit, cujus lib. II. c. XXII. hæc verba leguntur. *Quòd si languor magis magisque increverit, per Presbyteros aquâ benedictâ aspersi,* OLEO SANCTO *perungantur, & Christi Corporis & Sanguinis perceptione muniantur.*

S. BERNARDUS IN VITA S. MALACHIÆ EPISCOPI HYBERNIÆ.

Capite XXXI. scribit de eo sanctissimo Antistite. *Jubet se* SACRO OLEO *ungi. Exeunte Conventu fratrum, ut solemniter fieret, non sustinuit ut ad se adscenderent: ipse descendit ad eos. Jacebat si quidem in solario in domo superiori. Ungitur, & sumpto Viatico, fratrum se orationibus & fratres commendans Deo, ad lectum revertitur.*

Et cap. XXIV. retulerat de fœmina, quæ cùm mortua fuisset absque Sacramento Extremæ unctionis, resuscitata est precibus ejusdem Beati Pontificis, & *inuncta.* Verba narrationis quæ ad rem faciunt, ista sunt. *Cùm* INFIRMARETUR AD MORTEM, *rogatus Malachias ut descenderet priusquam moreretur, infirmam uncturus oleo, descendit & intravit ad eam.* Et postea. *Sibi imputans,* (quia scilicet eam inungere distulerat,) *quòd fraudata gratiâ* SACRAMENTI *obierit.* Et infrà, postquam retulit resurrectionem istius fœminæ, subjungit:

Et UNXIT *eam nihilominus, sciens* IN HOC SACRAMENTO REMITTI PECCATA, *& quòd oratio fidei salvet infirmum.*

GUILELMUS MALMESBURIENSIS.

Quale testimonium perhibuerit pro nostra sententia, vidimus in Beda.

HELMOLDUS.

Chronici Sclavorum lib. I. c. XLIV. de Ludolfo Presbytero refert in hunc modum. *Qui venerabilis Sacerdos, ubi ægritudine* MORTALI *decubuit, misit ad accersendos Sacerdotes & Religiosos quosque. Impetrato* SACRÆ UNCTIONIS OFFICIO.

Et c. XCV. de Geroldo Lubic. Episcopo. *Cùm fratres* CONSUMMATIONIS FINEM *imminere viderent, impenderunt ei* SACRÆ UNCTIONIS OFFICIUM, *sicque* SACRAMENTIS *salutaribus communitus, illucescente die, cum tenebris noctis corruptibilem carnis sarcinam deposuit.*

AUTHOR VITARUM ABBATUM BECCENSIUM.

In vita Bosonis IV. Abbatis, qui vivebat hoc XII. sæculo: *Cúmque jam* MORTEM IMMINERE *cerneret, rogavit se visitari à fratribus, & debita morientibus circa se compleri. Adsunt fratres, & absolutus atque* INUNCTUS *est, & cætera circa illum, juxta Christianum morem diligenter peracta sunt.* Reperiuntur ad calcem operum Lanfranci, editorum curâ & studio Domni Lucæ d'Acheri.

AUTHOR VITÆ GODEFRIDI CAPPENBERG.

Coætaneus est. Opus extat apud Bollandum tom. I. Januarii. *Cùm sacri*, inquit, OLEI *liquore fuisset* INUNCTUS, *pacis osculum dedit fratribus.*

AUTHOR VITÆ THEOTONII PRESBYTERI.

Et ipse synchronus, apud Bollandum eundem tomo III. Februarii. *Cognoscens* OBITUM, inquit, SIBI CERTISSIME

VENIRE, *Sacramentum* UNCTIONIS *accepit; & quod pene per dies singulos faciebat, Sacramentis Dominici Corporis & Sanguinis fiducialiter se munivit.*

AUTHOR VITÆ JOANNIS EPISCOPI MORINORUM.

Ejusdem ætatis cujus ille vitam scribebat, apud Bollandum tomo II. Januarii. PRESBYTEROS *Ecclesiæ ut secundùm* AUTHORITATEM APOSTOLICAM, *sancto ungeretur* OLEO, *fideique super eum funderetur oratio, induci præcepit.*

AUTHOR VITÆ ROBERTI DE ARBRUCELLIS.

Qui putatur esse Frater *Andreas* ejus discipulus, apud Bollandum tomo III. Februarii, ejus extrema sic refert. *Prætereunte autem* II. *feriâ, quia non dubitabat vir bonus* EXITUM SUUM PROPINQUUM ESSE, *voluit omnia sanctæ Ecclesiæ* SACRAMENTA, *ut pote Christianissimus in se suscipere. Petiit ergo devotè* III. *feriâ* UT BENEDICTO OLEO UNGERETUR, *credens profectò* APOSTOLI JACOBI *verbis, quòd scilicet, per hujus operationem mysterii* PECCATA HOMINIBUS DIMITTERENTUR. *Unctus autem salutifero* UNGUENTO, *iterum munivit se se, non sine interno gemitu, Corpore Dominico.* Observa Baldricum alterum vitæ ejusdem viri scriptorem silentio præteriisse hanc unctionem.

AUTHOR VITÆ GILBERTI SEMPRINGHAMENSIS.

Apud Bollandum tomo I. Februarii ejusdem sæculi XII. *Corporis*, inquit, *Dominici, &* EXTREMÆ UNCTIONIS *munitus est Sacramentis.*

PETRUS LOMBARDUS.

Libro IV. Sententiarum fidem nostram docet, etiamsi doceat Sacramentum hoc nostrum institutum esse ab Apostolis: cujus loquendi rationem satis superque aperuimus. Quærit *utrùm iterari possit?* Concludit affirmativè, allatis ex utraque

parte rationibus, aitque: *In omni pene Ecclesia sæpe repetitur.*

Immensus ac ferè superfluus labor esset ad authores, usumve sequentium sæculorum descendere: quæ res adeo aperta est, ut ne quidem Hæretici nostri revocare eam in dubium ausi unquam fuerint. Quare veniendum ad solutionem eorum quæ nobis opponunt.

ARTICULUS QUARTUS.

Respondetur objectionibus adversariorum.

OBJICIT I. Dallæus lib. I. c. II. Nostrorum Theologorum, de unctione infirmorum *variæ opiniones atque dissidia* persuadere videntur eam non esse Sacramentum novæ Legis propriè dictum. I. namque disputatur *de Authore*, nonnullis à Christo immediatè, aliis, ut Hugone, Lombardo atque Bonaventura, ab Apostolis institutum fuisse propugnantibus. II. *de Materia.* Quidam enim volunt ad essentiam illius pertinere, ut sit ab Episcopo consecratum oleum: alii sufficere, ut à Presbytero: nonnulli denique, non requiri consecrationem, nisi ex præcepto & disciplina Ecclesiæ. III. *de Forma.* Nam quibusdam necessaria est deprecativa, aliis sufficit absoluta seu enunciativa. IV. neque conveniunt *de partibus inungendis*, aliis affirmantibus V^e^ sensus esse inungendos de necessitate Sacramenti, cæteris negantibus. V. & *de iis qui sunt inungendi* rixantur; an soli quorum vita desperata est, an alii etiam quilibet ægrotantes periculosè. VI. *de Ministro*: nam Valdensis contra communem sententiam cæterorum, existimat, cùm deest Sacerdos, laïco permitti, ut hoc Sacramentum infirmo in articulo mortis administret. VII. *de fine & effectis illius*; an peccata mortalia, an venialia, an reatus pœnæ temporalis, an pravi habitus ex peccatis relicti? Item & modus, quo restitutio sanitatis inter ejusdem Sacramenti effectus adnumerari debet, vocatur in controversiam.

Respondeo constare per Scripturas atque per Traditionem, quòd unctio infirmorum est *Sacramentum* novæ Legis: quia ex Scripturis habemus, & ex Traditione compertum est, eam esse signum sensibile perpetuum gratiæ sanctificantis collati-

vum. Constat *de Materia*, quòd sit oleum: *Ungentes eum oleo.* Constat *de Forma*, quòd in ea nomen Domini invocari debet: *In nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum.* Constat *de subjecto*: *Infirmatur quis in vobis? Ungentes eum oleo.* Constat *de Ministro. Inducat Presbyteros Ecclesiæ. Effectus* denique ac *finis* exprimuntur per has voces: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Cætera relicta sunt hominum disputationi: sicut & pleraque haud absimilia, quæ spectant ad Baptismum atque ad Eucharistiam, de quibus & nos in nostris Scholis, & Hæretici disputant in suis. De authore quid sit sentiendum intelligitur ex dictis. Disputant Theologi utrùm Extrema-unctio instituta fuerit per Christum mediatè vel immediatè? Quibusdam placet Christum non instituisse illam per se, sed Apostolis instituendam dimisisse. Aliis quòd instituit per se, non per se promulgavit, sed Apostolis promulgandam reservavit. Res ista est in opinione posita. Rectè igitur & appositè ad præsens institutum illud Aug. lib. I. contra Julianum c. VI. *Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salvâ fidei compage non consonant, & alius alio de una re meliùs aliquid dicit & veriùs. Hoc autem, de quo nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta.*

Objicit II. Dallæus lib. II. c. I. Nullo in usu fuit apud veteres infirmorum unctio. Nam nulla ejus mentio occurrit apud authores II. & III. sæculi: & ne IV. quidem Patres eam memoraverunt, dum accuratè instituta, ritus & Sacramenta Ecclesiæ explicant, ut Epiphanius, Dionysius, Clemens Romanus, Augustinus. Epiphanius *in fidei Catholicæ expositione*, in qua & dogmata & ritus, disciplinasque Ecclesiæ sui temporis percenset, ne jejunia quidem quæ tùm certis temporibus celebrabantur omittens, de hoc Sacramento verbum nullum facit. Dionysius in *Eccles. Hierarchia*, quem librum totum consumpsit in describendis & explicandis iis mysteriis, quæ sui temporis sive Episcopi sive Presbyteri Christianis conferre solebant, de Sacramento exeuntium ne unicum quidem verbum habet. Clementis Romani, qui dicitur liber *Constitutionum Apostolicarum*, totam Christianismi formam, qualis suo tempore erat, complectitur, & tamen silet omnino de ea unctione. Augustinus denique lib. de *Hæresi-*

bus c. XVI. quo Heracleonitarum hæresim refert, observat istos, suos morientes novo modo quasi redimere, ideſt per oleum, balsamum, & aquam, & invocationes, quas Hebraïcis verbis dicunt super capita eorum. Quam superstitiosam unctionem S. Doctor debuisset ab Ecclesiastica nostra, si ei cognita fuisset, discriminare, & observare istos, oleo non simpliciter, ut Ecclesiam; sed balsamo quoque & aquâ perfundere, precesque non Latinâ, sed Hebraïcâ linguâ conceptas dicere. Omnino postulabat hic locus, ut aliquam hujusmodi Extremæ-unctionis, si ea Ecclesiastica fuisset, mentionem faceret Augustinus.

Respondeo, Origenem vixisse III. sæculo, & mentionem fecisse unctionis nostræ infirmorum, ut ostendimus. Eusebius Papa & Chrysostomus vixere IV. sæculo, & ejusdem quoque meminerunt. Epiphanius in expositione fidei, agit quidem de fide & de sanctionibus Ecclesiasticis: sed quia ibi nihil eorum commemorat quæ ad infirmos pertinent, nil mirum, si nec ipsam commemoret unctionem infirmorum. Idem dico de authoribus libri *de Eccles. Hierarchia*, necnon librorum VIII. *Constitutionum Apostolicarum*, in quibus nullam quoque mentionem fieri liquet rituum infirmorum, nullam Viatici Eucharistiæ, precum nullam, benedictionum quoque nullam. Ut ergo non est consequens tribus illis locis veterem Ecclesiam nescivisse Viaticum Eucharistiæ concedendum esse morituris; ita non est consequens ex iisdem libris, quòd unctio infirmorum ignota fuerit veteri Ecclesiæ. S. Thomas in Supplem. q. XXIX. art. I. ad III. *Dionysius non facit aliquam mentionem de Extrema-unctione, sicut nec de Pænitentia, nec de Matrimonio: quia ipse non intendit determinare de Sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere potest Eccles. Hierarchiæ ordinata dispositio, quantum ad Ministros & actiones Ministrorum & recipientes. Tamen cùm per Extremam-unctionem aliquis consequatur gratiam & remissionem peccatorum, non est dubium, quòd Extrema-unctio habeat vim illuminativam & purgativam sicut Baptismus, quamvis non ita plenam.* Augustinus, fateor, ubi de ridicula superstitione Heracleonitarum erga morientes, conticuit de nostra inunctione, de qua locis aliis locutus est: sed probè norunt omnes S. Patrem totum esse libro illo *de Hæresibus* in referendis pravis Hæreticorum dogmatibus, non in refellendis neque in discri-

minandis ritibus eorum à ritibus Ecclesiæ.

Objicit III. Dallæus lib. II. c. II. Veteres ſex priorum ſæculorum Scriptores, dum piorum mortes deſcribunt accuratè, nullam Extremæ-unctionis mentionem faciunt, quæ tamen omiſſa non eſſet, ſi ea tùm aliquo in uſu fuiſſet. Euſebius vitam Conſtantini Magni IV. libris complexus eſt, neque unctionis noſtræ meminit. In eodem opere Matris Conſtantini Helenæ extrema deſcribit, & de eadem unctione conticeſcit. Gregorius Nazianz. Orat. XI. quæ funebris eſt, & habita in honorem Sororis ſuæ Gorgoniæ, in qua Oratione ſuprema ejus operoſiſſimè exſequitur, de Extrema unctione non magis loquitur, quàm ſi Lutheranæ mulieris mortem deſcriberet. Idem quoque obſervandum venit in ejuſdem Orationibus, de Gregorio Patre ſuo ac Baſilio, quorum dum mortes narrat, nullum de Extrema-unctione ab iſtis vel expetita vel ſuſcepta verbum facit. Nyſſenus quoque Gregorii Neocæſarienſis, Ephremi, Macrinæ Sororis obitus refert, nec quidquam habet de hoc Sacramento. Ambroſius in Orationibus de obitu fratris ſui Satyri, & Theodoſii Auguſti, neutrum refert ſacro in ſupremis oleo unctum fuiſſe. Sulpitius in Martini, Simeon Metaphraſtes in Chryſoſtomi, Paulinus in Ambroſii vitis, nihil planè de Extrema-unctione dixerunt. Hieronymus multorum piorum mortes litteris celebravit, Nepotiani, Lucinii, Marcellæ, Aſellæ, Paulæ & aliorum: nihil tamen de unctione dixit. Auguſtinus, dum Monicæ Matris mortem tradit in Confeſſionibus ſuis, olei aut unctionis non magis quàm iſti ſuperiores meminit. *Sed neque Auguſtinum ipſum Poſſidius in eo morbo, ex quo deceſſit, inunctum fuiſſe refert, cætera quæ ad viri pietatem pertinent, narrans; illud verò nominatim obſervans, eum Pſalmos de Pœnitentia diebus ſuæ infirmitatis legiſſe, & jugiter ubertimque fleviſſe. Nihil quoque de ea unctione legitur in vita utriuſque Arelatenſis Antiſtitis, Hilarii videlicet, atque Cæſarii. Nihil in vita Fulgentii ſcripta per Ferrandum ejus diſcipulum. Nihil in vitis Pauli, Hilarionis, Onuphrii, Pachomii, Ephrem, Simeonis Stylitæ, Joannis Eleemoſynarii, Barlaami, Joſaphati, Euphraſiæ, Euphroſynæ, Joannis, Paphnutii & aliorum, de quibus *in vitis Patrum*. Sed & lib. X. ejuſdem operis Anachoreta quidam, cùm mortem ſuam divinitùs admonitus præſciſſet, dicitur in Cœnobium die

Dominicâ venisse, Corpus & Sanguinem Domini accepisse, eoque facto seipsum in medio Ecclesiæ posuisse, statimque consummatus esse. Si unctus est; cur unctio commemorata non fuit, sicut commemorata est Eucharistia?

Respondeo 1°. Quòd si aliundè constiterit ex authoribus istorum sæculorum unctionem infirmorum usurpatam vel habitam esse pro Sacramento novæ Legis tùm temporis, inanis est objectio petita è silentio authorum, qui vitas piorum per ea tempora conscripserunt. Nam quod in ejusmodi opusculis minimè fuit expressum, prætermissum intelligitur ab authoribus tanquam notissimum atque quotidianum. Fatetur istud ultro Dallæus cap. citato, in quo refellere studuit responsionem Bellarmini ad hoc idem argumentum, quæ talis erat, Quòd videlicet non scribuntur res notissimæ & quotidianæ. *Nam*, inquit, *S. Bernardus nunquam omisisset ejusmodi Sacramentum, quod eum maximi fecisse constat ex vita Malachiæ ab ipso scripta, & simul constat eum habuisse maximam commoditatem Sacramenti percipiendi, cùm & mortem suam præviderit & prædixerit: & tamen scriptum non est eum accepisse Sacramentum.* Ita verò Dallæus inter cætera loquitur. *Fateor si res de vetustissimis* IV. *&* V. *sæculorum Scriptoribus ita haberet, si extarent multa eorum temporum monumenta, in quibus aut ista Extrema-unctio exeuntium esse Sacramentum doceretur, & quo ritu, qua-ve forma danda sit disputaretur, aut narraretur, non paucis illius memoriæ fidelibus in supremo vitæ termino versantibus, ex more Ecclesiastico datam eam fuisse: fateor, inquam, futilem & absurdam futuram nostram argumentationem, si ex unius istorum silentio rem aliorum testimoniis abundè firmatam convellere niteremur.* At constat ex Origene, Eusebio Papa, Joanne Chrysost. Innocentio I. Augustino, Cyrillo Alexa d. Victore Antioch. Gregorio Magno, quòd unctio nostra usurpata fuit, atque habita pro Sacramento per V. priora Ecclesiæ sæcula.

II. In vitis SS. Eugendi & Tresani mentionem fieri unctionis infirmorum. Vixerunt autem VI. ipso sæculo.

III. Apud Eusebium, Gregorium Naz. Nyssenum, Ambrosium, Sulpitium, Metaphrasten, Hieronymum, Ferrandum & alios, non commemorari, quòd ii quorum vitam referebant, *Viaticum* perceperint, quod percipiebatur ex veteri Ecclesiæ regula, percipiendumque esse in exitu Canon. XIII.

XIII. Nicænus præceperat his verbis : *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur è corpore, ultimo & necessario Viatico minimè privetur.* Et tamen ex hoc illorum ea de re silentio non sequi, quòd Viatico Corporis Domini in exitu minimè inuncti fuerint. Quare non esse consequens unctionem ab illis aut à plurimis eorum susceptam non esse, quia Scriptores isti de ea nihil observaverunt.

IV. Quia unctio infirmorum instituta est à Christo tanquam *consummatio atque perfectio Pœnitentiæ Christianæ*, fortè per ea tempora hoc Sacramentum non erat in usu apud quoslibet, sed apud eos duntaxat, qui peccatorum sibi conscii videbantur. Quod IX. ipso sæculo adhuc perseverasse colligi videtur ex Paschasio Radberto in vita S. Adelhardi describente, quòd cùm Hildemannus Bellovacensis à fratribus petiisset, *utrùm* (Adelhardus) *benedictionis oleo deberet perungi?* illi interrogaverunt eum, *utrúmne vellet? Quem* (subjicit author) *proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri.* Notandæ voces istæ (*utrúmne deberet perungi?* Et : *Interrogamus eum, utrúmne vellet? Quem proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri.*) Ut quid enim Hildemannus quærebat, utrùm Adelhardus deberet perungi? & cur fratres peterent ab eodem, utrùm vellet inungi, cùm scirent eum peccatorum oneribus non detineri; nisi quia putabatur adhuc eo sæculo, unctionem hanc ad illos pertinere duntaxat, qui conscii sibi erant peccatorum?

V. Propter eandem rationem, ubicunque legitur apud veteres istos authores, quòd pii illi, quorum vitas conscribebant, mortui sunt in pœnitentia; sub eo nomine generico comprehenderunt *unctionem infirmorum*, ut pote *consummationem Christianæ pœnitentiæ.*

VI. Qui paulò post Baptisma susceptum ex hac vita migravere, Sacramentum illud inunctionis minimè susceperunt, custoditâ per illud breve tempus Baptismali sua innocentiâ.

VII. Plurimi eorum morte subitaneâ & absque ægritudine excesserunt è vivis, quibus apud Latinos unctio adhiberi neque debuit, neque potuit : quia unctio propria putatur esse infirmorum tantummodo in Occidente.

VIII. Ut de singulis speciatim dicamus aliquid, Constantinus Magnus cogitavit de Baptismo suscipiendo, quando

morbo invadente, extremum vitæ diem sibi jam sensit imminere: quo suscepto paulò pòst sancto fine quievit, ut refert Eusebius lib. IV. de ejus vita.

Helenæ Matris Constantini obitus ab Eusebio vitæ citatæ lib. III. refertur, solâ Testamenti à se facti observatâ circumstantiâ, silentio cæteris omnibus prætermissis. Quid mirum itaque, si & ipsâ unctione infirmorum? *Jam verò*, inquit, *cùm satis longo vitæ spatio decurso ad fæliciorem sortem vocaretur, annum ætatis agens* LXXX. *in ipso mortis confinio posita, testamento facto..... diem ultimum clausit.* Præterea nihil.

Gorgoniæ Sororis suæ Gregorius Naz. sic extrema persequitur, ut commemoret solummodo sermonem, quem ad suos habuit de æterna vita. *Cùm*, inquit, *jam præstitutus dies immineret, ita jam ad mortem & exitum se comparat, atque, ut legem, quæ in ejusmodi rebus viget expleret, in lectum se conjicit: cúmque ad virum & filios & amicos sermones hos habuisset, quos mulierem viri & filiorum & fratrum amore præditam habere par erat, ac de altera vita præclarè disseruisset, denique extremum festum diem fecisset, ita demum obdormiscit.*

Gregorii Patris sui Nazianzenus idem narrando obitum refert tantùm, quòd centenarius ferme ille senex, *sola ex liturgia, perpetuis pressus doloribus, robur concipiebat.* Omittit cæteras postremorum ipsius circumstantias, inter quas quidni & ipsam unctionem infirmorum? Nisi fortè expediat dicere, Pontifici iisce temporibus sacra facienti, nullius sibi peccati conscio, visum non esse suscipiendam unctionem, quæ genus quoddam est *Pœnitentiæ*, imò & *consummatio* atque *perfectio*.

Basilii quæ mortis circumstantiæ fuerint, ne repetas à Nazianzeno, præter hanc utramque, scilicet, *quòd eos qui aderant, sacrâ tùm doctrinâ instruxit: & quòd postrema illius ea verba fuerunt:* IN MANUS TUAS DOMINE COMMENDO SPIRITUM MEUM. Qui Viatici Eucharistiæ à Basilio suscepti non meminit, cur susceptæ meminisset unctionis: etiam dato quòd consuetudo invaluisset inungendi quemlibet adultum fidelem in extremis? Quòd si respectu eorum tantummodo invaluerit, qui sibi conscii peccati videbantur, quorum è numero Pontifices arcebantur?

Gregorii Thaumaturgi postrema non omnia Gregorius Nyssenus explicuit, id unum observavit, quòd videlicet de numero Hæreticorum qui supererant in sua Parochia (supererant tantùm XVII. cùm non essent plures Catholici quan-

do aſſumptus eſt ad Epiſcopatum) certior factus, *fidelibus precatus incrementum ad perfectionem & incredulis converſionem; ita tandem ex vita humana ad Deum migrat, obteſtatus neceſſarios ſuos, ne peculiarem ſibi locum ſepulturæ compararent.* De cæteris altum ſilentium. Cur itaque arguitur ex illo loco adversùs inunctionem?

Ephrem Syri mortem idem author referens, hæc duo tantùm quæ ſcriberentur cenſuit: alterum, *quòd iis qui tunc aderant, mandavit* S. Pater, *ne cum pretioſo veſtimento corpus ſuum ſepelirent*: alterum quòd *eoſdem multis piis commonitionibus ad virtutis ſtudium atque amorem eſt cohortatus.* De ritibus Eccleſiaſticis infirmorum ne verbum quidem.

Macrinæ Sororis ſuæ in Epiſtola ad Olympium Monachum mortem recitat. Nihil docet de ſacra unctione: nihil quoque docet de Viatico Euchariſtiæ per eam ſuſcepto. Cujus quidem ſilentii ratio ea mihi eſſe videtur, quòd *utroque Sacramento munita fuerat* (ſi tamen unctione muniri debebat,) *quando author ad eam laborantem acceſſit.* Neque enim Gregorius narrat quod contigerit ultimis vitæ Sororis ſuæ diebus, niſi *facto initio ab ea die quâ pervenit ad ipſam.*

Satyri fratris ſui Ambroſius mortis *non ſignat circumſtantias*, lib. quem conſcripſit de ejus obitu: quare neque unctionem ſignare debuit, quanquam ille fuiſſet inunctus.

Theodoſii quoque Imperatoris in Concione de ejus obitu, *nullas obſervat mortis circumſtantias.*

Martini Turonenſis, qui vitam ſcripſit Sulpitius, ubi ad mortem ejus pervenit, de mœrore diſcipulorum à quo acceperant ſe brevi ad Dominum eſſe migraturum, de ſumma voluntatis ſuæ cum divina conformitate, de cinere & cilicio in quo & moriebatur, & Chriſtianum oportere mori pronunciabat, de conflictu cum dæmone, ac denique de ardenti ejus ad Chriſtum proficiſcendi ſtudio ſermonem habet: *nihil de Viatico Euchariſtiæ*, cæteriſve *infirmorum ritibus Eccleſiaſticis habet.* Cur itaque de unctione ſermonem habuiſſet, etſi debuiſſet inungi, de quo magna dubitandi ratio?

Joannis Chryſoſt. vitam per Metaphraſtem conſcriptam inaniter omnino Dallæus opponit. Quandoquidem ſanctus ille Pontifex ſubitaneâ morte è vivis ereptus eſt. Audiendus ipſe Metaphraſtes. *Nondum Comanam appropinquarat ſanctus, ecce autem noctu ei apparent Baſiliſcus & Lucianus Martyres di-*

centes: Bono esto animo, & gaudio exulta ineffabili, frater Joannes: cras enim simul erimus. Hoc ipsum quoque dixerunt sui templi Presbytero, ut se pararet ad justa facienda, & debitas exequias divino Pontifici. Venit ergo ad locum divus Pontifex, quærit vestem splendidam, qua tempori & dignitati conveniat, mutat autem ea quæ gestabat, & illa distribuit iis qui aderant. Deinde sacrum celebrat mysterium, communicat Sacramento gratiæ, fundit ultimas preces. Deinde cùm de more dixisset hic inter Patriarchas divinus & verè Magnus Chrysostomus, Gloria Deo propter omnia; & facto signo Crucis subjunxisset, Amen, & recubuisset; requievit XIV. *Septembris.*

Ambrosii vitæ Scriptor Paulinus multa silentio obvolvit, quæ ad dies infirmitatis Antistitis illius referebantur: sic enim legimus. *Incidit in infirmitatem. Qua cùm plurimis diebus detineretur in lectulo, Comes Stilico dixisse fertur: quòd tanto viro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ. Unde convocatis &c.* His verò *diebus elapsis* (si tamen se ungendum esse putavit) probabile admodum est, quòd oleo sacro delibutus fuerit. Neque verò Paulinus meminit *Viatici Eucharistiæ* ab Ambrosio suscepti, nisi propter singularem facti circumstantiam, quam ille verbis istis expressit. *Honoratus autem Sacerdos Ecclesiæ Vercellensis cùm in superiori domo se ad quietem composuisset, tertiò vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modò est recessurus. Qui descendens, obtulit sancto Domini Corpus. Quo accepto, ubi glutivit emisit spiritum.*

Nepotiani de morte Hieronymus Epist. III. scribit ad Heliodorum, in qua paucis recenset morbi ejus nonnullas circumstantias, non omnes, non maximè Viatici perceptionem. Sic ille: *Quid te subtrahis? quid tergiversaris oratio? Quasi enim mortem illius differre possimus, & vitam facere longiorem, sic timemus ad ultimum pervenire.* Et postea. *Cúmque febribus æstuaret, & venarum fontes hauriret calor, lasso anhelitu tristem avunculum consolabatur.* Et infrà. *Apprehensâ avunculi manu: Hanc, inquit, tunicam qua utebar in ministerio Christi, mitto dilectissimo mihi, ætate Patri, fratri collegio &c.* Et postea: *Atque in talia verba defecit.* Et adhuc: *Tota hunc civitas, tota planxit Italia. Corpus terra suscepit &c.*

Lucinii super mortem idem S. Doctor Theodoram uxorem consolatur Epistolâ XXIX. adeo in laudes illius effusus,

nullas ut morbi circumstantias explicuerit.

Marcellam Epist. XIV. Hieronymus celebrat. In qua Epistola non meminit unctionis ab ea susceptæ in exitu, sed nec ulla fieri debuit aut potuit: quia, ut scribit S. Pater ibi: *Sano, integro, vegetoque corpusculo migravit ad Dominum.*

Asellam idem Epist. XV. laudat. Obitum & quæ præcessêre non exprimit.

Paulæ ad Eustochium filiam Epitaphium exarat Epistolâ XXVII. In quo licèt singularia quædam referre curaverit, ut v. g. *quòd versiculos è Psalterio pronunciabat*, & quòd *digitum ad os tenens, Crucis signum pingebat in labiis*; nullius tamen ritûs Ecclesiastici infirmorum, imò neque *Viatici Eucharistiæ* ab ipsa suscepti meminit.

Monicæ Matris Augustinus morbum extremum refert lib. IX. Confes. c. XI. nullum verò commemorat Ecclesiasticum *ritum infirmorum*, non visitationem per Sacerdotes, non exhortationes, non orationes, non *Viaticum Eucharistiæ*.

Augustini exitum Possidius posteritati relinquens in ejus vita observat, quòd sanctissimus Doctor dicere inter familiaria colloquia consueverat, *Post perceptum Baptismum, etiam laudatos Christianos & Sacerdotes, absque digna & competenti Pænitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit ultimâ quâ defunctus est ægritudine.* Unctio infirmorum est *consummatio Pœnitentiæ.* Quare probabile fit ex eo loco Augustinum oleo fuisse delinitum in extremis. Sed qualem, quæso, ritum Christianorum Ecclesiasticum servatum ibi designat Possidius? Nullum planè nullum.

Hilarium Arelatensem author Opusculi de ejus vita scribit variis iisque gravioribus confectum ægritudinibus consummasse cursum suum. Cæterùm qui non loquitur de *Viatico*, loqui non debuit de unctione.

Cæsarium quoque Arelatensem minimè observavit inunctum fuisse qui nobis vitæ ipsius acta exscripsit. Non potuit aliter scribere, qui cætera Christianæ religionis officia reticuit.

Fulgentii vitam Discipulus qui litteris mandavit, abstinuit quoque ab exprimendis ritibus Ecclesiasticis moribundorum. Dixit tantùm, sanctum hunc atque religiosissimum Antistitem *postrema sua Pœnitentiæ consecravisse.* Cur non eo nomine censebitur inclusa unctio?

Paulum Eremitam Hieronymus voluit innotescere toti Ecclesiæ. Vitam in obscuro ductam in aperto collocavit. Non scripsit, quòd unctus ille fuerit dum mors in labris esset. Quî scribere potuisset? Solus in deserto vixit, nec erat à quo Sacramenta susciperet. Nullâ pressus infirmitate corporis obdormivit.

Hilarionis in vita ubi Hieronymus ad exitum pervenit; meminit Testamenti, meminit quoque concursûs virorum religiosorum ad ipsum. Cætera stilo non est persecutus.

Onuphrius, referente Paphnutio in ejus vita, senio confectus, non infirmitate dejectus obiit in profundo deserti, cujus erat incola, & ubi non erat Sacerdos à quo inungeretur, etiamsi corporea ipsius infirmitas eum postulavisset inungi.

Pachomii vitæ scriptor describit ultima ejus ad fratres verba, observatque, quòd *elegerit sibi successorem Petronium*; ac demum quòd *signaculo Christi se muniens sanctam reddiderit animam.* De reliquis omnino conticescit. Quid inde?

Ephrem Syri vitæ Græcus author paucis istis verbis ea complectitur quæ ad obitum pertinent. *Præscius*, inquit, *sui obitûs, composuit Testamentum ad discipulos & quoscunque Monachos, de futuris eos commonefaciens: & sic modicùm ægrotans, quievit in Domino, à Monachis Eremi sepultura traditus.* Quæris unctionem? Quære Viaticum. Quære orationes, exhortationes, visitationes Cleri, adeoque omnia pietatis officia quæ Mater Ecclesia filiis suis exhibere consuevit.

Simeonis Stylitæ Discipulus & vitæ conscriptor Antonius observat c. XVI. *Se mortuum illum reperiisse tribus diebus in oratione nullo socio consumptis.* Inopinata mors minimè permisit ut ungeretur.

Joannis Eleemosynarii vitæ author Leontius nequidem morbum ullum designat quo finem vivendi fecerit. Observat tantùm, quòd *vocatus à Deo per Angelum, Testamentum fecerit, atque commendatam Creatori animam reddiderit.* Si nullâ depressus infirmitate migravit; nullâ debuit potuit-ve unctione deliniri. Si depressus infirmitate vivere desiit, authorque de ea nihil dixerit; quî dixisset de unctione infirmorum?

Barlaam Eremitæ, & Josaphat Indiæ Regis res gestas S. Joannes Damasc. uno eodemque opere expressit, in quo legere est Barlaam *sine ægritudine*, post obitum sacrificium in-

cruentum & orationem, ubi Josaphatum paterno complexus affectu, atque osculo sancto exosculatus fuisset, crucis munitum signo, senem planè & spiritualium dierum plenum transiisse ad superos. Cur unctus oleo infirmorum in extremis, qui infirmus non erat in extremis? De Josaphato etiam ita loquitur: *Denique cùm ad hunc modum vixisset, & usque adeo dignam vocatione sua operam ei à quo vocatus fuerat reddidisset, mundumque sibi ipsi ac se ipsum mundo crucifixisset, ad Deum pacis in pace migrat.* Ibi ne verbum quidem de morbo; adeoque nec de iis quæ morbum supponunt, sermo esse debuit.

Euphrasia Virgo morbo corripitur, defertur ad oratorium, convocatisque sororibus expirasse legitur. Quid narratio ista virium habet contra unctionem, quod non habeat adversùs cæteros omnes ritus infirmorum?

Euphrosynæ morbi non aliam circumstantiam author ipsius vitæ adnotat, nisi quòd illa se se Patri suo revelavit, postquam sub nomine *Smaragdi* Monasticam vitam per XXXVIII. annos inter Monachos tanquam *Monachus* professa fuisset. Ridiculè, qui concludit: Ergo Euphrosyna non fuit oleo sacro delibuta.

Joannis vitam Rufinus scripsit, ac mortem his verbis expressit. *Obitus autem illius talis quidem fuerat. Per triduum, inquiunt, nullum ad se introire permisit, & positis genibus in oratione reddidit spiritum.* Argutus erit dialecticus qui confecerit, quòd unctus Joannes ille non fuit ægritudine lethali depressus.

Paphnutii corporea infirmitas ne nominatur quidem, imò satis superque author vitæ significat morbum morti minimè præivisse. Si tamen ille præiverit, non video quâ ratione negetur inunctus, si non negetur ultimo fuisse munitus *Viatico Eucharistico.*

Anachoreta tandem ille, de quo lib. x. de vitis Patrum c. LXXXVI. Eucharistiam percepit mortis suæ præscius, & statim vivere cessavit. Oleo delibutus non fuit, quem mors sine morbo è terra sustulit. *Cùm accepisset*, inquit textus, *Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, posuit seipsum in Ecclesiæ medio, statimque consummatus est, cùm prorsus antea non ægrotasset.*

Ex quibus omnibus facilè intelligitur, omnia piorum

exempla, quæ Dallæus summo studio collegit & objicit, ad alteram è IV. classibus meritò revocari. Aut enim illi statim post Baptisma susceptum migraverunt è vita, ut Constantinus. Aut subitaneâ morte, atque nullâ præviâ ægritudine defuncti sunt, ut Joannes Chrysost. Paulus Eremita, Onuphrius, Simeon Stylites, Barlaam, Josaphat, Paphnutius, & Anachoreta Anonymus, de quo lib. x. de vitis Patrum suprà. Aut erant Pontifices, sacris, atque inprimis augustissimo Corporis & Sanguinis Christi sacrificio incumbentes continuò, ut Gregorius Nazianzeni Pater, Basilius, Gregorius Thaumaturgus, Martinus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius & Cæsarius Arelatenses, Fulgentius. Aut denique illi sunt, quorum in exitu adhibitos ritus Ecclesiasticos, inprimis verò Viatici Eucharistiæ susceptionem, si unicum exceperis Ambrosium, authores in objectione laudati referre minimè voluerunt, ut Helena, Gorgonia, Gregorius Pater, Basilius, Gregorius Thaumaturgus, Ephrem, Macrina, Satyrus, Theodosius, Martinus, Ambrosius, Nepotianus, Theodora, Marcella, Asella, Eustochium, Monica, Augustinus, Hilarius & Cæsarius Arelatenses, Fulgentius, Paulus Eremita, Hilarion, Pachomius, Joannes Eleemosynarius, Euphrasia, Euphrosyna, Joannes alter. Primi non sunt oleo delibuti, quia plenam perfectam mox in Baptismate consecuti suorum peccatorum remissionem, non egebant remedio, quo reliquiæ suorum delictorum abstergerentur. Secundi uncti non sunt, quia non sunt mortui ex infirmitate corporea. Tertii si migraverunt ad Dominum minimè susceptâ unctione, ratio fortassis est refundenda in eminentem statum, qui cùm perfectos postulet, non pœnitentes, locum dedit tunc temporis consuetudini, de non inungendis Præsulibus in exitu, cùm hoc nostrum Sacramentum sit complementum pœnitentiæ. Quarti denique dici non possunt propter authoritates istas obiisse sine oleo infirmorum, quos, propter easdem authoritates nemo jure dixerit frustratos fuisse Viatico Eucharistiæ, cæterisque ritibus Ecclesiasticis, quibus fideles confirmari atque in exitu honorari solebant.

Objicit IV. Dallæus ejusdem lib. c. III. VI saeculi & sequentium ad. IX. usque certi & indubitati Scriptores, qui in describendis piorum & sanctorum hominum mortibus sumptæ ab iis Eucharistiæ sæpissimè meminerunt, Extremæ-unctionis

ctionis susceptæ nulli prorsus meminisse reperiuntur. Sic sæculo v. in vita Winvaloci, Severini Noricorum Apostoli, & Valentini Pataviensis. Sæculo vi. in vita Cassii Narniensis, Læti Diaconi, Remigii Remensis, Benedicti Abbatis, Galli Arvernorum Episcopi, Vedasti Attrebatensis, Mauri Abbatis, Agyli Vicecomitis Aurelianensis. Sæculo vii. in vita Baronis Confessoris, Rudperti Vangionum Episcopi, Redempti, Isidori Hispalensis, Trudonis Presbyteri, Gisleni Confessoris, Austrebertha, Renati Trajectensis, Bertulfi, Gertrudis, Audomari, Hermelandi, Ansberti Rothomagensis. Quibus & adjungi potest quidquid de piis & sanctis, de quibus hoc sæculo Beda scripsit, quamvis illi omnes non ad hoc unum sæculum pertinere noscantur, nimirum Ceadda, puero quodam Saxone, Hilda Abbatissa, Cutberto Lindisfarnensi Episcopo, Eustasio. Sæculo viii. in vita Suniberti Episcopi, Leiobæ Abbatissæ, Wlframi Senonensis, Pyrminii Episcopi, Corbiani, Adelhardi, Ludgeri Monasteriensis, Virgilii Salisburgensis. Sæculo ix. in vita Caroli Magni per Eginardum, & in vita Ludovici pii. Ex quibus patet i. falsum esse, quod in superiore objectione Bellarminus pronunciaverat; non scribi res notissimas & quotidianas: quandoquidem scribitur, quòd Viaticum illi receperint. ii. nullam adhuc tunc fuisse in Ecclesia unctionem: alioqui Scriptores isti meminissent illius. Et confirmatur: tum ex eo quòd non pauci eorum de proximo exitu admoniti, se se ad hanc horam diligentissimè accinxerunt, quos ideo non est credibile unctionem neglexisse; si, quam habemus de illa fidem, eandem nobiscum habuissent: tum etiam quia non illi tantùm, sed & omnes eorumdem temporum Scriptores unctionem nostram ignorant.

Respondeo I. Futilem esse argumentationem, ex Dallæo ipso verbis suprà laudatis, qua quis è silentio quorundam, rem aliorum testimoniis abundè firmatam convellere niteretur. Est autem res illa quam Dallæus revocat in dubium, abundè firmata testimoniis authorum v^{i}, de quibus agitur, sæculorum. Et v°, quidem sæculo habemus Innocentium, Augustinum, Cyrillum Alex. & Victorem Antiochenum. vi°. Gregorium Magnum, & per ipsum universæ Romanæ Ecclesiæ consuetudinem. vii°. Theodorum Cantuariensem, & Eligium Noviomensem. viii°. Bedam, Crodogangum Me-

tensem, Egbertum Eboracensem, antiquissima Pontificalia. IX°. Capitularia Caroli Magni, Concilia Cabilon. II. Aquisgranense II. Moguntinum, Regiaticense, Wormatiense, Heraldum Turon. Halitgarium Camerac. Hincmarum Remensem. Isaac Lingon. Agobardum Lugdun. Jonam Aurel. Paschasium Radbertum, authorem libri de divinis Officiis, Codicem Arremarensem.

II. Habemus VI. sæculo opuscula vitarum SS. Eugendi Abbatis, & Tresani Presbyteri. VII. sæculo, Hunnegundis Virginis. VIII. Bedæ extrema, saltem juxta observationem Guilelmi Malmesburiensis atque Trithemii. IX. Caroli Magni vitam per Eparchium, S. Mauræ per S. Prudentium Tricassinum, Adelhardi Corbeïensis per Paschasium Radbertum; ac denique S. Remberti Bremensis: quæ quidem omnia opuscula legitima sunt atque germana, quantumvis Dallæus contrà reclamet.

III. In nonnullis quæ objiciuntur, nomen Sacramentorum *plurali numero* usurpatur, quo plurali nomine fortè significantur *Viaticum Eucharistiæ*, atque *unctio infirmorum* simul: & hunc enim etiamnum loquendi modum ad ea duo Sacramenta significanda usurpamus. Sic VI. sæculo, in vita S. Mauri: *Cùm exitum suum vivificorum muniisset perceptione Sacramentorum.* Sæculo VII. in vita Trudonis Presbyteri: *Allatis vivificis Sacramentis participat.* Sæculo VIII. in vita Cudberti Lindisfarn. *Acceptis à me Sacramentis salutaribus.*

IV. Eginhardus, alter vitæ Caroli Magni conscriptor, non observat Imperatorem hunc unctum fuisse oleo infirmorum sub vitæ suæ exitum: quo tamen oleo delibutum fuisse constat ex Eparchio, altero ejusdem vitæ authore. Quare non sequitur eos minimè fuisse perfusos unctione illa, de quibus authores vitæ eorum istud minimè observaverunt.

V. Quia Viaticum Eucharistiæ suscipiebatur post unctionem infirmorum, intelligitur hanc suscepisse qui suscepit illud, etiamsi non exprimatur quòd eam susceperit: quemadmodum intelligitur emundasse conscientiam suam per Sacramentum Pœnitentiæ, qui suscipit modò Viaticum Eucharistiæ, etiamsi author vitæ non exprimat.

VI. Non capio quare Dallæus laudet vitam *Adelhardi Corbeïensis* pro confirmatione suæ sententiæ: quia in illa cujus author est *Paschasius* Radbertus, expressis verbis habetur,

quòd unctus ille fuit Abbas per Hidelmannum Bellovacensem Episcopum. Fuerit-ne alius à Paschasio qui Adelhardi vitam scripserit, & de quo Dallæus loquatur, ignoro. Alium fuisse non puto. Sed etsi alius fuerit, qui nihil dixerit de unctione suscepta in exitu per Hildemannum; quia Paschasius illud observavit factum, silentium illius authoris causæ nostræ minimè præjudicaret.

VII. Eorum aliqui nulla infirmitate corporis affecti præscii brevi futuræ suæ mortis, *Viaticum Eucharistiæ* susceperunt, quia suscipere illis oportuit, cum sit Sacramentum exeuntium absolutè; unctionem minimè susceperunt, quia est Sacramentum non quorumvis exeuntium, sed infirmitate corporeâ laborantium, non sano vegetoque corpore migrantium ad Dominum, saltem juxta communem sententiam & praxim Ecclesiæ Occidentalis.

VIII. Fortè non justis, sed illis solummodo qui in statu quodam pœnitentiæ constituti erant, aut esse propter peccata debebant, Sacramentum unctionis tùm temporis administrabatur: quod locus à me citatus ex Paschasio in vita Adelhardi Corbeïensis docere videtur.

IX. Quando Bellarminus dixit inter respondendum, res notissimas & quotidianas non scribi ab authoribus; sensus ejus non est, quòd illæ nunquam scripto mandentur: sed sensus est, quòd etsi scriptæ non fuerint, non tamen habendæ ideo sint in earum numero quæ non fuerunt.

Objicit v. Dallæus lib. II. c. IV. Cùm Pœnitentiæ quoddam genus unctio nostra infirmorum esse perhibeatur, omnino decebat eam præcipuè iis lapsis adhiberi, quos vel nondum peractâ, vel ne susceptâ quidem pœnitentiâ, morbus lethalis opprimebat. Atqui nusquam apud veteres quidquam eâ de re occurrit, quibus, si quid tùm hujusmodi obtinuisset, commemorandum veniebat. V. g. narrat apud Eusebium Dionysius Alexandr. Serapionem qui lapsus fuerat, sæpe deprecatum ut susciperetur, nihil impetrasse. Mox ei morbo oppresso & in extremis versante, & solatia Ecclesiæ in illo articulo poscenti, Presbyterum Alexandrinum Eucharistiæ particulam misisse, eâque sumptâ Serapionem jam lætiorem spiritum reddidisse. Cur ergo huic Serapioni Alexandrinus Presbyter in talibus posito solam Eucharistiam, cur non & unà oleum sacrum misit? Deinde Can. XXXVII. Concilii Eli-

berit. *Fidelibus qui à spiritibus immundis vexantur, si vitæ finis immineat, decernitur dandam esse Communionem:* olei verò nulla mentio. Et Can. LXIX. *Fideli marito qui fuerit semel lapsus, si infirmitatis necessitas coegerit, datur communio ante peractam quinquennii pœnitentiam;* de unctione verbum nullum. Eodem tendit Canon XIII. Conc. Nicæni, qui de lapsis est omnibus, illisque concedit Viaticum, idest Eucharistiam, non unctionem. Eodem spectat Canon VI. Conc. Ancyrani. Siricius Epist. I. ad Himerium Tarracon. c. V. concedit iis qui post peractam pœnitentiam ad peccatorum volutabra redierint, *in exitu communionis gratiam*. Innocentius Exuperio c. II. de iis qui post Baptismum omni tempore, incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ pœnitentiam simul & reconciliationem communionis exposcunt, ita decernit. *Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema communio.* Concil. Arausi. I. Can. III. *Qui recedunt de corpore pœnitentiâ acceptâ, placuit sine reconciliatoria manûs impositione eis communicari.* Leo Magnus Epist. XCI. ad Theodorum Forojuliensem, talibus quoque in exitu constitutis communionis gratiam negari vetat, nisi eam vel nutu vel indiciis postularint. Si unctio per ea sæcula conferebatur, cur ejus nulla facta est commemoratio, sicut facta est IX. sæculo in Concilio Moguntino, quo tempore jam usurpabatur? Iis denique temporibus, quibus, ut loquitur Innocentius I. *observatio durior fuit*, hoc est, disciplina severior, in quantum lapsis plerisque ne in supremis quidem subveniebatur per communionem; de oleo nihil planè fit, quod ex variis Eliberitani Concilii Canonibus liquet.

Respondeo I. Quòd quia unctio nostra est quædam *Pœnitentiæ species atque consummatio*, locis illis quibus Pœnitentia conceditur infirmis in exitu, concessa quoque unctio intelligitur. Eam porrò *speciem* esse quandam *Pœnitentiæ* docent Origenes suprà, Chrysostomus, Gregorius Magnus, Paschasius Radbertus, Gofridus Vindocin. Yvo Carnot. Conc. Tridentinum.

II. Temporibus illis, quibus *observatio durior* erat, iis lapsis quibus non subveniebatur per Eucharistiæ concessionem, non subveniebatur quoque per Pœnitentiam, & misericordiæ Domini permittebantur: quare quibus negabantur Viaticum Eucharistiæ & absolutio Sacramentalis, negari de-

buit unctio, quæ est *Pœnitentiæ consummativa.* Aliis verò temporibus, quibus observatio lenior fuit, & lapsis est concessa communio, non video quomodo unctio illa negata fuisse jure ac meritò dici queat: nisi supponatur significari voce ista (communio) sola Eucharistiæ participatio, absque iis quæ vel antecedunt ejus perceptionem, vel quæ subsequuntur. Nam si antecedentia ad perceptionem Eucharistiæ concessa sunt, & unctio infirmorum concessa est: neque Dallæus id negare poterit, quin antè confecerit unctionem tùm temporis minimè fuisse in usu, aliàs illud supponeret quod versatur in quæstione. Quid si optimè Illustrissimus Albaspinæus animadverterit lib. 1. suarum observationum, observ. 1. *Nomen communionis latiùs patere Eucharistiâ, eaque prorsus omnia complecti, quæ quique fidelium commune habet cum cæteris fidelibus.* Quid si etiam, quod idem subjungit observat. XI. *Viaticum non distinguitur à communione, nisi in eo quòd sit brevi morituri communio?* Ita enim est Viaticum multiplex, Baptismi, Confirmationis, absolutionis, unctionis, Eucharistiæ, & omnino quicquid in morte sumitur, atque in alteram vitam proficiscenti prodesse potest. Inde namque dico. Si nomina communionis & Viatici locis illis usurpentur ad sensum Albaspinæi, corruit omnino Dallæi objectio. Quòd si voces eædem communionis atque Viatici usurpentur in sensu strictiori, atque ad solam Eucharistiam coarctentur: saltem quibus hoc sensu communio atque Viaticum conceditur, concessa quoque intelliguntur quæ prævia erant ad participationem Eucharistiæ. Sed in veteri Ecclesia oleum præmittebatur Eucharistiæ, quæ infirmis administrabatur. Quare quod Dallæus opponit non confert ad hanc nostram controversiam.

III. Ut de singulis quæ objiciuntur aliquid speciatim observem.

Presbyter Alexandrinus non misit ad Serapionem unà cum Eucharistia, oleum quo inungeretur: quia Minister Sacramenti unctionis, de quo apud nos controvertitur, est Presbyter, non laïcus: non debuit mittere oleum quo æger inungeretur, quia non erat Sacerdos à quo inungeretur.

Concilium Eliberitanum decernit communionem dandam esse Energumenis. Si nomen istud (*communio*) latiùs hîc usurpetur, comprehendit inunctionem, si strictiùs, pro sola

Eucharistiæ participatione, præintelligitur atque præsupponitur unctio.

Ejusdem Concilii Canon LXIX. decernit: *Maritum fidelem, qui lapsus est, agere per quinquennium ea de re pœnitentiam, & sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus istud absolutum tradere communionem.* Ex quo loco infero, quòd vel reconciliatio involuitur in isto nomine (*communio*) vel supponitur: aliàs Eucharistia, non reconciliatio ministraretur. Quicquid dicetur, pro me facit. Nam si involuit reconciliationem. Ergo & unctionem, quæ in Codice Arremar. nuncupatur *reconciliatio ad mortem*, aut saltem eadem est ratio illius quoad hoc, quæ absolutionis. Si non involvit, præsupponit. Nam reconciliatio in veteri Ecclesia præmissa fuit ad Eucharistiæ participationem.

Canon XIII. Concilii Nicæni statuit: *Viaticum ultimum & necessarium non esse denegandum cuilibet è vita excedenti & poscenti.* Quæritur quid intelligatur nomine Viatici? Si quicquid sumitur in morte, atque in alteram vitam proficiscenti prodesse potest. Ergo & unctio infirmorum quæ est istius conditionis. Si Eucharistia danda morituro. Ergo & unctio infirmorum illi præmittenda secundum veteris Ecclesiæ consuetudinem.

Canon VI. Concilii Ancyrani meminit communionis & Viatici eodem sensu, quo Nicænus Canon mox laudatus.

Siricius ad Himerium Tarracon. concedit iis qui actâ pœnitentiâ tanquam canes & sues ad vomitum redeunt, in exitu *communionis gratiam.* Quo nomine intelligitur communio in *omnibus sacris*, non communio *solius Eucharistiæ*: alioquin admitterentur ad participationem Corporis & Sanguinis Domini absque reconciliatione: aut si non intelligitur communio in omnibus, saltem intelligitur communio *in Eucharistia*, atque omnino in cæteris ad eandem in exitu præambulis, qualis tunc erat inunctio respectu infirmorum.

Innocentius ad Exuperium noster est. Quia tribuit illis hominibus post Baptisma incontinentibus, atque voluptatibus deditis *& pœnitentiam & communionem*: hoc est, vult illis imponi pœnitentiam, ac postea communicare cum fidelibus, inprimis verò susceptâ Sacramentali absolutione, quod sequentibus istis verbis satis superque indicatur: *Tribuetur ergo cum Pœnitentia extrema communio: ut homines hujusmodi,*

vel in ſupremis ſuis, permittente Salvatore noſtro, à perpetuo exitio vindicentur. Quomodo namque à perpetuo exitio vindicarentur per hanc indulgentiam, ſi ea tota ſita fuiſſet in conceſſione Euchariſtiæ, & non in abſolutione atque reconciliatione?

Canon III. Conc. Arauſ. I. obſcuritate ſua multùm torquet eruditos. Sunt qui ſenſum illius hunc eſſe dicunt: *Moribundis excommunicatis ſatis ad ſalutem eſt, ſi pœnitentia ſine ſimplici communione concedatur; quia ea eſt ſufficiens Viaticum: ſi verò ſupervixerint peractâ pœnitentiâ, utramque communionem & reconciliationem, minorem ſcilicet atque majorem conſequantur.* Aliis placet hunc eſſe genuinum ſenſum: *Moribundi nondum peractâ pœnitentiâ, ad communionem fidelium, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem admittantur, non tamen ad plenam & majorem, quæ uſque ad participationem Corporis Chriſti protenditur, quæ communio neceſſaria & non plena atque perfecta* VIATICUM *appellatur. Quòd ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentium, ut peractâ pœnitentiâ recipiant plenam communionem per majorem reconciliatoriam impoſitionem manuum.* Alii: *Ut ordine congruo plenam reconciliationem conſequantur: quia quæ in articulo mortis nondum peractâ pœnitentiâ, hæc præter ordinem eſt, & illegitima.* Qualiſcunque tandem ſit ſenſus Canonis, nihil ad propoſitum. Nam ſi abſolutio negabatur pœnitentibus iſtis, ſequitur quòd unctio negari illis debuerit. Quòd ſi ſolâ fruſtrabantur Euchariſtiæ participatione, ſequitur non fuiſſe fruſtratos utraque reconciliatione, quæ per abſolutionem, & quæ per unctionem.

Leo Magnus Epiſtolâ illâ ad Theodorum Forojulienſem, prohibendo ne talibus in exitu conſtitutis *communio* denegetur; eo nomine vel incluſit, vel ſuppoſuit oleum infirmorum.

Quòd denique Patres Eliberitani mentionem nullam fecerint olei, verè eſt extra propoſitum. Nam ſi nomen communionis uſurpaverunt in ſignificatu latiori, comprehenditur oleum ſub hoc nomine: ſi in ſtrictiori, non erat quòd mentio expreſſior olei fieret.

Objicit VI. Dallæus ejuſdem lib. c. V. quòd apud veteres nihil eorum occurrit, quæ de Extrema unctione nunc & nuper in ſcholis noſtris diſputantur de materia, de forma, de fine.

Reſpondeo, neque apud veteres reperiri plurimas quæſtio-

nes, quæ & nunc Orthodoxos atque Etherodoxos exercent circa ſingula ferè fidei noſtræ myſteria. Quare inanis eſt objectio.

Objicit VII. Dallæus ibidem, Eccleſiam Æthiopum non agnoſcere unctionem extremam. Sed neque Armeniorum Eccleſia eandem agnovit.

Reſpondeo, Æthiopes ſeu Abyſſinos verſari in Schiſmate, & in hoc eſſe culpabiles, quòd non agnoſcunt infirmorum unctionem pro novæ Legis Sacramento. Idem dico de Armeniis, cæteriſque ejuſdem farinæ hominibus.

DISPU-

DISPUTATIO TERTIA.

De materia Sacramenti Unctionis infirmorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm oleum benedictum ab Episcopo sit materia remota nostri Sacramenti?

OLEUM esse materiam Sacramenti nostri docet Jacobus Apostolus verbis istis: *Ungentes eum oleo.* Docent Patres. Docet Concilium Trid. locis citatis. Quia verò oleum propriè dictum illud solum est, quod ex olivarum baccis expressum est, & nomen olei imponitur per similitudinem cæteris liquoribus, non quòd habeant eandem rationem genericam, ideo oleum hoc debet esse olivarum. *Aptissimè autem*, docet Catechismus Concilii Trid. *hæc materia significat illud quod vi Sacramenti interiùs in anima efficitur. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit: ita Sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tanquam pabulum præbet: tum verò ad recreandas defatigati corporis vires maximè accommodatum est.* S. Thom. in supplem. q. XXIX. a. IV. *Spiritalis sanatio quæ in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia post eam alia non relinqui-*

tur: & lenis, ut spes quæ exeuntibus est maximè necessaria, non frangatur, sed foveatur. Oleum autem lenitivum est & penetrativum usque ad intima, & etiam diffusivum: & ideo, quantum ad utrumque prædictorum est conveniens materia hujus Sacramenti. Chrisma cognominatur ab Innocentio I. suprà, sumpto nomine in adæquato suo significatu, prout idem est ac *unguentum*, seu, id quo ungitur: non in strictiori à Theologis ad speciem ejus unicam accommodato, pro *mixtura ex oleo & balsamo.* Quanquam, si modicum quid balsami duntaxat oleo mixtum esset, non redderetur per id materia unctionis infirmorum nulla atque invalida: quia scilicet olei natura non immutaretur tali mixtione.

Oleum istud debet esse *benedictum* seu *consecratum.* Unde appellatur à S. Eligio & ab authore vitæ Roberti de Arbrucellis, *benedictum.* A Beda & ab Ælfrico, *oleum consecratum.* A Jona Aurelian. *oleum Pontificali benedictione consecratum.* Et ab eodem, *oleum sanctificatum.* A Concilio Aquisgran. *oleum sacrificatum.* Ab Heraldo Turon. & à Conrado Monacho in vita S. Wolfelmi, *sacratum oleum.* Ab Arnoldo in vita S. Godehardi, Wiberto in vita S. Leonis IX. Ruperto in vita Hereberti Coloniensis, S. Bernardo in vita S. Malachiæ, authore vitæ Godefridi Coppenberg, *oleum sacrum.* Ab Eparchio in vita Caroli Magni, Hincmaro in capitulis, authore vitæ Remberti Bremensis, Hugone in vita Hugonis Cluniacensis, Petro de Honestis in Regula, authore opusculi de vita Joannis Morin. Episcopi, *oleum sanctum.*

Quæritur I. an *benedictio* seu *consecratio olei* sit de necessitate *Sacramenti*, vel *præcepti* tantùm?

Respondeo negativè. Ratio est: quia nullum in Scripturis, Conciliis aut Patribus reperitur fundamentum dicendi, quòd unctio extrema facta ex oleo *non benedicto* sit invalida. Scriptura meminit *olei* duntaxat: neque verò per has voces (*in nomine Domini*) significatur *benedictio*, sed significatur tantùm, quòd ea unctio fieri debet *vice atque authoritate Christi.* Concilia & Patres meminerunt benedictionis: sed non dicunt eam esse de necessitate *Sacramenti.* Verba illorum stant explicata de necessitate *præcepti Ecclesiastici.*

Quæres II. *à quo* oleum benedici atque consecrari possit?

Respondeo, benedici atque consecrari posse *ab Episcopo,*

Ita enim Innocentius I. ad Decentium c. VIII. Gregor. lib. Sacram. Beda in Epist. Canon. S. Jacobi, Capitularia Caroli Magni lib. VI. c. LXXVI. Cabilon. II. Can. XLVIII. Wormat. Can. LXXII. Halitgarius lib. III. c. XVI. Decretum Eugenii, & Concilium Tridentinum.

Quæres III. an etiam benedici atque consecrari possit à *Presbyteris?*

Respondeo. In Ecclesia *Occidentali* Episcopos solos debere ac posse benedicere atque consecrare oleum, nunquam *Presbyteros* solos, sed tantùm cum Episcopis. Sed alia est ratio Ecclesiæ *Orientalis*, in qua *Presbyteri* gaudent eâ potestate. Lege Euchologia in officio *sancti Olei:* ubi etiam observabis illos solere oleum benedicere *in ipsa Sacramenti unctionis infirmorum exhibitione.* Quam consuetudinem Presbyterorum Græcorum Clemens VIII. confirmavit in *Instructione directa ad Episcopos Latinos*, tit. *Circa oleum sanctum infirmorum*, scribens: *Non sunt cogendi* PRESBYTERI GRÆCI, *olea sancta præter Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere: cùm ejusmodi olea* AB EIS *in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu* CONFICIANTUR ET BENEDICANTUR. Et eundem ritum *congregatio de propaganda fide* approbavit, cujus jussu & impensis edita est Romæ *synopsis vernacula Neophyti Rhodini* continens verba sequentia. *Materia Sacramenti Extremæ-unctionis est oleum olivâ expressum à* PONTIFICE *vel à* SACERDOTE *benedictum.*

Ex quo patet *Summum Pontificem* posse dispensare cum *Latinis Presbyteris* ut oleum benedicant. Sed an *Episcopi Latini* possint eandem illis concedere facultatem, controvertitur? Posse puto, si rei natura spectetur, præscindendo à regula Ecclesiastica, quâ vigente non possunt.

Ex his etiam consequens est, unctionem valere ex *oleo simplici*, & ex *oleo mixto balsamo*, non mutatâ per illam admixtionem olei naturâ, non tamen id licet.

Quæres IV. quid sit faciendum in Ecclesia Latina, quando oleum benedictum ab Episcopo Feriâ V. in Cœna Domini, ex frequenti usu atque administratione Sacramenti unctionis, deficit?

Respondeo, Sacerdotem posse adhibere *oleum non consecratum oleo consecrato: & totum efficietur consecratum*, inquit S.

Thomas opusculo LXV. ex cap. *Quod in dubiis. De Consecrat. Ecclesiæ*, his verbis : *Nec negamus, quin oleum non consecratum consecrato possit oleo commisceri.* Observa Canonem non dicere oleum non consecratum debere admisceri *in minori quantitate* oleo consecrato : & tamen Theologi id vulgò sustinent: ita nimirum, ut si supersint guttæ quinque olei consecrati, possint apponi quatuor de oleo non consecrato, quæ quatuor admixtæ quinque aliis, efficient novem, quibus novem si octo admisceantur, efficientur septemdecim, & sic in infinitum. Ratio verò, cur oleum non consecratum fiat consecratum ex ipsa ejus *admixtione* oleo consecrato, hæc est, quòd Ecclesia cujus est ritus præscribere quibus oleum debet consecrari, voluit ut & *precibus* Episcopi oleum consecraretur, & insuper *commixtione* olei non consecrati cum consecrato. Quòd nonnulli existimant virtutem consecrati olei communicari oleo non consecrato per contactum Mathematicum utriusque ; adeoque debere apponi non consecratum in minori quantitate, mihi non placet. Neque enim consecratio olei consecrati communicatur oleo non consecrato per contactum Mathematicum olei ad oleum ; cum ea sit aliquid spirituale : sed Ecclesia, penès quam est determinare ritum consecrationis olei, determinavit admixtionem tanquam alterum è ritibus consecrationis, eodem modo, quo aqua non benedicta superaddita aquæ benedictæ censetur acquirere benedictionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia proxima Sacramenti Unctionis infirmorum.

CERTUM est, quòd unctio sit materia proxima. Nam, ex Jacobo *ungentes eum oleo.* Favent Conc. & Patres. Ratio suffragatur. Materia namque proxima Sacramentorum quæ sunt in usu posita, est usus ipse seu applicatio remotæ materiæ ad subjectum idoneum. Sed ex dictis artic. præcedenti, materia remota nostri Sacramenti, quod in usu consistit, est *oleum olivarum*, & oleum non applicatur nisi per *unctionem*.

Quæritur in qua *parte corporis* unctio debeat fieri?

Respondeo, Orientalium Euchologium nusquam aperire. Sed apparet ex Græcis authoribus posteriorum sæculorum, solere eos *frontem*, *genas*, *mentum*, & *manus* inungere. Simeon Thessalonic. lib. de Sacramentis. *Ungit* (Sacerdos) *oleo ad modum crucis, ipsius frontem ob contentas in eo cogitationes, faciem quoque inungit propter sensuum organa, postremò manus, à pravis cogitationibus & operibus eum expians, sanctoque oleo & signo crucis muniens, & perfectè sanctificans.* Arcudius addit, quòd Græci nunc inungunt prætereà *pectus* & *pedes*.

In Occidente unctio fieri solet in v^e^ *sensibus*: earumque duntaxat corporis partium B. Gregorius meminit lib. de Sacram. *Perungunt*, inquit, *in v^e^ sensus corporis, idest in superciliis oculorum, in auribus de intus, & in narium summitate, sive exteriùs, & in labiis exteriùs, & in manibus exteriùs, idest de foris.*

Vetus Pontificale Anglicanum his adjungit *unctiones colli, scapularum, pectoris, pedum, umbilici, seu loci ubi plùs dolor imminet.*

Codex Arremarensis adjungit *pedes, guttur, collum, scapulas, umbilicum, seu locum in quo plùs dolet. Guttur, nimirum, non pectus.*

Codex Ratoldi idem habet cum veteri Pontificali Anglicano.

Codex Tilianus seu Sagiensis habet. *In collo & gutture & pectore, & inter scapulas, seu in loco ubi dolor plùs imminet, & in* v. *sensibus corporis, & in superciliis oculorum, & in naribus intus & foris, & in aurium summitate exteriùs sive interiùs, & in labiis exteriùs, & manibus exteriùs, idest de foris.*

Codex Remigio-Remensis. *Ungatur à Sacerdote, vel plurimis Sacerdotibus de oleo sanctificato, facientibus cruces singulis in dextro tempore & sinistro, non in fronte, nec in vertice, dicendo:* UNGO CAPUT TUUM *&c. Item in superciliis & sublíciis juxta angulos oculorum. Item aures intus & foris in summitate crucis signa recipiant &c. Item nares in summitate & subtus ungantur crucis modo. Item labia dicendo, & exteriùs crucem super mentum & guttur faciendum. Item super humeros duos, hoc est scapulas, non in pectore, neque inter scapulas &c. Item super manus: &, si Presbyter est, non infrà: sin aliter & infrà.*

Et super pedes & sub plantis cruces fiunt.

Quædam Ritualia recentiora addunt *unctionem renum*, post Eugenium IV. in decreto de unione Armen. cujus cæremoniæ Beatus Thomas reddit hanc rationem: quod *triplex* sit in nobis potentia quæ est peccandi principium: potentia *cognoscendi*, vis *appetendi*, & vis *exequendi*. Facultatum quibus *cognoscimus* primam originem esse in v. *sensibus*: vim *concupiscendi* esse maximè in *renibus*: vim *exequendi* maximè in *pedibus*, quibus, videlicet, ad bona vel ad mala progredimur. Monent omnes communiter, unctionem *renum* esse omittendam in fœminis, propter *verecundiam*.

Ex his quoque locis perspicuum evadit, unctiones fieri solere *in modum crucis* in utraque Ecclesia. Cave tamen ne existimes hoc esse de necessitate *Sacramenti*. Quandoquidem ea necessitas inferri nequit, vel ex Apostolo Jacobo, vel ex Conciliis, vel ex Patribus, vel denique ex ipso Ecclesiæ usu.

Restat itaque inquirendum, an plures unctiones, & quæ sint de necessitate Sacramenti?

Quibusdam, unctiones v^e^ *sensuum* sunt de essentia, non unctiones *pedum* aut *renum*. Aliis unctio sufficit in *unica parte*, modò forma sit universalis, & non specifica atque determinata ad quædam peccata duntaxat. v. g. modò non dicatur solùm: *Per gustum* aut *per visum*: sed dicatur simpliciter: *Quicquid peccasti*: vel: *Quicquid peccasti per sensus*: vel: *Quicquid peccasti per visum, auditum &c.*

Placet mihi posterior ista sententia. I. quia unicâ unctione satisfit præcepto Jacobæo: *Ungentes eum oleo*: sicut unicâ ablutione satisfit præcepto Christi: *Baptizantes eos*. II. quia unctio extrema *Græcorum* valet, qui tamen non inungunt organa v^e^ *sensuum*, seu partes vicinas illorum. III. denique, quia multa Ritualia id approbant, in quibus permittitur inungi *unicâ unctione* & peste laborantes, ut Ministri periculum evitent, & eos etiam quibus *mors proxima* non sinit fieri singulas. In Codice Remigio-Remensi legitur ritus Sacramenti *abbreviatus*, in quo mentio fit unctionis unicæ. Ita se habet: *Cùm verò ingravari cœperit, ad succurrendum, factâ aquâ benedictâ dicatur oratio hæc.* DOMINE SANCTE PATER OMNIPOTENS ÆTERNE DEUS, QUI ES VIA VERITAS ET VI-

TA, EXAUDI NOS, ET CONSERVA FAMULUM TUUM ILL. HUNC, QUEM VIVIFICASTI ET REDEMISTI PRETIO ET MAGNO MUNERE SANGUINIS FILII TUI. QUI TECUM VIVIT ET REGNAT. *Tunc ungatur oleo.* UNGO TE DE OLEO SANCTIFICATO, UT SALUERIS ÆTERNALITER. IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. *Amen. Collecta.* CONCEDE DOMINE NOBIS FAMULIS TUIS, UT ORANTES CUM FIDUCIA DICERE MEREAMUR: PATER NOSTER LIBERA NOS A MALO, CUSTODI NOS SEMPER IN BONO. QUI REGNAS IN SÆCULA SÆCULORUM. *Communicet dicens:* CORPUS ET SANGUIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUSTODIAT ANIMAM TUAM IN VITAM ÆTERNAM. *Amen. Post hæc dicendum est.* AGAMUS DEO NOSTRO OMNIPOTENTI GRATIAS, QUOD TERRENÆ NOS ORIGINIS ATQUE NATURÆ, SACRAMENTI SUI DONO IN COELESTEM VIVIFICAVERIT DEMONSTRATIONEM. QUI CUM FILIO ET SPIRITU SANCTO VIVIT ET REGNAT.

Dices. Perpetua consuetudo Ecclesiæ inungentis v^e *sensuum* organa videtur arguere eas esse de necessitate Sacramenti.

Respondeo, consuetudinem hanc non esse Ecclesiæ *Orientalis.* In *Occidentali*, consuetudinem esse inungendi *pedes* & *renes*: quæ tamen unctiones *renum* & *pedum* non censentur ab adversariis ipsis esse de necessitate *Sacramenti.* Cur itaque unctiones v. *sensuum* magis essent de necessitate *Sacramenti?* Ritualia plurima quæ præscribunt ejusmodi unctiones, innuunt singulas non esse de substantia Sacramenti, quandoquidem significant *unam* aut *alteram* sufficere in quibusdam casibus. In Ecclesiis, quarum libri Rituales illud non innuunt, consulatur, quantùm fieri poterit, Episcopus, antequam infirmorum unicâ unctione inungendorum ritus usurpetur, maximè grassante peste.

Quando *unica* fiet unctio, meliùs erit, si fiat *in capite*, quàm in qualibet alia corporis parte; eo quòd ibi locum habent organa *sensuum omnium.* Vellem autem, cum Codice Remigio-Remensi, aliam partem capitis *à vertice* vel *à fronte* inungi: quô unctio ista reciperetur alibi quàm unctio Baptismi quæ in vertice, & unctio Confirmationis quæ in fronte

recipitur : facta tamen in vertice vel etiam in fronte valeret.

Quæres, quid de *mutilatis*, qui cùm mutilati ſint, non poſſunt inungi in organis ſenſuum ?

Reſpondeo, cum S. Thomã, ungendos eſſe in *partibus propinquioribus organis*, quæ inungi debuerant. Nam licèt non potuerint peccare *exteriùs* per illa membra quibus orbati ſunt, potuerunt tamen peccare *interiùs* per voluntatem.

In cæteris quiſque ſervet ritus Eccleſiæ ſuæ.

DISPUTATIO QUARTA.

De forma Sacramenti Unctionis infirmorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm hoc Sacramentum habeat aliquam formam?

SANCTUS Thomas in ſupplem. q. XXIX. a. VII. obſervat quoſdam dixiſſe, quòd *nulla eſt forma* de neceſſitate hujus *Sacramenti*. Maldonatus ad hanc quoque ſententiam aliquatenus accedit, qua parte ſcribit, non eſſe neceſſe, ut *forma* omnium Sacramentorum *verbis* conſtet: *Quia*, inquit, *forma eſt id omne per quod exprimitur ſignificans materia. Alioqui in Sacramento Matrimonii nulla eſſet forma: quia non ſunt certa verba.* Ab eadem tamen opinione plurimùm ille recedit, qua parte agnoſcit formam noſtri Sacramenti poſitam eſſe in verbis, iiſque deprecatoriis.

Prima ſit propoſitio. Opinio dicentium *nullam formam* eſſe de neceſſitate *Sacramenti* unctionis infirmorum, non tantùm falſa, ſed *præſumptuoſa* videtur & *erronea*. Ita S. Thomas ibi. Et probatur ejuſdem ratione ac verbis. *Hoc videtur*, inquit, *derogare effectui hujus Sacramenti. Quia omne Sacramentum efficit ſignificando: ſignificatio autem materiæ non determinatur ad effectum determinatum, cùm ad multa ſe poſſit habere, niſi per formam verborum: & ideo in omnibus Sacramentis novæ Legis, quæ efficiunt quod figurant, oportet eſſe & res & verba. Et præterea Jacobus totam vim hujus Sacramenti videtur conſti-*

tuere in oratione quæ est forma hujus Sacramenti, ut dicetur. Et ideo prædicta opinio præsumptuosa videtur & erronea. Et propter hoc dicendum, sicut communiter dicitur, quòd habet formam determinatam, sicut & alia Sacramenta.

Secunda propositio. Necesse est formas omnium Sacramentorum verbis constare: adeoque si forma Sacramenti unctionis non constaret verbis, non esset Sacramentum novæ Legis. Propositio probatur ratione S. Thomæ mox allatâ. Probatur etiam ex iis omnibus quæ Theologi docent de forma Sacramentorum novæ Legis in genere. Nec obstat instantia Maldonati de Sacramento *Matrimonii*: quia sententia verior est *formam* ejusce Sacramenti positam esse *in verbis Parochi*, qui est Minister illius.

Dices I. non inveniri traditam formam unctionis infirmorum à *Christo*, neque ab *Apostolis*. Ergo non habet aliquam formam.

Respondeo, inveniri apud Apostolum Jacobum hæc verba: *Et orent super eum. Et oratio fidei &c.* quibus indicatur, quòd forma sita sit in oratione quam Presbyter fundit in hunc finem super infirmos. Ita Concilium Trid.

Dices II. forma Sacramenti novæ Legis debet esse eadem apud omnes. At verba quæ proferuntur à Presbytero in celebratione unctionis infirmorum alia sunt atque alia, juxta ritus varios diversarum Ecclesiarum. Ergo verba illa non habent rationem formæ.

Respondeo, verba quædam esse eadem quoad sensum in omnibus Ecclesiis, ea scilicet quæ exprimunt orationem Sacerdotis, ut infirmi ungantur: quædam verò esse alia atque alia, quæ non sunt de essentia formæ, sed ei accidunt. Præclarè S. Thomas ad II. *Illa verba quæ sunt de essentia formæ, scilicet oratio deprecativa, ab omnibus dicuntur: sed alia quæ sunt de bene esse, non observantur ab omnibus.*

Articulus secundus.

Utrùm hæc forma debeat esse indicativa vel deprecativa?

TRIPLEX inveniri dicitur forma nostri Sacramenti apud Latinos. Prima *absoluta* tantum. Secunda *deprecativa* tantùm. Tertia denique *absoluta & deprecativa* simul.

Absoluta dicitur illis vel similibus verbis concepta: *Ungo hos oculos oleo sanctificato. In nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti.* Nuncupatur vulgò *Ambrosiana*, & putatur esse Ecclesiæ *Mediolanensis.*

Deprecativa tantùm ea est, quâ Ecclesia Romana etiamnum utitur, his terminis expressa: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti per visum &c.*

Absoluta & deprecativa simul ea est, quæ legitur in lib. Sacram. S. Gregorii in hunc modum: *Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in Regem & Prophetam. Operare creatura olei. In nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Dei altissimi & Spiritus sancti. Per eundem &c.* Qualis etiam legitur in veteri Pontificali Anglicano, in quo, præter suprà relata ex lib. Sacram. S. Greg. sequitur: *Quatenus per hujus operationem mysterii, & per hanc sacro-sancti olei unctionem atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive sanatus, pristinam &ølioratam recipere merearis sanitatem.*

Ejusdem generis est ea quæ extat in Codice Arremarensi, ubi, acceptá ampullá cum oleo, Sacerdos dicit: *Per istam unctionem & Dei benedictionem mundentur ab omni sorde & contagione peccati ac sanctificentur manus & os, cor quoque & tactus, odoratus, sensus, visus, auditus & gustus, totumque corpus & anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum nomen ejusdem Domini nostri Jesu Christi &c.* Et postea subditur: *Sic denique ungat ægrotum dicens illas orationes vicissim.* IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, SIT TIBI HÆC PERUNCTIO OLEI SANCTIFICATIONIS AD PURI-

FICATIONEM MENTIS ET CORPORIS. *Item.* IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, UNGO TE DE OLEO SANCTO IN REMISSIONEM OMNIUM PECCATORUM IN VITAM ÆTERNAM. Et poſtea, ad unumquemque ſenſuum: *Ungo oculos tuos &c.* Idem habet Codex S. Mariæ Remenſis D. annis antiquior. Eadem formula reperitur in Codice Rātoldi.

In Tiliano ſeu Sagienſi, ad unctiones oculorum, aurium, narium, labiorum, pectoris, ſcapularum, manuum & pedum verba abſoluta proferuntur. Ad unctionem capitis: *Ungo caput tuum oleo ſanctificato; In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: ut more militis uncti præparatus ad luctam ſuperare poſſis aërias catervas.* Et in gutture: *Inungo te in gutture de oleo ſancto; In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: ut non lateat ſpiritus immundus &c.* Et ubi dolor plus imminet: *Ungo te de oleo ſancto: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, obſecrans miſericordiam ipſius unius Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur vitæ virtus & ſanitas: quatenus per hujus operationem myſterii, & per hanc ſacrati olei unctionem, atque noſtram deprecationem virtute ſanctæ Trinitatis medicatus, priſtinam & magis robuſtam recipere merearis ſanitatem &c.* Et ad omnes compages membrorum: *Ungo te de oleo ſancto invocatâ magni Creatoris Majeſtate, qui juſſit per Samuëlem Prophetam ungi David Regem. Operare creatura olei &c.* Sicut in lib. Sacram. S. Gregorii. Item alia unctio. *Inungo te; In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti oleo ſancto atque ſacrato: ut virtute Spiritus ſancti tribuat tibi hæc ſacra unctio ſanitatem animæ & corporis in remiſſionem omnium peccatorum & vitam æternam.* Affinis eſt Codex Siculus.

In Codice Remigio Remenſi eadem formula ad unctiones capitis, oculorum &c. Et eatenus abſoluta dici poteſt: ſed poſtea extat concluſio unctionum ſub hæc verba deprecatoria. *In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ſit tibi hæc unctio olei ſanctificati, ad purificationem mentis & corporis, & ad munimen & defenſionem contra jacula immundorum ſpirituum.*

Similes ſunt eæ, quas Georgius Caſſander, ad Hymnum, in unctione infirmorum, qui incipit, *Chriſte cæleſtis*, obſervat ſe legiſſe, quarum prima eſt: *Ungo te de oleo ſancto: In nomine*

Patris & Filii & Spiritus sancti, obsecrans misericordiam tuam &c. ut suprà in Tilliano. Deinde secundam commemorat. *In alio*, inquit, *pervetusto Codice lego singulis unctionibus hæc verba præmitti solere. N.* IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI ACCIPE SANITATEM. *In pedum verò unctione hoc modo N.* IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SURGE ET AMBULA IN PACE. De tertia autem subjicit. *Alibi inter cæteras hanc formulam reperi.* IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI ACCIPE SANITATEM. HÆC UNCTIO PER SIGNUM SANCTÆ CRUCIS, ET PER OLEUM SANCTIFICATUM, ET PER DONUM SPIRITUS SANCTI FIAT TIBI AD SANITATEM.

In veteri Suessionensis Ecclesiæ Rituali Typis mandato ante c. annos, quando auris dextra inungebatur, Sacerdos dicebat: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti accipe sanitatem in nomine Domini. Amen.* Et ad pedes. *Accipe sanitatem in nomine Domini nostri Jesu Christi, surge & ambula.*

Apud Græcos purè deprecatoria est, verbis istis quæ leguntur in Euchologio contenta. *Pater sancte, animarum & corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti: sana quoque servum tuum N. à detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Christi tui gratiam: intercessionibus super omnes S. Dominæ nostræ Deiparæ & semper Virginis Mariæ, protectionibus venerandarum supercælestium virtutum incorporearum, virtute pretiosæ ac vivificæ crucis, honorandi gloriosi Prophetæ Præcursoris & Baptistæ Joannis, sanctorum gloriosorum, & toto orbe celebrium Apostolorum, sanctorum gloriosorum & victoriis clarorum martyrum, & Deiferorum Patrum nostrorum, sanctorum medicorum mercede non conductorum Cosmæ & Damiani, Cyri & Joannis, Pantaleonis & Hermolaï, Sampsonis & Diomedis, Photii & Aniceti, sanctorum & justorum Dei parentum Joachim & Annæ, & omnium sanctorum. Amen. Quia tu es fons sanitatum, Christe, & Deus noster, & tibi gloriam referimus Patri & Filio & sancto Spiritui: nunc & semper, & in sæcula sæculorum.* Quòd enim forma *Extremæ-unctionis* apud Græcos posita sit in hac *oratione*, docet Neophytus Rhodinus in sua synopsi vernacula, jussu & impensis Congregationis *de propaganda fide* Romæ editâ & approbatâ. *Forma*, inquit, *est oratio illa, quam dicit Sacerdos, cùm*

Respondeo, cum S. Thoma ad II. quòd per ipsum actum, qui ponitur in forma, scilicet (*Per istam sanctam unctionem*) intentio Ministri satis exprimitur.

Secunda propositio. Forma *mixta ex absoluta & deprecativa* est legitima. Probatur I. quia adjunctio orationis *absolutæ*, seu indicativæ orationi *deprecatoriæ*, non facit ut oratio deprecatoria non sit deprecatoria. Ergo neque facit ut inepta sit atque minùs idonea forma Sacramenti Extremæ-unctionis. II. quia vetustiora Pontificalia & Ritualia, de quibus antea, docent nos formam istius generis usurpatam fuisse in veteri Ecclesia : nemo autem prudens dixerit, quòd tunc non erat legitimum Sacramentum ex defectu formæ legitimæ. III. quia eadem forma est adhuc in usu in nonnullis Ecclesiis, Veneta, v. g. & (quod quidam referunt) Attrisbatensi.

Tertia propositio. Forma *purè absoluta* seu indicativa non videtur esse legitima. Ita S. Thomas a. VIII. contra Albertum Magnum in IV. dist. XXIII. a. IV. Paludanum, Durandum, Aureolum, & alios quibus placet, quòd quemadmodum forma *Baptismi* est *absoluta in Occidente*, & *deprecatoria in Oriente*; ita *quibusdam in Ecclesiis* forma Extremæ-unctionis est *indicativa seu absoluta*, & in aliis *deprecatoria* ; consuetudinemque in talibus esse servandam, adeo ut peccaret ille graviter, qui uteretur formâ deprecatoriâ in Ecclesiis in quibus forma indicativa seu absoluta viget.

Probatur nostra propositio I. quia Jacobus Apostolus exprimit formam unctionis extremæ per *orationem super infirmum :* quæ vox, secundùm sensum naturalem, significat orationem *deprecativam*, & non indicativam.

II. Nullibi usurpata est unquam forma *purè absoluta* seu indicativa in administratione nostri hujus Sacramenti. Quod enim dicitur hæc esse forma Ambrosiana : *Ungo hos oculos oleo sanctificato &c. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti :* quæ est purè indicativa seu absoluta, parum movet : quandoquidem, ut habet S. Thomas, *non est forma, sed dispositio ad formam, in quantum intentio Ministri determinatur ad actum illum per illa verba.* Quod (scilicet esse dispositionem ad formam) intelligitur de ritu earum Ecclesiarum, in quibus ista verba *præmittuntur orationi.* Nam in cæteris Ecclesiis in quibus eadem verba pronunciantur *post orationem*, verba sunt ad

majorem expressionem actûs Ministri instituta, & non *dispositiones*. Hoc illustratur ex variis libris Sacramentorum. In lib. Sacram. S. Gregorii duo hæc distinguuntur, *oratio ad inungendum infirmum*, quæ incipit: *Inungo te de oleo sancto &c.* & *verba quæ multi Sacerdotes inungentes proferebant*, & tota consistebant in invocatione SS. Trinitatis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Quæ pura putaque SS. Trinitatis invocatio certò certiùs non est forma Sacramenti unctionis infirmorum. Inde dico. Ut in lib. Sacram. S. Gregorii ad unctiones v. sensuum distinctas, & ad unctiones cæterorum membrorum hæc verba proferebantur: *In nomine Patris &c.* ita post orationem istam: *Ungo te de oleo sancto &c.* in veteri Pontificali Anglicano ad inunctiones singulorum sensuum & membrorum hæ voces usurpabantur: *Ungo oculos tuos &c. Ungo aures tuas &c.* Ut ergo illic alia forma est ab invocatione Trinitatis; ita & hîc alia forma est ab istis verbis: *Ungo oculos tuos &c.* eaque utrobique deprecatoria. Idem dicas de Codice Arremarensi, seu reponere sit animus formam in oratione ista, quam Sacerdos acceptâ ampullâ cum oleo dicit: *Per istam unctionem & Dei benedictionem mundentur ab omni sorde & contagione peccati, ac sanctificentur manus, & os, cor quoque, & tactus, odoratus, sensus, visus, auditus & gustus, totumque corpus & anima tua, ut idoneus efficiaris ad invocandum nomen Domini nostri. Reddat tibi Dominus lætitiam salutaris sui, & spiritu principali confirmet te, Spiritum sanctum innovet in visceribus tuis, & ne auferat illum à te, sed juxta magnam pietatem suam, nunc & in æternum consoletur te. Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti descendat super te, quæ copiosè suprà defluat, & in interiora totius corporis tui descendat interiùs, exteriúsque te repleat atque circumdet, ac sit semper tecum permanens in sæcula sæculorum. Amen.* Sive magis placeat agnoscere *formam* esse *orationem* aliam, quæ subsequitur unctionem, inscribitur, *Oratio pro unctione olei*, & est ejusmodi: *Jesu Salvator noster, & Domine, qui es vera salus & medicina, à quo & cujus est vera salus & medicina, qui Apostoli voce nos instruis, ut morbidos olei liquore inungentes tuæ postulemus misericordiam pietatis. Respice propitius super hunc famulum tuum ab illa mirabili summitate cælorum: ut quem languor curvat ad exitum, & virium defectio jam protrahit ad occasum, medela tua gratia saluti restituat castigatum. Extingue in eo Do-*

mine

mine libidinum & febrium æstus, dolorum stimulos, ac vitiorum contere cruciatus, ægritudinum & cupiditatum tormenta dissolve, superbiæ inflationem tumoremque compesce, ulcera putredinumque putredines evacua, viscera interna, cordiumque ac medullarum & cogitationum sana discrimina, conscientiarum atque plagarum obducito cicatrices, physicis, typhicisque adesto periculis, veteres immensasque remove passiones, opera carnis ac sanguinis materiamque compone, ac delictorum illi veniam propitiatus attribue. Sicque illum tua jugiter custodiat pietas, ut nec ad incorrectionem aliquando sanitas, nec ad perditionem, te auxiliante, nunc perducat infirmitas: fiatque illi hæc olei sacra perunctio cuncta morbi præsentis expulsio, & peccatorum omnium optata remissio. Per te Christe Jesu Salvator & Redemptor noster, qui cum Deo Patre &c. Idem esto judicium de Codice Ratoldi. Idem de Tilliano. Idem denique de Remigio-Remensi. Adde quòd, post hæc verba: *Ungo oculos tuos &c.* in quibus Ambrosiana forma dicitur consistere, sequuntur verba ista deprecatoria: *Ut more militis uncti præparatus ad certamen, possis aëreas potestates superare.* Similiter in forma quæ Veneta dicitur, adjungitur: *Ut quicquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur, Per Christum Dominum nostrum.* Quare etiamsi formæ istæ incipiant indicativè seu absoluto modo; quia tamen terminantur modo deprecatorio, censentur eædem esse cum nostris.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm forma hæc, quam Ecclesia Romana usurpat: Per istam sacram unctionem &c. sit competens?

NOSTRA propositio est affirmans, ut S. Thomas. q. cit. a. IX. quam probamus cum ipso: quia scilicet exprimitur in illa Sacramentum, in eo quòd dicitur: *Per istam unctionem*: & id quod operatur in Sacramento, scilicet *divina misericordia*: & effectus, scilicet *remissio peccatorum*.

Nec dicas I. ut competens esset forma, deberet in ea fieri mentio *materiæ*, sicut fit mentio materiæ in formis aliorum Sacramentorum, quod hic non occurrit. Nam I. expressè fit mentio unctionis quæ est materia proxima. II. implicitè

fit mentio materiæ remotæ, in quantum fit mentio expressa proximæ.

Nec dicas II. frustra in eadem commemorari divinam *misericordiam*, quandoquidem ea non commemoratur in formis cæterorum Sacramentorum, quorum tamen effectus sunt æque à misericordia divina, ac est effectus inunctionis infirmorum. Nam, ut habet S. Thomas hîc ad II. *Misericordia respicit miseriam: & quia hoc Sacramentum datur in statu miseriæ, scilicet infirmitatis, ideo potiùs hîc, quàm in aliis formis fit mentio misericordiæ.*

Quæres, quænam verba formæ istius sint *essentialia*, utrùm omnia, vel aliqua duntaxat?

Respondeo, videri hæc esse essentialia: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus.* Cætera posita sunt ad majorem expressionem. Probatur: quia per hæc exprimuntur actus, *causa principalis, subjectum* & *effectus.* Actus quidem: *Per istam unctionem.* Causa principalis, *Deus:* subjectum, *tibi:* effectus, *indulgeat.* Misericordia Dei includitur in verbo (*indulgeat,*) ut & quod significatur verbis istis, *quicquid peccasti.* Nam Deus indulget peccatori.

Dices. Videri exprimendos esse sensus per quos peccamus.

Respondeo, ad majorem & uberiorem expressionem id quidem desiderari, sed non simpliciter. Nam vox (*indulgeat*) includit peccata quælibet. Neque verò unctio v. *sensuum* necessaria est, ut diximus, necessitate *Sacramenti.* Et si necessaria ea esset, non idcircò necesse foret verbis exprimere sensus, qui inunguntur.

DISPUTATIO QUINTA.

De effectibus Sacramenti Unctionis infirmorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm remissio peccatorum sit effectus Unctionis infirmorum.

CONCILIUM Trid. docet effectum nostri Sacramenti esse *gratiam, quæ delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit: quæ ægroti animam alleviat ac confirmat, magnam in eo Divinæ gratiæ fiduciam excitando, quâ infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Eam porro doctrinam stabiliri significat authoritate sancti Jacobi. De quibus effectibus dicendum nobis est, initio ducto à remissione peccatorum.

Quærunt Theologi duo. Alterum, utrùm *remissio peccatorum* sit *proprius* effectus unctionis infirmorum? Negant eorum aliqui, maximè è Schola S. Thomæ, sustinentes eam esse effectum duntaxat *per accidens*, putantque se fundamentum habere in modo loquendi conditionato Apostoli: *Et si in peccatis sit &c.* Alterum, de quo controvertitur, est (dato quòd remissio peccatorum sit effectus *proprius* hujus Sacra-

menti) an *mortalium*, an verò solùm *venialium*? S. Bonav. in IV. dist. XXIII. q. I. Scotus q. unicâ. Richardus q. v. Durandus q. I. Glossa & multi Canonistæ super c. I. *de sacra unctione*, contendunt effectum proprium nostri Sacramenti esse remissionem peccatorum venialium, non *originalis*, quod per Baptismum remittitur: non *mortalium* à Baptismate suscepto commissorum, quæ deleri debent per Pœnitentiam. *Et hoc*, inquit Bonaventura ibidem, *communis opinio tenet*.

Prima sit propositio. Remissio peccatorum est effectus proprius unctionis infirmorum. Probatur I. ex modo loquendi Scripturæ Jacobi v. *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Quibus verbis constat peccata remitti per Sacramentum unctionis. Quòd verò remittantur *per se*, & non solùm *per accidens* atque conditionatè, probo. I. quia non est fundamentum sufficiens dicendi id convenire illi *per accidens* duntaxat in hac particula (*si*) positum. Quandoquidem, ut ostendimus disput. II. a. II. particula hæc non semper significat in Scripturis *conditionem rei dubiæ*, sed significat sæpius *concessionem rei certæ*: quòd autem eo loci ipsa particula non significet *concessionem rei certæ*, sed *conditionem rei dubiæ*, adversarii ut probent aliquid docere debent, aut frustra proferunt: sed docere non possunt. II. quia Scriptura significat hoc modo loquendi remissionem peccatorum esse effectum Extremæ-unctionis *speciali quadam ratione*, qualis ratio non convenit cæteris Sacramentis *vivorum*, puta Confirmationi aut Eucharistiæ, quæ tamen conferunt *per accidens* remissionem peccatorum. Ergo Extrema-unctio eam confert *per se*, & non solùm *per accidens*.

Probatur II. ex verbis formæ receptæ in Ecclesia Romana: *Per istam unctionem indulgeat tibi Deus quicquid peccasti per visum*: & sic de cæteris. Nam cùm Sacramenta illud efficiant quod significant, & significetur verbis istis remissio peccati; consequitur remissionem peccatorum effici per illud Sacramentum, idque *per se*: quia qui effectus significatur per verba formæ Sacramenti, est effectus *per se* illius.

Probatur III. ex modo loquendi SS. Patrum appellantium unctionem infirmorum *complementum Pœnitentiæ*. Quæ nuncupatio indicat culpam remitti per illud.

Probatur IV. ex Patribus expresse docentibus *peccata dimitti* per unctionem infirmorum. Origenes Homil. cit. in

Leviticum scribit *peccata remitti per duram & laboriosam Pœnitentiam*, ad quam revocat unctionem nostram, tanquam ejusdem *Pœnitentiæ complementum*. Chrysostomus lib. III. de Sacerdotio, probat *Presbyteros habere facultatem condonandorum fidelibus peccatorum ex illo Jacobi* V. INFIRMATUR &c. Quæ probatio futilis est, si peccata non remittuntur per unctionem infirmorum. Augustinus Sermone CCXV. de Tempore, attribuit duos effectus unctioni nostræ, *sanitatem corporis*, & *indulgentiam peccatorum*. Eadem est mens Gregorii Magni lib. Sacram. Eligius Noviom. Serm. cit. pronunciat, quòd confert *animæ sanitatem*. Idem vetus Pontificale Anglicanum, Arremar. Gemeticense, Tillianum, Remigio-Remense &c. cum Codice Ratoldi, à quo vocatur *animæ medicina*. Conc. Cabil. II. definit esse *medicinam quæ animæ corporisque medetur languoribus*. Conc. Regiaticense ait esse *Sacramentum* per quod *remittuntur peccata*, confertur *spiritualis cura*, exhibetur *medicina*. Author Elucidarii apud Anselmum. *Peccata*, inquit, *confessa & non iterata, vel quotidiana per hanc unctionem relaxantur*. Petrus Damiani Serm. in Dedic. Ecclesiæ perspicuè habet, quòd *peccata mortalia dimittit*. Gofridus Vindocin. opusculo IX. appellat eam *medicinam sanctam*. Yvo Carnot. Epist. cit. *publicæ Pœnitentiæ Sacramentum*. Petrus Cluniac. suprà, scribit institutam esse *propter peccatorum remissionem*. Hugo à S. Victore. *Res Sacramenti remissio, quæ ex interiori unctione confertur*. Et alibi eam appellat *medicinam ad morbum cohibendum*.

Ad hæc respondent adversarii: nomine peccati intelligi *pœnam* culpæ debitam, seu *reliquias* peccatorum, & non *culpam ipsam*.

Contrà I. Pœna peccati in proprietate locutionis non potest appellari *peccatum*; sed, quantùm fieri potest, Scripturæ verba accipienda sunt in sensu proprio: & verba formarum Sacramentalium usurpantur semper in sensu proprio. II. Concilium Trid. distinguit inter *peccata* quæ dimittuntur per Extremam-unctionem & *peccatorum reliquias*, quæ absterguntur per eandem unctionem. Ergo peccatorum reliquiæ non intelliguntur nomine peccati. III. Si valeret ejusmodi responsio, dici posset pariter, quòd culpa non dimittitur in Sacramento Pœnitentiæ per absolutionem Sacramentalem: quod absurdum.

Secunda propositio. Effectus Sacramenti Extremæ-unctionis *per se* non est sola remissio *venialium*, sed etiam *mortalium*. Est contra plurimos Thomistas. Probatur 1. ex citatis verbis Apostoli: *Et si in peccatis sit &c.* Et ex verbis Conc. Trid. *Delicta si quæ sunt adhuc expianda &c.* Quæ verba æque imò magis significant *mortalia* quam *venialia* peccata. (*Æque*) dico, quia propositio utrobique indefinita. Addo (*imò magis*,) quia nomen peccati seu delicti simpliciter positum supponit pro *mortali* potius quàm pro *veniali*.

Probatur II°. ex ipsa forma, cujus verba sunt universalia: *Quicquid peccasti.* Nam voces istæ universales involvunt mortalia ipsa peccata.

Probatur III. Patres laudati loquuntur absolutè. Ergo de peccatis etiam mortalibus.

Objicies 1. Extrema unctio est Sacramentum *vivorum* & non *mortuorum*, ex omnibus Theologis agnoscentibus solum *Baptismum* & *Pœnitentiam* pro Sacramentis *mortuorum*. Ergo remissio peccatorum mortalium non est effectus *per se* unctionis extremæ.

Respondeo, Sacramenta *mortuorum* ea dici, quæ ex *primaria intentione* propriæ institutionis remittunt peccata *mortalia*. Sed Extrema-unctio non est hujus generis, eaque remittit tantùm ex *secundaria intentione*, cum primaria intentio ejus sit conferre gratiam confortantem atque alleviantem.

Quod ut intelligatur, distinguenda est *triplex* ratio, quâ *peccatum mortale* remittitur in Sacramentis nostris. Prima est *per se ex primaria intentione* propriæ institutionis: & hæc est propria *Baptismi* atque *Pœnitentiæ*. Secunda est *per se ex secundaria intentione* propriæ institutionis: & hæc est peculiaris unctionis infirmorum. Tertia denique est *per accidens*, quæ convenit cæteris quatuor Sacramentis. Quòd enim *per se ex secundaria intentione* propriæ institutionis peccata possint deleri per nostram unctionem, ex eo probatur quòd Scripturæ loquantur de remissione peccatorum per Extremam unctionem *alio modo* quàm per cætera Sacramenta *vivorum*. Concilium Trid. expresse quoque eandem connumerat inter ejus effectus, conformiter sanctis Patribus. At verò si spectaret tantùm remissio peccatorum ad Extremam-unctionem tanquam ad causam *per accidens*, non sic expresse enumeraretur à Conciliis & Patribus inter ejus effectus, quemadmodum non

enumeratur inter effectus cæterorum Sacramentorum, quæ dicuntur *vivorum*. Itaque cùm constet non esse effectum *per se ex primariâ intentione* propriæ institutionis, cùm constet etiam non esse effectum *per accidens* superest eam dici effectum per se ex secundaria intentione propriæ institutionis.

Objicies II. duo Sacramenta non ordinantur ad eundem effectum. Sed *Pœnitentia* ordinatur ad delendum peccatum *mortale*. Ergo unctio extrema non ordinatur ad illud.

Respondeo I. argumentum istud æque solvendum esse asserentibus remitti peccata *venialia* vi unctionis extremæ *per se*; ac nobis, qui contendimus deleri etiam *mortalia* peccata vi illius *per se*. Quia quamvis Sacramentum Pœnitentiæ sit principaliter institutum ad remissionem culpæ mortalis, neque veniale peccatum sit materia ejus essentialis, est tamen ejus materia, & ordinatur per se ad remissionem utriusque: quod forma ista significat: *Ego te absolvo*. II. fortè major vera est de duobus Sacramentis ordinatis *ex primariâ intentione* propriæ institutionis ad eundem effectum: sed non est vera de illis ad eundem effectum *secundùm duplicem intentionem* ordinatis, quali modo *Pœnitentia* & *Extrema-unctio* ordinantur ad remissionem culpæ mortalis, hæc ex *secundaria* intentione, illa ex *primaria*. Vel III. responderi potest, majorem esse veram pro *eodem statu*, atque pro *iisdem circumstantiis*: falsam pro *diverso statu* & *diversis circumstantiis*. Pœnitentiam esse pro remissione culpæ mortalis, quatenus homo est in *statu viæ*, seu in *itinere*: & Extremam-unctionem esse pro remissione culpæ mortalis, quatenus homo est *in statu egrediendi*. Seu, Pœnitentiam esse pro remittendis culpis, quas homo iterare potest, cùm sit in statu viæ: unctionem esse pro remittendis culpis, quas homo *non præsumitur iteraturus*, cùm sit in statu egrediendi.

Objicies III. ex Elucidario apud Anselmum, Extrema-unctio non prodest ei qui de peccato pœnitentiam non egit. *Si*, inquit, *de peccato pænitentiam non egit, ista unctio non solùm ei nihil prodest, sed etiam multùm obest*. At ejus qui de peccato egit Pœnitentiam, remissa est culpa. Ergo Extrema-unctio non est instituta ad remissionem culpæ.

Respondeo, locum hunc posse exponi de homine qui pœnitentiam agere contempsit vel neglexit. Ille, si depressus infirmitate ungatur sine dolore de suis peccatis, oberit plu-

rimùm, nullo modo proderit nostrum Sacramentum. Liquet ex Pontificali Anglicano, infirmos inungendos præmittere solitos *confessionem peccatorum.* Et ex Codice Tilliano, anteaquam ægrotus inungeretur, *confitebatur omnimodis, Deo & Sacerdoti suo pariter omnia peccata sua, & reconciliationem ab eo percipiebat plenam.* Ita ex duobus istis locis planum fit postulari ab inungendis ante omnia confessionem suorum peccatorum, neque illos nisi per absolutiouem Sacramentalem reconciliatos, admissos fuisse ad unctionem, quæ inunctio continenter administrabatur cum Sacramento Pœnitentiæ. Sic infirmus remissionem suorum delictorum consecutus ungebatur. Sed constat ex aliis Codicibus antiquis, Arremarensi, Ratoldi, atque etiam ex eo, quem Menardus publici juris fecit lib. Sacram. S. Gregorii, quòd confessio & absolutio Sacramentalis etiam tempore præcesserat administrationem Sacramenti unctionis: quia ergo per illud tempus intermedium contingere poterat, ut infirmus in peccatum aliquod seu *mortale*, seu *veniale* prolaberetur, illa peccata fortè remitti censebantur per unctionem extremam: & hoc sensu verba Jacobi possunt exponi conditionatè: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Sunt qui existiment peccata mortalia post Pœnitentiam & Eucharistiam ab infirmo susceptam commissa remitti solummodo per Sacramentum Extremæ-unctionis, quando qui commisit ea se commisisse ignorat, aut quando propter qualitatem morbi, neque confiteri potest infirmus aut ulla signa dare contritionis & doloris, neque Eucharistiam percipere, potest autem inungi. Et in hac sententia fuit B. Thomas lib. IV. contra gentes c. LXXIII. scribens. *Contingit quòd homo omnium peccatorum quæ commisit notiam vel memoriam non habet, ut possit per pœnitentiam singula expurgare: sunt etiam quotidiana peccata sine quibus præsens vita non agitur, à quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari &c.* Ad quem locum Ferrariensis hæc observat. *Ex doctrina S. Thomæ sic intelligitur dimitti culpa per Extremam unctionem, quòd tamen adsit pænitentia in proposito ipsam Extremam unctionem suscipientis, quando ipsam exteriorem Pœnitentiam suscipere non potest. Tunc enim ex hoc Sacramento, simul cum proposito & desiderio confessionis, confertur gratia per quam culpa remittitur: & sic non sequitur quòd Pœnitentia Sacramentum sit superfluum. Attendendum autem, cùm vult*

S. Thomas

S. Thomas per hoc Sacramentum emundari hominem à peccatis quæ in memoria non habet : quod hoc intelligendum est, quando talia peccata priùs per Pœnitentiam non sunt dimissa, puta quia homo non est usus debita diligentia ad recolendum ea : tunc enim homo in extremo positus, si adsit dolor generalis eorum, quorum per incuriam fuit oblitus, per hoc Sacramentum ab omnibus emundatur.

Objicies IV. Effectus *proprius* cujusque Sacramenti ex ipsa ejus significatione debet accipi. Adhibetur autem hoc Sacramentum secundum modum cujusdam medicationis, sicut Baptismus per modum ablutionis : & medicina est ad pellendam infirmitatem. Sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem : & ideo hoc Sacramentum non datur contra defectus quibus spiritualis vita tollitur, scilicet contra peccatum originale vel mortale, sed contra illos defectus quibus homo spiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ vel gloriæ : & hic defectus nihil est aliud quàm quædam debilitas & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali vel originali. Ita S. Thomas in c. a. I. q. XXX. supplementi.

Respondeo, distinctionem hanc intercedere inter morbum *corporeum* & *spiritualem*, quòd morbus quilibet corporeus morbus sit, & non mors; morbus verò aliquis spiritualis etiam sit mors animæ. Sic enim videmus peccatum *mortale* in Scripturis & apud Patres aliquando vocari *mortem*, & aliquando appellari *infirmitatem*. Sic etiam Sacramentum Pœnitentiæ dicitur & *vivificare* animam & *sanare* eam, in quantum delet, & sub ea ratione quâ delet ab anima peccatum mortale, quod appellatur *mors animæ*; quia tollendo gratiam occidit animam : & appellatur *infirmitas*, secundùm quod impedit rectam operationem ejus. Sed dato quòd non sit distinguendum inter *corporeum* morbum & *spiritualem*, eo modo quo distinximus ; & supponendo morbum spiritualem arguere vitam esse in infirmo : responderi potest, majorem esse veram de effectu ad quem Sacramentum ordinatur *ex primaria intentione* propriæ institutionis : sed unctionem nostram ex *secundaria* duntaxat ratione esse ordinatam ad remissionem culpæ mortalis.

Objicies V. Sacramentum quod præsupponit *absolutionem*

Sacramentalem non remittit culpam, ſed remiſſam ſupponit. Atqui Sacramentum Extremæ-unctionis ſupponit abſolutionem Sacramentalem.

Reſpondeo I. Sacramentum quod præſupponit *abſolutionem Sacramentalem* non remittere culpam *dimiſſam per hanc abſolutionem*; poſſe tamen illud remittere *culpam peccati commiſſi poſt receptam hanc abſolutionem Sacramentalem*. Unctio noſtra extrema, ut ſuprà diximus, ſupponit abſolutionem peccatorum commiſſorum *in ſtatu viæ ſeu itineris*; remittit verò ea peccata, *ſi quæ ſint commiſſa à tempore ſuſceptæ abſolutionis in infirmitate*, ſive ea commiſiſſe infirmus *ignoret*, ut placet quibuſdam, ſive *non ſit neſcius*, quod fortè videretur aliis. II. reſpondeo, Sacramentum Extremæ-unctionis ſupponere *abſolutionem Sacramentalem de lege communi*, & tamen propter *varia pericula* vitæ contingere poſſe, ut infirmus *non ſuſcipiat* abſolutionem Sacramentalem, quia fortè peccata delenda non occurrunt *memoriæ ex incuria*; aut ſi occurrant, infirmus *nulla ſigna doloris & contritionis edit*, & tamen inungatur: quo caſu unctio non ſupponit abſolutionem Sacramentalem, & remittit culpas peccatorum.

Objicies VI. Si Extrema-unctio eſſet inſtituta ad remiſſionem culpæ, poſſet conferri *ſanis* æque ac *ægrotis*.

Reſpondeo, negando ſequelam, juxta mentem Eccleſiæ *Latinæ*: quæ ſentit inſtitutam eſſe duntaxat in remiſſionem peccati *infirmorum*. Et juxta ſenſum *Orientalium*, concedo ſequelam: quia in Eccleſia Græca *ſanis* æque adminiſtratur ac *ægris*.

Objicies VII. Forma Extremæ-unctionis non eſt judicialis, ſed *deprecativa*. Ergo culpa mortalis non remittitur in hoc Sacramento.

Reſpondeo, negando conſequentiam: quia Chriſtus inſtituit, ut *duobus modis* peccata mortalia remitterentur per Sacramenta tanquam per cauſas *per ſe*: commiſſa ſcilicet, ex *primaria intentione* propriæ inſtitutionis, in Sacramento Pœnitentiæ; & in Sacramento unctionis extremæ, *ex ſecundaria intentione* propriæ inſtitutionis.

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm abstersio reliquiarum peccati sit effectus Sacramenti Extremæ-unctionis?

RELIQUIARUM peccati nomine tria possunt intelligi: *Reatus pœnæ temporalis : pravæ dispositiones ad peccandum*, quæ contrahuntur per frequentes actus peccatorum : ac denique quidam *animi torpor, debilitas, atque ineptitudo* ex originali vel actuali peccato proveniens, per quas fit ut homo non habeat vigorem ad actus vitæ spirituales. Nam præter *habitus vitiosos*, inest in homine ex peccato quædam *ineptitudo, debilitas & languor ad operandum bonum*, ita ut non habeat perfectum vigorem ad actus exercendos vitalis gratiæ, quæ ineptitudo seu debilitas & languor non tollitur statim atque peccati culpa deletur. Et hoc elucidatur optimè per similitudinem ad infirmitatem naturalem. Ut enim sublatâ infirmitate corporea, remanet in homine quædam debilitas, quâ permanente, non habet perfectum vigorem ad exercenda opera vitæ ; sic infirmitate spirituali, seu culpa mortali sublatâ, remanet adhuc in homine quædam debilitas ad exercendas operationes vitæ spiritualis.

Nostra sit propositio. Tria ista genera reliquiarum peccati tolluntur per unctionem extremam. Probatur. Sacramentum *ultimum* & quodammodo *consummativum totius spiritualis curationis* debet abstergere omnes istas peccati reliquias : nam illis vel earum aliquibus removentibus non intelligitur curatio plenè perfectéque consummata. Atqui ex S. Thoma lib. IV. contra Gentes c. LXXIII. *Hoc Sacramentum est ultimum & quodam modo consummativum totius spiritualis curationis.* Et hoc idem S. Doctor verbis antecedentibus istis confirmat. *Quia*, inquit, *huiusmodi infirmitates spirituales per pœnitentiam sunt curandæ, prout pœnitens per opera virtutis quibus satisfaciendo utitur, à malis retrahitur, & ad bonum inclinatur. Sed quia homo vel per negligentiam aut per occupationes varias vitæ, aut etiam propter temporis brevitatem, aut propter alia huiusmodi prædictos defectus in se perfectè non curat; salubriter ei providetur, ut per hoc Sacramentum prædicta curatio compleatur, &*

à reatu pœnæ temporalis liberetur : ut ſic nihil in eo remaneat quod in exitu animæ à corpore eam poſſit à perceptione gloriæ impedire.

Dices I. Ex hac noſtra propoſitione ſequitur quòd qui ſuſcepta unctione ex hac vita diſcedit, *ſtatim beatitudine donatur*, neque ignibus *Purgatorii* debet purgari ; & ſic quòd non eſt *ſacrificium* offerendum pro illo, neque etiam *orationes* faciendæ, aut *eleemoſynæ* erogandæ : quod eſt contrarium intentioni Eccleſiæ, quæ iiſce ſubſidiis opitulatur illis quos inunxit.

Reſpondeo negando ſequelam. Quia, ut Ferrarienſis obſervat ad c. cit. S. Thomæ, ex eodem S. Doct. in IV. diſt. XXIII. q. I. a. II. quæſtiunc. II. ad II. *Non remittitur ſemper totaliter reatus pœnæ temporalis, ita quòd poſt mortem homo ad nullam ſatisfactionem teneatur ; ſed tunc tantùm, quando adeſt interior diſpoſitio ad remotionem talis reatus ſimul cum hoc Sacramento ſufficiens. Eſt enim hoc Sacramentum ad remotionem omnis reatus remanentis poſt culpam ordinatum, quando in ſuſcipiente eſt conveniens diſpoſitio.* Pergit Ferrarienſis in hæc verba. *Dicitur* II. *quòd ſemper aliquo modo remittitur reatus, in quantum remota debilitate quæ erat ex peccato, fit levior pœna : eandem enim pœnam leviùs (inquit S. Thomas) portat fortis quàm debilis.*

Dices II. Habitus vitioſi non tolluntur niſi per *actus contrarios* : & experientia docet, quòd non omnes, qui percepta unctione, reſtituuntur priſtinæ ſanitati, exuuntur illis.

Reſpondeo hominem, qui poſt unctionem rite ſuſceptam ex hac vita diſcedit, exui vitioſis ſuis habitibus *vi Sacramenti in ipſo mortis inſtanti operantis talem effectum* : eum verò cujus ſanitas reparatur per unctionem, aut iis *non exui*, quia Sacramentum non eſt productivum iſtius effectus, niſi *pro tempore exitus* : aut ſi vim habeat illum operandi, etiam pro alio tempore ; quia non operatur illum niſi *ratione diſpoſitionis* ſubjecti ; conſequens eſſe inunctos ejuſmodi non habuiſſe tantum diſpoſitionis quantum neceſſe eſt ad ponendum illum effectum.

Dices III. Si debilitas iſta removeri poſſet per aliquod Sacramentum, removeretur potius per Sacramentum quod *ſanis* confertur, quàm per Sacramentorum *infirmorum* : quia

infirmitas semper est in vita præsenti, & sani tenentur magis operari quàm infirmi.

Respondeo negando sequelam. Prima ratio cur debilitas ista removetur potiùs per Sacramentum *infirmorum*, quàm per Sacramentum *sanorum* est sola Christi voluntas. Adde, quòd major est necessitas ut ægroti eo adjuventur auxilio, quàm ut sani: tum quia tristitiâ quadam & anxietate laborantes ex morbo, minùs idonei habentur ad actus spirituales, juxta illud Scripturæ: *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*: tum etiam quia cùm adversariorum conatus circa ea tempora majores sint, atque lapsus eò periculosiores, quò non superest pœnitentiæ tempus, decuit divinam providentiam nobis eo maximè tempore opitulari, remotione torporis istius, debilitatis atque infirmitatis.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm allevatio animæ, ejusque confirmatio sit effectus unctionis extremæ.

PROPOSITIO est affirmans, quam docet Concilium Trid. & explicat pronunciando Sacramentum hoc *alleviare ægroti animam atque confirmare, magnam in eo divinæ gratiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit.*

Probatur inprimis ex verbis Jacobi: *Et alleviabit eum Dominus.* Græcum habet ἐγερεῖ, *eriget.* Codices nonnulli: *allevabit.* Innocentius I. *suscitabit.* Quæ omnia verba unam eandemque rem significant, nimirum gratiam quâ animus erigitur, erectus morbi fert incommoda, & resistit adversariis salutis suæ.

Probatur II. Extrema-unctio vulgò dicitur *Sacramentum spei*, quemadmodum Baptismus & Confirmatio dicuntur *Sacramenta fidei*, Eucharistia *Sacramentum amoris.* Quæ nuncupatio non habet aliud fundamentum ab hoc ejus effectu: proprium quippe est spei nos erigere: sperantes patimur ut oportet, sperantes vincimus.

Probatur III. Id significatur in Sacramentis per res sensi-

biles, quod efficitur interiùs. At verò, ut Victor Antiochenus ad c. VI. Marci observat, *Oleum inter alia & laborum molestias mitigat, & lumen fovet, & hilaritatem conciliat*: hoc est significat alleviationem & robur.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrùm sanitas corporea sit effectus unctionis extremæ?

PROPOSITIO est affirmans: probaturque I. ex illo Jacobi v. *Et oratio fidei salvabit infirmum.* II. ex Concilio Trid. suprà his verbis. *Et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* III. ex Patribus. Aug. Serm. CCXV. de Tempore. Cyrillo Alex. l. VI. de Adorat. in spiritu & verit. Victore Antioch. ad c. VI. Marci. Greg. Magno lib. Sacram. Eligio Noviom, Serm. ad populum. Beda in c. v. Epist. S. Jac. Veteri Pontificali Anglic. cæterisque laudatis Pontificalibus & Ritualibus. Capitularibus Caroli Magni lib. VI. c. LXXVI. Concil. Cabilon. II. Can. XLVIII. Regiaticensi c. VIII. Agobardo Lugdun. Epist. cit. &c.

Objicit I. Lutherus. Quod non datur nisi *discessuris* non confert sanitatem corpoream. Atqui usus Ecclesiæ vult unctionem infirmorum non dari nisi *discessuris.*

Respondeo, in *Orientali* Ecclesia conferri *sanis* & *infirmis*: in *Occidente*, quibuslibet *graviter ægrotantibus.* Quando causa est ordinata ad plures effectus disparatos, potest assumi ad ponendum unum ex illis, non ad alios. Est autem unctio infirmorum causa plurium effectuum, quorum aliqui respiciunt *discessuros*, alii *infirmos morti nondum proximos.* Potest itaque assumi ad ponendos effectus qui *discessuros* respiciunt, quando infirmi non longè sunt à morte; & quando morbus gravis est, sed nondum vitæ finis imminet, assumi potest ad procurandam *sanitatem corpoream.* Negligentiam quorundam, sive in hoc Sacramento suscipiendo, sive etiam in conferendo, *abusum* dicas velim nonnullorum privatorum, nolim dicas *usum Ecclesiæ.*

Objicit II. Sacramentum habet semper suum effectum in eo qui non fictus accedit. Atqui multi recipiunt, ut par est, unctionem infirmorum, neque tamen restituuntur *sanitati*:

inter mille vix unus, idque nemo vi Sacramenti, sed naturæ vel medicinæ beneficio fieri putat.

Respondet S. Thom. q. cit. a. II. in hæc verba: *Extrema-unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute divina, quæ rationabiliter operatur. Et quia ratio operans nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundùm quod expedit ad principalem; ideo ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem: & tunc super eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.* Eadem est doctrina Richardi, Bonaventuræ, Magistri, Hugonis à S. Vict. quam Eugenius IV. in decr. de unione Armen. & Conc. Trid. approbaverunt.

Quam responsionem Dominicus à Soto in IV. d. XXIII. q. I. a. II. concl. V. ad V. rejicit: ita tamen ut non inficietur eam esse conformem Decreto Eugenii, de qua Decreti sententia sic ille. *Non dixit hoc tanquam* ARTICULUM *fidei, sed* AD DOCTRINAM HUGONIS ALLUDENDO. Rationes, quibus adductus eam rejicit, propono & solvo.

Prima est. Multi unctione susceptâ recuperant sanitatem, qui postmodum sunt pejores, atque adeo expedientius eis fuisset tunc mori. Et è converso, multi tunc moriuntur etiam in gratia, qui fortè si in pristinam sanitatem redirent, pluribus meritis vitam suam exornassent.

Respondeo, duo hæc distingui: recuperare sanitatem *post unctionem*, & eam recuperare *per unctionem*: quia sanitas recuperari potest post unctionem *per naturam*, & per remedia medicinæ. Qui recuperant sanitatem *per unctionem* sunt in duplici differentia: vel enim pertinent ad numerum *electorum*, & illis recuperatio sanitatis proficit in ordine ad *salutem æternam*, seu futuram gloriam: vel pertinent ad numerum *reproborum*, & his restitutio sanitatis proficit in ordine ad salutem *temporalem*, seu ad præsentem justitiam, quia temporales sunt non æterni: neque verò pejores evadunt *pro omni tempore* subsequenti, sed tantùm pro aliquo, eoque maximè *finali* vitæ tempore. Sed qui à reparata sanitate pejores *semper* existunt, illi equidem *post unctionem* sanati sunt, sed non sunt sanati per *unctionem*. Ad id quod subjungitur, multos tunc mori, etiam in gratia, qui fortè si in pristinam sanitatem redirent, pluribus vitam suam meritis exornassent. Res-

pondeo, illos prædestinatos esse juxta hanc rationem & mensuram gratiæ ac gloriæ, non abundantiorem, juxta quam mensuram sanitas non debuit illis restitui.

Secunda est. Si quotiescunque salus corporis ad salutem animæ expediret infirmo, infirmus esset liberandus per Sacramentum, celeberrimo opus esset miraculo: quia sæpissimè tanta est iniquitas morbi, ut citra miraculum non possit sanari : miraculum autem expectare non attinet ad naturam Sacramenti.

Respondeo negando sequelam. Opus quidem est *virtute divina*, quia natura est impar ad iniquitatem morbi, ad restitutionem sanitatis. Cæterùm quæcunque fiunt *virtute divinâ* & non per naturam, non sunt miraculosa: quia miraculum est *res insolita*, seu *quæ rarò accidit.*

Tertia est. Sanitas corporis, licèt quandoque ad salutem animæ conducat, nunquam tamen est medium *necessarium*, & ideo non est ad illum finem necesse quòd per virtutem Sacramenti, quæ principaliter ordinatur ad salutem animæ, recuperetur salus corporis.

Respondeo sanitatem corporis, quæ ad salutem animæ conducit, non esse medium necessarium *simpliciter*, sed esse medium necessarium *hypothetice*, atque supposita ordinatione Dei, & eatenus esse necesse recuperari salutem corpoream per virtutem nostri Sacramenti.

Quod subjungit Dominicus Soto, Eugenium non id dixisse in suo Decreto *tanquam articulum fidei*, sed *alludendo ad doctrinam Hugonis*; verùm est, ita tamen ut alludendo huic doctrinæ Hugonis, cæterorumque Theologorum, eandem approbaverit tanquam veriorem, magisque receptam.

His præmissis, Dom. Soto responsurus objectioni ait: gratiam Sacramenti Extremæ-unctionis habere *vim supernaturalem sanandi à morbo corporeo*, quemadmodum gratia Confirmationis habet virtutem *ad juvandum Christianum, ut profiteatur fidem coram tyranno*, & gratia Eucharistiæ habet virtutem specialem *contra incursus dæmonum.* Sicut ergo virtus Confirmationis non est semper sufficiens, neque infallibiliter consequitur hunc effectum, propterea quòd confirmatus est aliquando *naturæ meticulosæ*, atque ob id faciliùs abnegat fidem, quàm alius vir fortis non confirmatus; & sicut virtus Eucharistiæ non est aliquando sufficiens propter *imbecillita-*

tem

tem nimiam suscipientis, ita ut quidam sine illa validiùs resistant quàm alii cum ipsa: quamvis, cæteris paribus, confirmatus fortior sit ad profitendam fidem non confirmato, & Corpore Christi saginatus magis sit idoneus ad sustinendos impetus dæmonis, quàm non refectus: ita cæteris paribus, unctus recuperat sanitatem faciliùs quàm non unctus: quæ quidem virtus unctionis adjuvat etiam *causas naturales*, quamvis morbus adeo gravis esse possit, ut ei propulsando gratia Sacramenti sit insufficiens. Imò posset nonnunquam ars & solertia peritissimi Medici *plùs* ad id conferre, quàm *virtus Sacramenti*: sicut virtus *fortitudinis* plùs valet ad propugnandam *fidem*, quàm virtus *Confirmationis*. Quo supposito, subjungit, *primarium* effectum Sacramenti esse certum & infallibilem, non tamen *secundarium*, cujus tota certitudo in hoc est posita, quòd ex natura sua semper ad illum effectum juvet: & quòd, si morbo invalescente adeo ut Sacramentum non sufficiat, contingat tamen hominem sanari; non erit *virtus* Sacramenti, sed *miraculi*, quod Deus in bonum Ecclesiæ & fidei operabitur.

Non placet ista responsio: quia bona temporalia, qualis est sanitas, non sunt *verè bona*, nisi in quantum conferunt ad *salutem animæ*, ex Augustino passim. At nihil potest habere rationem effectûs propriè dicti Sacramenti novæ Legis, nisi sit *verè bonum*.

Quæres, quis sit ordo inter effectus recensitos unctionis nostræ?

Respondeo, quòd si *corporea sanitas* comparetur cum cæteris tribus aliis, habet rationem effectûs *secundarii*; illi tres autem habent rationem effectûs *primarii*: quòd si tres illi conferantur inter se, remissio peccatorum *primum* locum tenet, *secundum* abstersio reliquiarum peccati, *tertium* denique gratia confortans atque allevians.

ARTICULUS QUINTUS.

Utrùm Sacramentum Unctionis infirmorum imprimat characterem?

NOSTRA propoſitio eſt negans, & de fide ex Conc. Trid. definiente characterem imprimi per tria duntaxat Sacramenta, Baptiſmum videlicet, Confirmationem & Ordinem. Ratio ſuffragatur: quia *character*, ut habet S. Thomas a. III. *non imprimitur niſi in illis Sacramentis, quibus homo ad aliquod Sacramentum deputatur. Sed hoc Sacramentum eſt ſolùm in remedium, & non deputatur per ipſum homo ad aliquod ſacrum agendum, vel ſuſcipiendum. Et ideo non imprimitur in eo character.* Sed quia ea lex eſt Sacramentorum novæ Legis, ut ea quæ non imprimunt characterem valeant iterari, nec iterari queant illa quæ imprimunt; quæritur utrùm *infirmorum unctio* poſſit iterari?

Agitata fuit hæc quæſtio ſæculo XII. Et quamvis nemo tunc exiſtimaret unctionem imprimere *characterem*, plerique tamen eorum cenſuerunt *non eſſe iterandam.* Ita Gofridus Vindocin. & Yvo Carnot. contra Petrum Cluniacenſem & Petrum Lombardum, Hugone Victorino primùm adſtipulante Gofrido idem adverſam in ſententiam declinante. Ut ea res erat in ancipiti apud Theologos, ſic & praxis Eccleſiarum varia: in quibuſdam minimè iterabatur, repetebatur in aliis, maximè verò in Eccleſia Pariſienſi, ex *ſtatutis Synodalibus Odonis.*

Qui negabant eſſe repetendam, iis maximè nitebantur fundamentis. I. quòd *Sacramentum* ſit: & ideo nullâ ratione iterandum. Ita Gofridus opuſc. IX. & Epiſt. cit. ad Yvonem Carnot. II. quòd ſit ſpecies quædam *Pœnitentiæ publicæ*: quæ Pœnitentia publica ſemel indulgeri debet. Ita Yvo Carnot. Epiſt. XX. l. II. Epiſt. Gofredi Vind. III. quòd eadem ſit ratio *unctionis infirmorum, quæ unctionum cæterarum*, Baptiſmalis videlicet, Confirmatoriæ, Sacerdotalis, Pontificalis, Eccleſiarum, vaſorum Eccleſiaſticorum: quæ omnes unctiones mini-

mè iterantur. Ita nonnulli apud Petrum Cluniac. Epist. 1. lib. 11.

Prævaluit tamen opposita sententia, quæ fuit Petri Cluniac. & Magistri, asseritque hoc Sacramentum posse iterari non modò in *diversis* infirmitatibus, sed etiam in *eadem* infirmitate, non quidem secundùm *eundem statum* infirmitatis, sed secundum *diversum*: puta, si cùm periculosè ægrotaret homo, inunctus convaluit, ac postea reversus est ad eundem statum infirmitatis. I. quòd, ut habet Petrus Cluniac. *Apostolus non ait*: INFIRMATUR QUIS IN VOBIS SEMEL: *sed nulla mentione unius, binæ vel ternæ unctionis factâ, jubet nullo præfixo numero, induci ad ægrum Presbyteros Ecclesiæ.* II. ubi iteratur *causa* unctionis, ibi potest iterari *unctio* propter quam illa instituta est. Atqui peccata propter quorum remissionem, & morbi propter quos curandos unctio infirmorum instituta est, iterantur. Potest itaque iterari unctio. Petrus Cluniac. ibidem. *Iterari enim, prout mihi videtur, necesse est infirmorum unctionem: quia iterari necessarium est peccatorum, propter quam illa fit unctio, remissionem.* Et S. Thomas in supplem. quæst. XXXIII. a. 1. *Nullum Sacramentale, nec Sacramentum, quod habet effectum perpetuum debet iterari: quia ostenderetur Sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectum, & sic fieret injuria illi Sacramento. Sacramentum autem quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine injuria, ut effectus deperditus iteratò recuperetur. Et quia sanitas corporis & mentis, quæ est effectus hujus Sacramenti, potest amitti postquam fuerit per Sacramentum effecta, ideo hoc Sacramentum sine injuria potest iterari.* III. propter inanitatem fundamentorum adversæ sententiæ. Quod enim dicunt, unctionem iterari non debere, quia *Sacramentum* est; frivolum penitus esse constat, ut patet de Eucharistia, Pœnitentia, & Matrimonio. Quod dicunt unctionem infirmorum esse speciem *Pœnitentiæ publicæ*, quæ semel conceditur, non est validius. Nam Pœnitentiam publicam, quantùm est ex Christi institutione, nihil prohibet iterari, quantùm verò est ex ordinatione Ecclesiæ, quamvis olim non iteraretur, Ecclesia tamen meliùs fore censuit, si repeteretur pro ratione iteratorum criminum. Quod denique subjungunt alii *cæteras unctiones semel fieri*, non me movet: tum quia cæteræ illæ sunt ex institutione Eccle-

ſiæ, quæ noluit eas repeti : ſed unctio infirmorum eſt ex inſtitutione Chriſti, qui voluit eam iterari. *Nam & hæc ſola*, inquit idem Petrus Venerabilis, *in toto novi Teſtamenti Canone invenitur, non more aliarum unctionum ex veteri Teſtamento mutuata, ſed jam in tempore gratiæ Apoſtolica ſuaſione & imperio inſtituta.* Tum denique quia, ut idem S. Thomas habet lib. IV. contra gentes c. LXXIII. *Hujus Sacramenti unctio non eſt ad conſecrandum, ſicut unctio Confirmationis, ablutio Baptiſmi, & quædam aliæ unctiones, quæ ideo nunquam iterantur, quia conſecratio ſemper manet, dum res conſecrata durat, propter efficaciam divinæ virtutis conſecrantis. Ordinatur autem hujus Sacramenti inunctio ad ſanandum. Medicina autem ſanativa toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur.*

DISPUTATIO SEXTA.

De Ministro Unctionis infirmorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm Laici sint Ministri hujus Sacramenti?

EX B. Jacobo, Ministri unctionis infirmorum sunt *Presbyteri*. Sed controvertitur quid eo nomine intelligatur? Utrùm *ætate* Presbyteri, seu seniores è Laïcis fidelibus? quod volunt Lutherus & Calvinus: an potiùs Presbyteri *dignitate*, seu Sacerdotes rite ordinati ab Episcopo per impositionem manuum? quod definit Concil. Trid. sess. XIV. de Extrema-unctione cap. III. & Can. IV.

Presbyteros *dignitate* intelligi probatur. 1. quia, ut optimè observat Estius ad hunc Jacobi locum, *Vix unquam in Scriptura novi Testamenti vox ista* PRESBYTER, *nomen est* ÆTATIS: *passim verò aut* POPULI MAGISTRATUS *eo vocabulo designantur, ut in Evangelio, & interdum in Actis Apostolorum: aut ii significantur Presbyterorum nomine, qui ad* EPISCOPALEM *aut* SACERDOTALEM *functionem* ORDINATIONE *sacra promoti sunt. Hoc autem modo accipitur, ubicumque de Ecclesiæ ministerio agitur: ut in Actis Apostolorum, & Epistolis Paulinis, ac nominatim etiam in his Epistolis, quæ* CATHOLICÆ

vocantur, ut in I. *Petri Epist. c.* V. *& in Epist. Joan.* II. *c.* III.

II. Quia series contextus docet istud. *Nam*, ut habet idem Estius, *non simpliciter* PRESBYTERI *dicuntur, sed* PRESBYTERI ECCLESIÆ: *tum quia jubentur* ORARE *super infirmum: deinde quia per eos unctio facienda præscribitur* IN NOMINE DOMINI: *denique quia per eorum ministerium* REMISSIO PECCATORUM *obtinenda promittitur.*

III. Ita locum hunc exposuere SS. Patres, Chrysost. lib. III. de Sacerdotio, ubi *proprium esse scribit Sacerdotum infirmos ungere, quemadmodum proprium iisdem est baptizare.* Innocentius I. Epist. ad Decentium appellat Ministrum unctionis modò *Presbyterum*, & modò *Sacerdotem*. August. Serm. CCXV. de Temp. vult *ut infirmus currat ad* ECCLESIAM, *recepturus per unctionem corporis sanitatem, suorumque peccatorum remissionem:* hoc quippe munus est proprium Sacerdotum, neque illis est commune cum senioribus laïcorum. Gregor. Magnus lib. Sacr. evidentius istud habet, quàm ut locum referre necesse sit. Concinit Augustino Eligius Noviom. Serm. ad populum. Beda in c. v. Jacobi. Crodogangus Metensis in Regula Canon. c. LXXI. Concil. Wormat. c. LXXII. Halitgarius Camerac. lib. III. c. XVI. referunt verba Innocentii. Capit. Caroli Magni lib. VI. c. LXXV. Eparchius in vita ejusdem Imperatoris testatur ipsum inunctum fuisse *ab Episcopis*: at non omnes Episcopi sunt *ætate* seniores. Conc. Aquisgran. II. c. v. Ministros nostri Sacramenti *Sacerdotes* appellat. Hincmarus Remensis loquitur in capitulis suis capit. x. *de Presbyteris dignitate.* Agobardus Lugdun. Epistolâ sæpius laudatâ, Presbyteros *Ecclesiæ Ministros* esse pronuntians, noster planè est. Jonas Aurel. appellat eos & *Presbyteros Ecclesiæ & Sacerdotes.* Constitutiones Ælfredi idem habent. Paschasius Radbertus in vita S. Adelhardi, & S. Prudentius in vita Sanctæ Mauræ significant *ætatis* rationem non haberi, sed *dignitatis.* Idem colligitur ex Everhelmo in vita S. Popponis Abbatis, ex Osberno in vita S. Dunstani, ex Conrado in vita S. Wolphelmi, ex Ruperto in vita S. Hereberti. Statuta Cluniacensia sub Hugone illud expressè docent. Idem Lanfrancus in Decretis *pro ordine S. Benedicti* c. XXIII. Petrus Damiani Serm. in Dedicat. Ecclesiæ &c.

IV. Nullius Sacramenti administratio pertinet ad Laïcos ex officio, quibus solus Baptismus, Christo ita instituente,

in casu *necessitatis* competit ex officio.

Et tria quidem prima argumenta ab eo munere *Diaconos* quoque ipsos excludunt. Quibus subjungi potest hæc ratio S. Thomæ a. II. q. XXXI. supplem. quòd videlicet Diaconus habet tantùm vim *purgativam*, sive repellendo immundos, sive disponendo eosdem ad Sacramenti susceptionem, & non habet virtutem *illuminativam*, quæ tamen convenit huic Sacramento ratione gratiæ quam confert.

Objicitur Innocentius I. Epist. ipsâ ad Decent. ubi significare videtur singulos fideles posse ungere infirmos. *Quod non est dubium*, inquit, *de* FIDELIBUS *ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm Sacerdotibus, sed* OMNIBUS *uti* CHRISTIANIS *licet in sua aut suorum necessitate* INUNGENDO.

Respondeo ut suprà, inunctionem qua fideles se suosque possunt in necessitate inungere, non esse *Sacramentum* unctionis, sed esse *applicationem olei* ab Episcopo consecrati factam *ex pietate*, in ordine ad procurandam *sanitatem corporis*. Ejusmodi unctionis permulta exempla retulimus disputatione II. ad hunc locum Innocentii. Et S. Thom. sibi objiciens a. I. de quibusdam *Presbyteris* in Ægypto legi, quòd oleum ad infirmos *transmittebant* & sanabantur; similiter de *B. Genovefa*, quòd oleo infirmos *ungebat* : ita respondit. *Dicendum, quòd illa unctiones non erant Sacramentales, sed ex quadam devotione recipientium talem unctionem, & meritis ungentium, vel oleum mittentium, consequebatur effectus sanitatis corporalis per gratiam sanitatum, non per gratiam Sacramentalem.* Addo *Sacramentalem esse quodammodo*, quando scilicet suscipitur per manus Laïci deficiente Sacerdote; & tunc tamen *Sacramentum non esse.* Mitto aliorum responsionem, quòd videlicet Innocentius loquitur de ipso *recipiente* Sacramentum, non de *conferente*, sensusque illius est, bonum esse omnibus fidelibus uti oleo sancto in suis aut suorum necessitatibus, advocando tamen Presbyteros, & recipiendo ab eis sacram unctionem. Ita Jansen. Gandav. ad c. VI. Marci. Hanc, inquam, prætereo responsionem. I. quia non erat dubium, utrùm *liceret* singulis Christianis recipere unctionem, sed sermo erat de *activa unctione*, quærebaturque utrùm Sacerdotes id possent cum exclusione Episcoporum. II. verba ista (*in*

ſua aut ſuorum neceſſitate) id evincunt. Nemo quippe utitur paſſivè unctione pro ſuorum neceſſitate, ſed bene illâ utitur activè.

At, inquies, quare Innocentius permittit cuilibet fideli hanc activè in ſua ſuorumque neceſſitate?

Reſpondeo permittere, quemadmodum permittitur, *deficiente aquâ naturali*, baptizare *in vino*, aut in aliquo alio liquore, & quemadmodum permittitur, abſente Sacerdote, Exomologeſim facere *apud Diaconum* vel apud *Laïcum*. Id verò permittitur non quaſi Baptiſmus in vino valeat, aut quaſi poteſtas ſit penès Diaconum vel etiam penès Laïcum abſolvendi à peccatis: ſed ut Miniſter Baptiſmi, vel etiam baptizandus faciat quod *ex parte ſua eſt*; & ut pœnitens faciat etiam quod *in ſe eſt*. Unde S. Thom. ſupplem. q. VIII. a. II. ad I. *Quando neceſſitas imminet, debet facere pœnitens quod ex parte ſua eſt, ſcilicet conteri & confiteri cui poteſt; quamvis Sacramentum perficere non poſſit, ut faciat id quod ex parte Sacerdotis eſt, abſolutionem ſcilicet: defectum tamen Sacerdotis ſummus Sacerdos ſupplet. Nihilominus confeſſio Laïco ex deſiderio Sacerdotis facta Sacramentalis eſt quodammodo, quamvis non ſit Sacramentum perfectum, quia deeſt ei id quod eſt ex parte Sacerdotis.* Et in c^c. a^i *In neceſſitate etiam Laïcus vicem Sacerdotis ſupplet, ut ei confeſſio fieri poſſit.*

Objicitur etiam Beda ad c. v. Jacobi ſcribens: *Infirmos moneri, ut* SENIORUM *adjutorio curari ſe meminerint, neque ad* JUNIORES *minúſque doctos cauſam ſuæ imbecillitatis referant.*

Reſpondeo, Bedam eo loci duplicem afferre ſenſum verborum iſtorum Apoſtoli. I. moralem, ad quem ſpectant verba quæ objiciuntur. II. litteralem ubi ſermonem facit de Preſbytero quoad *dignitatem* & non ſolùm quoad *ætatem*. Id habet referendo verba Innocentii.

ARTI-

ARTICULUS SECUNDUS.

Utrùm quilibet Sacerdos sit Minister unctionis infirmorum?

PRIMA sit propositio. Sacramentum hoc *valet* administratum à *quocunque* Sacerdote. Probatur, quia ut validè conferatur, non requiritur potestas *jurisdictionis*, sed sufficit potestas *Ordinis*.

Secunda propositio. Sacramentum hoc non potest administrari *licitè*, nisi Minister habeat *jurisdictionem* in suscipientes, *ordinariam* vel *delegatam*, qualem habet *Parochus* & is quem ille commiserit, adeo ut Religiosi illud administrantes secularibus sine licentia *Parochi* suscipientis aut *Episcopi* peccent mortaliter. Probatur: quia nemini Sacerdotum licet administrare ullum Sacramentum nisi suis subditis, excepto Baptismo, & Pœnitentia *in casu necessitatis*, ut patet ex Clem. I. *de Privilegiis*, ac nominatim *Extremam-unctionem*, sine licentia *proprii Sacerdotis*, sub pœna *Excommunicationis*, si sint *Religiosi*. Et Clement. *Dudum, De sepulturis* vetitum est Religiosis ne se intromittant in officia Pastorum Parochorum.

Quæres utrùm Religiosi *in defectum* proprii Sacerdotis vel ab eo deputati, sive id casu sive malitiâ contigerit, possint conferre *licitè* moribundo Sacramentum istud: an verò conferendo peccarent, atque subjacerent excommunicationi latæ per *Clementinam* citatam?

Respondeo, quòd neque subjacerent excommunicationi, neque peccarent, sed *licitè* conferrent. Ita Dom. Soto, Sylvius, Nugno, aliique quamplures contra Navarrum in Manuali c. XXVII. num. CI. Probatur: quia Ecclesia Clementinis relatis intendit solùm coercere *audaciam Religiosorum*, atque prohibere ne invadant *officium Parochorum*: & quando statuit, ut Sacramenta non administrentur à Sacerdote nisi suis *subditis*, noluit eâ lege destituere moribundos beneficio *Extremæ-unctionis* defectu Parochi vel ab eo delegati, ne fortè privarentur æterna salute, quod contingere posset, si vel haberent aliqua peccata mortalia remittenda, vel non confirmarentur oleo sacro adversùs tentationes extremas. Et si quilibet Sacerdos habet potestatem absolvendi à quibusvis

peccatis & censuris in articulo mortis constitutos; par est etiam quemlibet habere potestatem in hoc articulo administrandi Sacramentum illud, quod est complementum pœnitentiæ, & datur ad robur, ut homo eo adjutus perseveret usque in finem.

Dices. Sacramentum unctionis infirmorum non est Sacramentum *necessitatis*.

Respondeo, non esse Sacramentum necessitatis *singulis*, esse *pluribus*, & *singulis* esse maximæ *utilitatis*. Quare lex Ecclesiastica quæ vetat unctionem administrari per Sacerdotes aliis quàm subditis, lata fuisset in detrimentum fidelium, si deficiente Parocho, & quovis alio potestatem ab ipso Parocho habente, Sacramentum hoc non posset conferri per quemlibet alium Sacerdotem.

ARTICULUS TERTIUS.

Quot Sacerdotes necessarii sint ad conferendam unctionem infirmorum?

LUTHERUS voluit *plures* de necessitate requiri. Subscripsit Calvinus. Uterque fundamentum repetivit ex modo loquendi plurali Jacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Concinit Simeon Thessalonic. existimans necesse esse ut à *tribus* saltem Sacerdotibus administretur.

Præmitto *septem* Sacerdotes requiri in Ecclesia *Orient. ex consuetudine*. Quod probatur ex Euchologio. De quo Sacerdotum numero Simeon Thessalonic. *Septem*, inquit, *esse vocandos consuetudine traditum est. Quod fieri arbitror propter dona septem Spiritus, quæ apud Esaiam enumerantur. Vel propter illos septem antiquæ Legis Sacerdotes, qui divino jussu circumeuntes urbem Hierico septies tubis cecinerunt, atque mœnia diruerunt. Ut etiam hîc septem Sacerdotes urbem, duraque mœnia altitudinum peccati demoliantur. Vel etiam tanquam mortuâ existente animâ, ut supra puerum illius Sunamitidis ad imitationem Prophetæ, septies orent Sacerdotes, & eam suscitent, prout sanè excitavit puerum Elizæus septies reversus, septies item precatus. Vel quemadmodum Elias septies orans, cælum quod peccantibus*

clauserat, rursus aperuit, atque deduxit pluviam: sic isti septies deprecati solvant quidem squallorem peccati, acceptâ verò gratiæ clave, non secus atque Petrus aperiant cælum, atque misericordiam à Deo remissionis velut imbrem deducant.

In Occidente *plures* quoque Sacerdotes requisitos fuisse olim docent lib. Sacram. S. Greg. apud Menardum, his verbis. MULTI *enim Sacerdotes infirmos perungunt in* V. *sensus corporis.* Favent Codices Rotradi, Tillianus, Remigio-Remensis. Scriptor vitæ Caroli M. *Oleo sancto inunctus ab* EPISCOPIS. Scriptor vitæ S. Oswaldi. *Convocatis fratribus, hortatur* EOS *impendere sibi ministerium sacræ unctionis.* S. Thom. l. IV. contra Gentes c. LXXIII. *Quia*, inquit, *hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ; competit huic Sacramento, quòd* MULTI *Sacerdotes intersint, & quòd oratio totius Ecclesiæ effectum hujus Sacramenti coadjuvet.* Waldenses, teste Reynerio laudato I. disput. *reprobabant Sacramentum nostrum unctionis propter plures rationes, atque inprimis propter plures Sacerdotes, inquit, ibi necessarios.*

Porrò multis modis *multi* Sacerdotes unicum infirmum simul inungebant. Aliquando *unus oleum applicabat, altero formæ verba pronunciante*, ut in libro Sacram. S. Greg. ex Codice Menardi, & ex Codice Rotradi. Aliquando *singuli ungebant easdem omnes corporis partes, & ungendo formam proferebant*, ut in Codice Tilliano & Remigio. Remensi. Aliquando *unus unam partem, alter aliam*, ut in Euchologio Græcorum quisque ex septem Sacerdotibus legitur ungere membrum distinctum.

Consuetudo ista *plures* advocandi Sacerdotes, cui accessit avaritia Ministrorum aliquas pecunias exigentium pro ministerio, occasio fuit pauperibus negligendi hujus Sacramenti, quasi *solorum divitum* esse deberet. Abusus quoque iste fuit occasio Waldensibus illius reprobandi, de quibus Reynerius. *Sacramentum unctionis reprobant: quia* TANTUM DIVITIBUS *datur, & propter* PLURES *Sacerdotes ibi necessarios.* Et infrà. *Occasio. Quia hoc Sacramentum nulli datur* SINE PRETIO: *& hoc facit* PLURALITAS *Sacerdotum.* Et postea. *Prædicant quidam nulli Sacramentum hoc debere dari, nisi qui possit habere saltem* DUAS VACCAS. *Unde pauperes graviter scandalizantur. Item dicunt, quòd duodecim lumina sunt necessaria in unctione.*

Id tamen vitium præter mentem Ecclesiæ fuit, reclamantibus Præsulibus; quod declaratur ex Synod. Constitutionibus Odonis Parif. sæculo XII. editis, in his verbis. *Cum reverentia deferatur oleum sanctum ad infirmos, & eos ungant Sacerdotes cum magno honore & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ, &* NIHIL INDE PENITUS EXIGATUR *sive à paupere sive à divite, sed si quid gratis datum fuerit, gratis accipiant. Ad Sacramentum Extremæ-unctionis moneant populum Sacerdotes, non tantùm divites & senes, sed* PAUPERES *& juvenes omnes à tempore discretionis, maximè à* XIV. *annis & suprà, & ad omnia communiter, ut se paratos exhibeant, cùm necesse fuerit.* Item ex Synodalibus Galonis & Simonis Legatorum Sedis Apostolicæ in Galliam missorum per Innocentium III. & Honorium III. circa eadem tempora, iisdem penè verbis. Item ex Synodo Andegavensi anni M. CCXCIII. *Nos quoque accepimus, referentibus fide dignis, quòd illud Sacramentum, sine quo, ut dicunt sancti, periculosum est in hac vita migrare, ex quadam* NEGLIGENTIA *obmittatur: imò, ut veriùs loquamur, ex* SACERDOTUM RAPACITATE ET AVARITIA, *qui in collatione hujus Sacramenti novas & insolitas* EXACTIONES *inducunt, aliquando petendo linteamina, quibus jacens inungitur ægrotans, in aliquibus locis nostræ Diœcesis reperimus fieri per abusum, aut per alias exactiones illicitas, quod est turpe dicere faciendo. Quare præcipiendo injungimus Ecclesiarum Rectoribus & Capellanis, ut populum sibi commissum diligenter hortentur, ut infirmi extranei morbi necessitate gravati pro Sacerdote mittant, & hoc Sacramentum tantùm est in extremo vitæ articulo conferendum, quando infirmus in brevi ex hac vita credatur migraturus. Caveant quoque dicti Rectores & Capellani, ne in dicti collatione Sacramenti* ILLICITAS EXACTIONES *faciant, si divinam & Canonicam voluerint effugere ultionem.* Item ex Synodalibus Remensis & Trecensis Ecclesiæ circa initium XV. sæculi. *Ne propter hoc aliquid* EXIGAT, *nisi ex post facto pro labore aliquid de consuetudine debeatur.* Item ex Synodo Senon. anni M. DXXIV. *Moneant Sacerdotes suos Parochianos omnes tam* PAUPERES *quàm divites, ut Extremæ-unctionis Sacramentum dignè reverenter & devotè petant & accipiant, quando ex aliqua gravi infirmitate se in periculo mortis existiment constitutos.* His præmissis.

Nostra sit propositio. Absolutè loquendo unicus sufficit

Sacerdos ad inungendum ægrotum. Ita communiter Theologi post S. Thomam lib. IV. contra Gentes c. LXXIII. his verbis. *Si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiæ, cujus minister existit, & cujus personam gerit.*

Probatur I. ex Alexandro III. c. *Quæsivit*, *De verb. significatione*, ubi definit, quòd *Sacerdos uno præsente Clerico & etiam* SOLUS *potest infirmum ungere.*

II. Ex vita S. Eugendi constat unctionem ministratam esse ab *unico*. Ex Everhelmo in vita S. Popponis. Ex verbis cujusdam Matronæ ad S. Dunstanum in ejus vita per Osbernum. Ex inunctione S. Wolphelmi, in ejus vita per Conradum Monachum scripta. Ex inunctione Hereberti Coloniensis, in ejus vita, Ruperto authore.

III. Ex Conc. Aquisgran. II. Can. V. Hincmaro Rem. in Capitulis, capit. X. Constitutionibus Ælfredi Constit.

IV. Ex eo quòd olim *Episcopus* Minister ejus esse declaratur ab Innocentio I. absque eo quòd necesse habeat assumere alium vel *Collegam*, vel *Sacerdotem* ad illud ministrandum. *Cæterùm*, inquit, *illud superfluum videmus adjectum, ut de* EPISCOPO *ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est: quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterùm si* EPISCOPUS *aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum & benedicere & tangere Chrismate, sine cunctatione potest.* Favet quoque factum Prudentii Tricassini in vita S. Mauræ. Si unicus Episcopus potest esse Minister unctionis infirmorum, causæ nihil est, cur plures Sacerdotes ad id requirantur: quia Episcopus inungit per potestatem Ordinis, non jurisdictionis.

V. Quia nullum est fundamentum contendendi plures Sacerdotes de necessitate requiri. Non in *Scriptura*, quia utitur *plurali* numero pro *singulari*, ut observavimus disput. II. Non in Traditione, è qua constat *unicum* Sacerdotem sufficere, ex mox dictis.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrùm Episcopus sit minister hujus Sacramenti?

RES olim vocata fuit in controversiam à nonnullis, quibus videbatur hoc Sacramentum esse ita proprium *Sacerdotis*, ut ab ejus ministerio *Episcopus* excluderetur: contra quos Innocentius I. Epist. ad Decent. pronunciavit. Pronunciavit quoque Conc. Regiaticense c. VIII. Carolus Magnus, ut author est Monachus Engolismensis, *inunctus est ab Episcopis.* S. Maura à Prudentio Tricassino, ut ipse de se testatus est in ejus vita. Huc facit visio Gofredi Ambian. horâ ipsâ obitûs Hugonis Cluniacensis, in ejus vita scripta per Hugonem Monachum, de qua nos suo loco diximus. Denique favet ratio: quia *Episcopus* potest quicquid potest *simplex Sacerdos.*

DISPUTATIO SEPTIMA.

De subjecto Unctionis infirmorum & ejus necessitate.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrùm hoc Sacramentum debeat conferri sanis?

IN Ecclesia *Latina* Sacramentum Unctionis confertur *solis infirmis* : & omnes Theologi post S. Thomam in supplem. q. XXXII. a. I. contendunt institutum esse pro *solis infirmis.* Fundamentum repetunt I. ex verbis S. Jacobi: INFIRMATUR *quis in vobis?* Et : *Oratio fidei salvabit* INFIRMUM. Nam, inquiunt, cùm Apostolus, ubi promulgavit Sacramentum istud, meminerit solùm ægrotantium, signum est quòd institutum pro iis solis à Christo fuerit. Confirmant ex Concilio Trid. concludente ex iisdem Scripturæ verbis, *infirmos* esse subjectum illius. Adducunt etiam modum loquendi SS. Patrum, Scholasticorum, Pontificalium, & Innocentii III. c. unico *De sacra unctione* appellantium materiam istius Sacramenti, *oleum infirmorum.* Sed vim faciunt maximè in verbis Decreti Eugenii. *Hoc Sacramentum* NONNISI INFIRMO, *de cujus morte timetur, dari non debet.* Unde Palud. in IV. d. XXIII. q. III. SANUS *non est inungendus, nisi instinctu Spiritus sancti si peteret: sicut de multis habetur, quòd sani se fecerunt inungi, sed statim, ut prædixerant, fuerunt mortui.* Et Michaël de Bononia eadem d. q. II.

putat quidem *senibus* sine aliqua infirmitate corporea existentibus administrari posse : sed subjungit, quòd tales multoties moriuntur sine actuali infirmitate ex subito defectu naturæ, quæ defectio naturæ reputatur eis pro actuali infirmitate ex solito defectu naturæ. Synodus Carnot. anni M. DXXVI. *Nolumus Extremam unctionem dari adultis* SANIS, *quia eis nihil prodesset, cùm sit Sacramentum pro* INFIRMIS SOLUM *institutum.* Idem ante duos annos Synodus Senonensis docuerat.

In Ecclesia *Græca* confertur non ægrotantibus modò, sed etiam peccatoribus *sanis* & benevalentibus, ad absterſionem reliquiarum peccatorum. Cujus praxis testis est Arcudius lib. v. de Extrema-unctione c. ult. in hæc verba. *Adeo ut modò non pudeat passim Græcorum Presbyteros hoc oleum instar Sacramenti ex imperitia* BENEVALENTIBUS *administrare.* Et antea c. IV. relatis authoribus Græcis, qui contendunt Sacramentum istud benevalentium esse peccatorum & infirmorum, subjungit. *Favet multùm nominatis authoribus authoritas* EUCHOLOGII, *in quo non tantùm* ÆGROTUS, *sed etiam* SANUS *qui sit ungendus introducitur. Favet item* PRÆSENS GRÆCORUM CONSUETUDO, *quæ quidem viget non in aliquo angulo Græciæ, sed* UBIQUE PASSIM, *quam eandem retinet hac nostra ætate tota Russia, universaque Moscovia.* Et Goarus in notis suis ad S. olei officium. *Gravi afflictos ægritudine, deque salute recuperanda desperantes, officio præsenti super eos recitato, unanimi cum Latinis consensu in domibus Græci ungunt : imò & ægroti plerique è plebe, aliorum manibus & ope ad Ecclesiam se deferri student, tum ut sacrorum præsentiâ, & animo levamen, & corpori miraculi alicujus experimentum in recuperanda salute obveniat, ibique plurium nonnunquam dierum spatio in Cathecumenæis jacent, pernoctant, morantur, & sacra tandem unctione sibi remedium exposcunt.* Et postea. *Contingit tamen, fateor, aliquando, ut officio peracto, ex astantibus plerique, vel benedictionis spiritualis obtinendæ, vel levis alicujus doloris eos affligentis leniendi gratiâ, unctionis medelâ se curari exoptent : quod præstant Sacerdotes, eadem oratione ac super ægros recitata.* Et infrà loquitur de eodem ritu in hunc modum. *Ritus, quo gravioribus subditi peccatis, licèt sint* EX OMNI PARTE SANI, *quia tamen ægrotorum delicta sanctam unctionem curare noverunt, illam deinceps pro Canone, idest pœnitentia acceptam, & à*

Sacerdotibus

Sacerdotibus totâ precum harum serie se expiandos & infirmorum unctione velut adversâ animæ valetudine affectos & medendos offerunt. Et infrà. *Addo* UNUMQUEMQUE *oleo sancto ab Episcopo benedicto* SE SE IN ECCLESIA ORIENTALI UNGENDUM OFFERRE FERIA V. IN COENA DOMINI, *unctionemque ejusmodi, ut peccatorum antidotum & sanctitatis largitricem sacræ communioni* PRÆVIAM, *Episcoporum manu suscipere.* Ac denique Leo Allatius lib. III. *de Ecclesiæ Occident. & Orientalis perpetua consensione* c. XVI. num. III. de iisdem Græcis ita loquitur. *Non tantùm infirmos, sed* SANOS *quosque homines Extrema-unctione, & sæpius inungunt.*

Praxis istius meminit Hieremias Constantinopol. in sua censura adversus Augustanam confessionem l. I. c. VII. scribens. *Illis verò qui post Baptisma peccaverunt, Pœnitentia, consecratique* OLEI UNCTIO *conducunt: quæ Sacramenta aut remissionem præteritorum peccatorum largiuntur, aut sordes animæ inhærentes expurgant.* Job Monachus in contemplatione VII. Ecclesiæ mysteriorum sic habet. *Tempus autem quo oporteat suscipere Euchelæon,* TOTA EST MORTALIUM VITA POST PECCATUM AD EXTREMUM USQUE SPATIUM. *Cúmque opus sit statim post errata illud sumere, plerumque tamen ob humanam oblivionem & ignorantiam, verecundiam item & negligentiam, atque omnino propter quascunque alias humanas passiones, etiam post ultimas horas exhibetur.* Simeon Thessal. lib. *de* VII. *Sacramentis*, ante CCCC. annos composito: *Sanctum oleum traditum est, veluti sacrum mysterium, divinæque misericordiæ typus, quod in redemptionem & sanctificationem præbetur* HIS QUI SE A PECCATIS CONVERTENT. Facit & ad probandam antiquitatem ritûs istius Ecclesiæ Orientalis, Epistola Innocentii IV. ad Episcopum Tusculanum, in qua prohibet, *ne Sacerdotes Græcorum aut Confessores pro satisfactione Pœnitentiæ unctionem aliquam solummodo injungant.* Nam cùm solam Sacerdotes isti unctionem injungerent, sermoque esset de *sanis* atque benevalentibus, & Pontifex prohibeat ne injungant solam unctionem, conficitur ex hac loquendi ratione non prohibuisse Pontificem injungi unctionem post absolutionem Sacramentalem. Faciunt denique ad id fortasse loci Chrysostomi & Origenis suprà citati. Nam si vera est observatio Dallæi, locuti sunt de ea unctione quæ sanis æque ac infirmis apud Orientales adhibebatur.

Quæres I. Utrùm hujusmodi unctio reputari debeat nostrum *Sacramentum?*

Respondeo affirmativè. Quia præter *materiam* habet *formam* consuetam: *Pater sancte &c.* habet quoque *Ministrum.* Goarus opponit Pontificem ungentem benevalentes haud intendere Sacramentum illis administrare, cujus sunt incapaces, quia nullâ detinentur infirmitate. Sed frustra. Nam saltem Pontifex habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & id sufficit. Intendit ungere homines, verba formæ unctionis Sacramenti proferendo in ordine ad abstergendas peccati reliquias, qui est alter ex effectibus Sacramenti unctionis. An verò benevalentes sint incapaces Sacramenti nostri, disputatur inter *Latinos* & *Græcos*, his negantem sententiam propugnantibus, illis affirmantem.

Quæres II. Utrùm Græci versentur in errore, sustinendo Sacramentum unctionis esse institutum æque pro *sanis* ac *ægris?*

Respondeo negativè. Nam neque Scripturæ, neque *Conc. Trid.* neque *Decretum Eugenii*, nec denique *nuncupatio materiæ* illius id postulant. Scriptura jubet ungi infirmos: non excludit *sanos*. Concilium Trid. pronunciat subjectum unctionis esse *infirmos*, ad eum modum quo S. Jacobus cujus verbis nititur. Eugenius in Decreto declarat, quòd *nonnisi infirmo dari debet*: sed non ait, quòd *pro infirmis solummodo fuerit institutum*. Nunc Eucharistia *nonnisi suæ rationis compotibus* conferri debet: neque tamen instituta fuit *pro solis qui usum rationis habent*. Eugenius declaravit qualis esset *praxis Ecclesiæ Romanæ*, quam voluit Armenos amplecti; non declaravit præcisè qualis esset *institutio Sacramenti*. Denique *materia* Sacramenti appellatur *oleum infirmorum* à Latinis potissimùm, qui attenderunt ad usum nostræ Ecclesiæ, neque respexerunt ad institutionem Sacramenti: aut etiam sic nuncupatur, ut distinguatur ab alio oleo: quia ordinatur *præcipue* ad infirmos, licèt non solos perungendos.

Et sanè præterquam quòd praxis Ecclesiæ optima est interpres Scripturæ; unde rectè colligitur Jacobum Apostolum non commemorasse infirmos cum exclusione *sanorum*, quandoquidem Ecclesia *Orientalis* confert illud Sacramentum *sanis* & *ægrotis*: dico præterea praxim istam non posse argui; quia *Latini* nunquam redarguerunt Græcos de ea. In Conci-

lio Florentino, in quo Occidentales de multis quæsivere ab Orientalibus post Synodicam definitionem, nihil de unctione. Innocentius IV. Epist. cit. ad Tusculanum Episcopum, culpavit Sacerdotes Græcos, non quia peccatores *sanos* ungebant, sed quia pro satisfactione Pœnitentiæ injungebant *unctionem solam.* Denique si praxis ista fuit *Orientalis* Ecclesiæ antiquæ praxis, si Chrysostomus & Origenes de ea praxi testimonium perhibuere; non video qua ratione Græci culpari in eo valeant, quia vetus Orientalis Ecclesia culpari nisi temere non potest.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quibus infirmis hoc Sacramentum debet administrari?

DISTINGUENDUM est *genus* infirmitatis à *modo* & *statu* infirmitatis. Certum est, quòd si genus infirmitatis spectetur, unctio infirmorum potest in qualibet ægritudine conferri: quia nullum est infirmitatis genus, quod non possit augeri, periculosum fieri, atque ad mortem perducere. Sed quæritur, qualis *modus* & *status* infirmitatis esse debeat, ut unctio infirmantibus administretur?

Duæ sunt sententiæ. Quidam putant quòd necesse sit ægrotum *esse*, vel *putari in exitu vitæ*, seu debere esse vel haberi *morti proximum.* Synodus Andegav. an. M. CCXCIII. *Hoc Sacramentum* TANTUM EST IN EXTREMO VITÆ ARTICULO *conferendum, quando infirmus in brevi ex hac vita credatur migraturus.* Alii existimant sufficere si morbus sit *periculosus.* Ita S. Thom. supplem. q. XXXII. a. II. *Hoc Sacramentum*, inquit, *est ultimum remedium quod Ecclesia potest conferre, quasi immediatè disponens ad gloriam. Et ideo illis tantùm infirmantibus debet exhiberi, qui sunt in statu exeuntium, propter hoc, quòd ægritudo nata est inducere mortem, & de periculo timetur.*

Nostra sit propositio. Et iis qui *in exitu* constituti esse videntur, & iis qui periculosè infirmantur, etiamsi nondum sint in illo statu *exeuntium*, Sacramentum unctionis infirmorum potest administrari. Prior pars est adversùs Lutheranos & Calvinistas irridentes Romanam Ecclesiam, quæ *moribundos* inungit, ut observavimus disput. I. Probaturque I. ex

Decreto Eusebii Romani. II. ex Pœnitentiali Theodori Cantuariensis. III. exemplis sanctorum qui perungi voluerunt in exitu constituti, Tresani scilicet, Bedæ, Hunnegundis, Caroli Magni, Adelhardi, Mauræ, Remberti, Oswaldi, Popponis, Dunstani, Godehardi, Leonis IX. Wolphelmi, Fulcranni, Hereberti, Malachiæ. Quibus adjungimus Ludolfum, Geroldum, Bosonem, Theotonium, Robertum de Arbrucellis. IV. ex eo quòd appellatur à Concilio Trid. post sanctos Patres *Sacramentum exeuntium.* V. ex Codice Arremarensi, in quo nuncupatur *reconciliatio ad mortem.* VI. ex ejus effectibus, maximè verò abstersione reliquiarum peccati, quô nihil impediat infirmum à consecutione gloriæ æternæ.

Posterior pars ostenditur I. ex Conc. Trid. his verbis: *Declaratur etiam esse hanc unctionem* INFIRMIS *adhibendam, illis verò* PRÆSERTIM, *qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur:* quibus Concilium significat evidenter, unctionem esse adhibendam etiam infirmis, qui non tam periculosè decumbunt, ut in exitu constituti esse videantur. II. ex Decreto Eugenii, ubi pronunciat subjectum non esse *nisi infirmum de cujus morte timetur.* Quæ sanè loquendi ratio involvit etiam ægrotantes qui nondum in exitu constituti esse videntur. III. ex S. Thoma opusc. LXV. & in supplem. verbis mox relatis, explicante quid sit esse in statu exeuntium per hæc verba: *Propter hoc, quòd ægritudo nata est inducere mortem, & de periculo timetur.* Ex quibus consequens est, ut infirmus inungi possit, Beato Thomæ satis esse si periculosè decumbat, etiamsi non videatur constitutus in exitu. IV. alter ex effectibus unctionis infirmorum est *restauratio corporeæ sanitatis.* Ergo potest conferri quando nondum desperata est sanitatis restauratio. Nam frustra conferretur ad hunc effectum consequendum homini in exitu constituto: quia Sacramentum non operatur hunc effectum per modum *miraculi,* sed operatur illum virtute *ordinaria supernaturali*, quæ naturales causas adjuvat. V. Apostolus infirmitatem designando, non postulat ut homo sit *in exitu* constitutus. VI. SS. Patres non censuerunt oportere infirmum esse *morti proximum* ad inunctionem nostram, quod patet ex Augustino Serm. CCXV. de Temp. Cyrillo Alex. lib. VI. de Adorat. Eligio Noviom. Serm. ad pop. Beda in c. V. Epist. Canon S. Jac. Apost. Agobardo Lugdun. Ep. cit. Nam illi omnes indicant ungi solitos

fuisse infirmos, *ut sanitati corporeæ restituerentur.* VII. ex lib. VI. Capitul. Caroli Magni c. LXXV. liquidum evadit, adhibitam unctionem tunc temporis fidelibus nondum constitutis in exitu, imò suffecisse si foret ille *depressus infirmitate, nondum vitæ fine perspecto.* Idem liquet ex Can. V. Concilii Aquisgr. II. ubi præcipitur Sacerdoti ungere eum quem *depressum infirmitate* agnoverit, etiamsi *nondum urgentem vitæ illius finem perspexerit.* VIII. ex Conc. Mogunt. c. XXVI. requirente duntaxat, ut infirmi sint *in mortis periculo* positi. Huc facit ritus ille, quo infirmus per *septem continuos dies* perungebatur, de quo nos suo loco dicturi sumus.

Quæres, utrum melius sit ungi infirmum, ex quo versatur *in vitæ discrimine*, quàm expectare tempus quo videatur infirmus esse constitutus in exitu?

Respondeo *utrumque bonum esse*, utrumque fulciri *sanctorum exemplis*, utrumque firmari *rationibus* haud spernendis. Qui *principio infirmitatis periculosæ* petunt inungi, quærunt in Sacramento cum suorum remissione peccatorum, abstersione reliquiarum peccati, & animæ alleviatione, *sanitatem corpoream*, cui restituendæ infirmiores sunt vires naturæ & artis. Qui tempus expectant, quo constituti videantur esse *in exitu*, quærunt in Sacramento (neglectâ corporeæ sanitatis recuperatione) peccatorum indulgentiam, abstersionem reliquiarum peccati, & *ultimam dispositionem ad gloriam*, quam, remotis omnibus obicibus, consequantur statim per Sacramentum, metuentes, ne si citius perungerentur, contraherent aliquid quo retardarentur ab ejus consecutione. Intentio posteriorum videtur maximè pura atque defæcata. Priorum magis est conformis præsenti intentioni Ecclesiæ, quæ multis orat inter administrandum, restitui sanitatem corpoream suscipienti. In Codice tamen Arremar. patet, orationes istas quibus restauratio corporeæ sanitatis postulatur à Deo, dici solitas *in prima visitatione infirmi*, quando Sacramenta Pœnitentiæ atque Eucharistiæ ipsi conferebantur, non in *secunda* visitatione, quæ nuncupatur ibidem *reconciliatio ad mortem*, & in qua *infirmus ungebatur*, atque *Viaticum* recipiebat. Quæ cùm ita sint, existimo melius esse non differre usque *ad vitæ exitum*, maximè verò non esse protelandum usque ad hanc horam, quâ infirmus sensu careat, sicut non est conveniens recurrere ad hoc cœleste medicamentum *in*

levi ægritudine, cui facilè succurri potest per naturalia remedia. Rectè Synodus Lingon. anno M. CCCCIV. *Quia hoc Sacramentum tunc datur, cùm* INFIRMITAS MORTALIS *videtur, propterea frequenter infirmi aliqui mortem dubitantes illud recusant recipere, vel differunt quantum possunt, & in tantum, quòd morte præventi recedunt absque Sacramenti receptione: idcirco debent per omnes honestas vias induci ad recipiendum, & debet eis dici, quòd si recusent vel differant recipere, ex eo quòd contemnunt Sacramentum, peccant mortaliter & graviter. Et licèt dicant, quòd non faciant ex contemptu, debet tamen dubitari, ne malignus spiritus eos extrahens in extremo decipiat. Dicendum etiam est eis, quòd non debent dubitare, quòd per receptionem hujus Sacramenti veniat mors, verùm potiùs veniet utraque sanitas mentis & corporis, si devotè & dignè recipiant.* Lege Conc. Burdigal. an. M. DLXXXII. Remense an. M. DLXXXIII. Bituric. an. M. DLXXIV.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrùm justis, an solis peccatoribus unctio extrema conferri debeat? ubi & de præcepto illius percipiendi agitur.

QUÆSTIO potest institui de *justis* qui nunquam peccaverunt *actualiter*, qualis piè creditur fuisse *B. Virgo Deipara* unica: & de iis qui rei sunt peccati alicujus *venialis*, de quibus postremis quæritur an sint *capaces* istius Sacramenti: & an *lege* aliqua teneantur ad illud suscipiendum?

De *peccatoribus* etiam ambigitur, utrùm possint ungi antequam reconciliati fuerint per absolutionem Sacramentalem?

Prima sit propositio. Justus qui nunquam peccavit actualiter, non est capax suscipiendi Sacramenti unctionis. Est contra Albertum Magnum, S. Bonaventuram, Richardum de Mediavilla, & nonnullos recentiores, quibus placet B. Virginem, de qua sola controvertitur (unde Nugno ad quæst. XXXII. supplem. a. II. difficul. II. scribere non dubitavit *istam quæstionem esse prorsus impertinentem ad mores, quia præter B. Virginem nullus est purus homo qui non habeat aliquod peccatum actuale*) in extremo vitæ exitu positam, accepisse

hoc Sacramentum, ut humilitatis & bonorum operum exemplum singulare præberet fidelibus: maximè cùm, non obstante speciali ejus immunitate à peccato originali, ejus debito, & ab actualibus, non minùs esset obnoxia tentationi per diabolum injectæ ab extrinseco, quàm Christus Dominus; eademque morte instante haberet debilitatem corporis ab intrinseco provenientem, qua ad eum statum pervenerat, in quo anima non poterat ampliùs conservari naturaliter in suo corpore: quæ duo Theologi isti existimant sufficere ut possit suscipi nostrum Sacramentum.

Probatur tamen propositio nostra inprimis verbis formæ: INDULGEAT *tibi Dominus quicquid* DELIQUISTI. Ex quibus rectè S. Thomas q. mox cit. a. IV. ad I. *Non datur contra reliquias originalis peccati, nisi secundùm quod sunt per actualia peccata quodammodo confortata: unde principaliter contra actualia peccata datur, ut ex ipsa forma patet, quæ non sunt in pueris.*

II. Aliàs (quam etiam rationem S. Doctor tetigit verbis citatis) *pueri*, & *perpetuò amentes* possent suscipere hoc Sacramentum: quia sicut adversarii contendunt sufficere B. Virginem tentari potuisse ab extrinseco ad hoc ut capax esset illius; ita contendi posset infirmitatem corpoream sufficere ad hoc ut pueri & perpetuò amentes capaces sint illius: & tamen nemo hactenus pronunciare ausus est conferendam unctionem *pueris* atque *perpetuò amentibus.*

III. Sacramentum institutum per modum *medicinæ* animi, tanquam *Pœnitentiæ publicæ genus quoddam*, & tanquam *consummatio atque complementum Pœnitentiæ*, supponit peccata delenda in suscipiente. Atqui ex SS. Patribus relatis & inferiùs referendis, Sacramentum unctionis est institutum per modum *animi medicinæ*, tanquam *Pœnitentiæ publicæ quoddam genus*, & tanquam *consummatio atque complementum Pœnitentiæ.*

Objicies I. Jacobus non supponit peccata actualia esse debere in subjecto unctionis, quandoquidem utitur tantùm particula conditionali: *Quòd si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Concilia & Patres explicant solùm verba Jacobi: adeoque quando pronunciant de unctione extrema, quòd sit *medicina animæ*, quòd sit *pœnitentia publica*, quòd sit *complementum pœnitentiæ*; intelligendi sunt conditionatè duntaxat, hoc

eſt, ex hypotheſi quòd ſuſcipiatur ab habente peccata actualia, in illis hæc præſtat, & de ſe nata eſt ejuſmodi effectus habere. Verba formæ eodem modo poſſunt exponi, eoque connaturaliùs quòd uſus vult, quando Sacramentum iſtud *cæco à nativitate* adminiſtratur, Sacerdotem ungendo dicere: *Quicquid deliquiſti per viſum.*

Reſpondeo, ex dictis II. diſput. particulam (*ſi*) ſæpè uſurpari in Scripturis pro *conceſſione rei certæ*, & non tantum pro *conditione rei dubiæ.* An verò Jacobi V. uſurpetur pro *conditione rei dubiæ*, quærendum aut in *textu* ipſo, aut in *Traditione.* Textus non aperit, aperit ipſa Traditio, quæ pronunciat abſolutè unctionem eſſe inſtitutam tanquam *remedium, medicinam, pœnitentiam.* Unde non ſequitur: Concilia & Patres explicant tantùm verba Jacobi: adeoque quando pronunciant de Extrema-unctione, quòd ſit *medicina, remedium, pœnitentia*, intelligenda ſunt *conditionatè* duntaxat. Nam Concilia & Patres explicant verba Jacobi, ita ut doceant particulam (*ſi*) non eſſe particulam *conditionalem* eo loci, ſed eſſe particulam ſignificantem peccata certò remitti per unctionem infirmorum. Ad id quod ſubjungitur de verbis formæ, reſpondeo *cæcum à nativitate* non poſſe peccare per viſum *exteriùs*; peccare tamen poſſe per viſum *interiùs*, hoc eſt, per voluntatem in ordine ad viſum; & ſic verificantur in illo hæc verba formæ: *Quicquid peccaſti per viſum.* S. Thom. cit. q. a. VII. c. *Dicendum*, inquit, *quòd mutilati etiam inungi debent quanto propinquiùs eſſe poteſt ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerat: quia quamvis non habeant membra, habent tamen potentias animæ, quæ in illis membris debentur, ſaltem in radice; & interiùs peccare poſſunt per ea quæ ad partes illas pertinent, quamvis non exteriùs.*

Objicies II. Homo qui nunquam peccavit actualiter, poteſt per noſtrum Sacramentum ſuſcipere *augmentum gratiæ ſanctificantis præparantis ad gloriam*: eſt etiam de ſe *debilis* & *infirmus* ad ſuperandas inſidias dæmonis ratione peccati originalis, reliquiarum ejus, & ægritudinis. Ergo indiget propriis auxiliis Sacramenti iſtius & fortitudine quæ in illo tribuitur.

Reſpondeo negando primam partem antecedentis. Quia noſtrum Sacramentum non confert augmentum gratiæ ſanctificantis præparantis ad gloriam, niſi per modum *medicinæ*

& remedii. Ad alteram partem dico post S. Thomam suprà, unctionem extremam non posse mederi debilitati & infirmitati quæ nascitur ex peccato Originali in homine *nullo peccato actuali* infecto, sed ei soli mederi, quæ est quodammodo confortata per *actualia peccata.*

Objicies III. Si quis baptizetur in fine vitæ & *Viaticum* suscipiat, potest & debet suscipere *unctionem.* Ergo & qui nullo peccato actuali infectus est: quia etiam iste nullum habet peccatum, siquidem omnia remittuntur per Baptismum etiam quoad pœnam.

Respondeo, hominem qui baptizatur in fine vitæ, atque suscipit *Viaticum* Eucharistiæ, non esse statim à suscepto Baptismate perungendum, quia non sunt in eo peccati reliquiæ confortatæ per actualia peccata.

Objicies IV. Si quis post peccata actualia sanctissimè vivat, & per multos annos ex privilegio, omni peccato careat, potest recipere hoc Sacramentum.

Respondeo non posse, *si revelatum ei fuerit*, quòd sit absque omni peccato: quia verò id non est, neque, si esset, *revelaretur*, imò fides docet *neminem esse absque peccato*, hinc fit quòd quilibet fidelis adultus potest inungi.

Objicies V. Sicut Extrema-unctio ordinatur *contra peccati reliquias*, ita Baptismus ordinatur *contra peccatum originale.* Sed quibus remissum fuit Originale peccatum, Baptismus potuit administrari, ut Apostolis. Ergo &c.

Respondeo, Baptismum collatum fuisse Apostolis, Christo Domino dispensante cum illis, atque volente ut aditus illis in Ecclesiam nonnisi per Baptisma pateret. Unde sequitur tantùm quòd posset *ex privilegio* speciali dispensari cum aliquo immuni ab omni peccato actuali, ut sacro infirmorum oleo deliniretur. Deinde Baptismus non est solummodo contra Originale peccatum, sed est præterea contra *omnia peccata commissa* ab iis qui non sunt in Ecclesia: quare potuit Apostolis administrari in ordine ad hunc effectum. Sed Extrema-unctio est instituta *per se* contra peccati reliquias quascunque: unde quibus nullæ sunt peccati reliquiæ, unctio extrema conferri non potest.

Secunda propositio. Justi peccatorum *venialium* rei sunt *capaces* unctionis infirmorum. Probatur 1°, ex usu Ecclesiæ

Orientalis & Occidentalis. II. quia verba formæ verificantur illorum respectu.

Tertia propositio. Justi solorum sibi conscii peccatorum *venialium*, non *tenentur* divino præcepto suscipere in exitu sacram unctionem infirmorum, *seclusis specialibus circumstantiis*, quamvis teneantur illud *non spernere*. Prima pars probatur: quia Jacobi v. continetur equidem exhortatio ad illud Sacramentum suscipiendum, non *præceptum*: & ex *Traditione* minimè constat de *præcepto divino*.

Secunda pars probatur: quia justus aliquis potest graviter *tentari* sub finem vitæ suæ, contra quas tentationes unctio extrema est instituta, quam si tunc non susciperet, exponeret se periculo jacturæ suæ salutis.

Tertia pars ostenditur: quia, ut S. Thomas habet III. p. q. LXV. a. IV. ad III. *omnium Sacramentorum contemptus est saluti contrarius.*

Quarta propositio. Qui sibi sunt conscii peccatorum *mortalium* de quibus confiteri nequeunt, neque absolvi sacramentaliter (quocunque tandem modo id fieri possit) illi tenentur præcepto divino in infirmitate constituti recipere Sacramentum Extremæ-unctionis. Probatur: quia est institutum tanquam *medium ordinarium* ad remissionem peccatorum mortalium in hac circumstantia, ut patet ex dictis, ubi de ejus effectu.

Quinta propositio. Nullo præcepto Ecclesiastico *singuli* fideles adulti tenentur suscipere in exitu unctionem infirmorum: quædam tamen *leges privatarum Ecclesiarum* ad id obstrinxerunt quosdam de Ecclesia. Prior pars ostenditur: quia nulla *lex Ecclesiastica* hujusmodi proferri potest. Neque etiam id evincitur *ex praxi Ecclesiæ*: tum quia ostendi non-potest ea semper fuisse praxis Ecclesiæ: tum quia etiamsi praxis ea fuerit, posset dici praxis fuisse orta ex consideratione utilitatis atque exhortationis Apostoli, non ex obligatione; quod requiritur ut praxis inducat præceptum.

Posterior ostenditur, de Ecclesia Anglicana ex pœnitentiali Theodori Cantuar. ubi habetur, ungendos esse infirmos, *ne illis janua pietatis clausa videatur.* Et ex Can. XXX. Ælfrici. *Quidam ægroti hoc nihili pendunt, & in ægritudine sua se non concedunt inungi. Dicam quid de iis docuit Jacobus Domini Apostolus.* De Ecclesiis Gallicanis & Germanicis, ex

Capitularibus Caroli Magni lib. VI. c. LXXV. Cabilon. II. c. XLVIII. Aquiſgran. II. c. V. Mogunt. c. XXVI. Heraldo Turon. Iſaac Lingon. Jona Aurelian. locis multoties relatis. Quibus adjungo Syn. Andegav. an. M. CCXCIII. *Nos quoque accepimus, referentibus fide dignis, quòd illud Sacramentum, ſine quo, ut dicunt ſancti, periculoſum eſt in hac vita migrare, ex quadam negligentia obmittatur.* Synodos Remenſis & Trecenſis Eccleſiæ. *Sæpe moneant Sacerdotes populum, quod priuſquam* XIV^m *annum compleverint maximè Sacramentum Extremæ-unctionis petant, & recipiant reverenter, ſi timeatur veriſimiliter de morte infirmorum, quia neceſſarium eſt ad ſalutem iſtud Sacramentum, ſi poſſit haberi.* Synod. Galonis & Simeonis Legatorum. *Ad Sacramentum Extremæ-unctionis moneant ſæpe Sacerdotes populum, non tantùm divites, ſed etiam pauperes, & omnes maximè à* XIV. *annis & ſuprà, & omnibus communiter, cùm fuerit neceſſe exhibeant ſe paratos.* Addo & Petrum de Honeſtis in Regula lib. II. c. XXXII. Obſerva locis iſtis eas voces: *Secundùm B. Jacobi Apoſtoli documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt. Secundùm Canonicam authoritatem. Secundùm traditionem Apoſtolicam, & ſanctæ Eccleſiæ morem.* Præcedentibus ſæculis nihil legi quo conſtet unctionem in aliquibus Eccleſiis fuiſſe præceptam.

ARTICULUS QUARTUS.

Utrùm dari debeat furioſis, amentibus & pueris?

PRIMA ſit propoſitio. Extrema unctio conferri debet furioſis & amentibus qui *habent lucida intervalla*, quique eam ſuſcipere poſſunt *cum reverentia.* Probatur: quia capaces ſunt illius, ut par eſt, ſuſcipiendæ.

Secunda propoſitio. Non debet iis conferri, qui *non habent lucida intervalla*, etiamſi antequam in hunc ſtatum incidiſſent, illam poſtulaverint. Probatur: quia Sacramentum quod non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem nulli conferri debet cum periculo irreverentiæ. Atqui non ſine periculo irreverentiæ furioſis & amentibus hujuſmodi Extrema-unctio adminiſtraretur, quæ non eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem.

Addidi has voces (*non ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem*) ut occurrerem objectioni de Baptiſmo , qui confertur *furioſis* : & quem S. Thom. in ſupplem. q. XXXII. a. III. ad II. docet in eo diſtingui ab Extrema-unctione , quòd ad ſui ſuſceptionem non requirat motum liberi arbitrii , cùm unctio illum requirat.

Tertia propoſitio. Extrema-unctio non debet adminiſtrari *pueris* , qui non peccaverunt. Probatur I. quia nulli debet conferri Sacramentum, cui forma Sacramenti non congruit. Sed forma Sacramenti unctionis : *Indulgeat tibi Dominus &c.* non congruit pueris qui non peccaverunt. II. quia hoc Sacramentum exigit actualem devotionem in ſuſcipiente.

DISPUTATIO OCTAVA.

De cæremoniis Unctionis infirmorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De iis quæ adhibentur ante Unctionem.

BENEDICTIO OLEI.

DE hac satis, ubi de materia, disput. III.

LOCUS IN QUO UNCTIO ADMINISTRATUR.

Duplex est : *Ecclesia*, vel *cubiculum infirmi* decumbentis in lecto.

De *Ecclesia* constat ex observatis, ubi de ritu Græcorum. Quibus subjungimus authorem vitæ S. Oswaldi de eo scribentem. *Regressus in* ORATORIUM, *convocatis fratribus hortatur eos impendere sibi ministerium sacræ unctionis.* Et in vita Wilelmi Abbatis Hirsaugiensis. *Tertio die jussit portari se in* ORATORIUM *S. Mariæ.* Et apud S. Bernardum in vita S. Malachiæ c. XXXI. *Interea jubet se sacro oleo ungi, exeunte Conventu fratrum, ut solemniter fieret, non sustinuit ut ad se ascenderent :* IPSE DESCENDIT AD EOS. Et apud Mathæum Parif. in vita Joan. XXIII. Abbatis S. Albani, de quo hæc scribit. *Et non procul à sede sua, sed circiter medium* CHORI

unctionibus infirmorum semper adesse consueverat.

Cubiculum alter locus est, in quo & frequentiùs administratur propter gravitatem ægritudinis ejus qui eam suscepturus est. In *lectulo* ipso in quo decumbit conferri solet. In ordine Cluniacensi olim *lectulus* ad hanc cæremoniam *peculiaris* erat, ut constat ex statutis sub Hugone, his verbis: *Rogat ut oleo infirmorum ungatur : & tunc collocatur* IN LECTO TALI, *idest* IN TERRAM DEMISSO, *ubi fratres possint undique circumstare.* Aliquando tamen, si per vires liceret *extra lectum in cubiculo* conferebatur, ut colligitur ex Codice Siculo antiquo, qui servatur in Bibliotheca Barberiana : ibi enim observatur, quòd Sacerdote pronunciante hanc orationem : *Domine Deus qui per Apostolum &c. infirmus genua flectit, & quòd* STAT AD DEXTERAM SACERDOTIS. Postea: *Et sic* FLECTAT GENUA QUI EST LANGUIDUS. ET STET AD DEXTERAM SACERDOTIS, *& sic cantetur hæc antiphona :* SANA DOMINE INFIRMUM ISTUM *&c.* Idem habet Codex Tillianus.

PROCESSIO AD LOCUM UBI DECUMBIT INFIRMUS.

Sacerdos, cui munus ungendi concreditum est, *procedere* debet ab Ecclesia ad *locum*, in quo decumbit ægrotus, eo ordine qui præscribitur in Ritualibus. Vetus Anglicanum, quod observavimus sapere octavum sæculum, hæc habet. *Dum invitati Sacerdotes ad infirmum fuerint visitandi, ungendique causâ, qui eorum ad illud officium dignus jure censetur, induat se super humerali, albâ & stolâ cum phanone atque planeta si affuerit; sin aliàs, casulâ non induatur. Diaconus verò, qui Evangelii textum ferat & oleum infirmorum, & ceroferarii secundùm ordinem suum se induant. Unus ceroferariorum dextrâ cereum, sinistrâ aquam benedictam teneat : alter verò dextrâ cereum, lævâ thuribulum cum incenso sic induti. Cùm domum in qua infirmus jacet intrare voluerint, Sacerdos lævâ Codicem, in quo hu us officii orationes habentur, teneat ; dextrâ se signo Dominicæ crucis muniat, quatenus cum summa humilitate & timore Domini, quod inceperit perficere valeat.*

INTERROGATIO INFIRMI, QUÆ FIT A SACERDOTE.

Sacerdos ingressus cubiculum infirmi, post aspersionem domus & circunstantium ex aqua benedicta, dicto: *Pax huic domui*: post nonnullas quoque orationes pronunciatas, sic eum juxta vetus Pontificale Anglicanum compellat: *Ut quid nos vocasti, frater? Infirmus dicat: Ut unctionem mihi tradere dignemini.* Codex Ratoldi. *Hic dicat Sacerdos ad infirmum. Quid me advocasti frater? Ille ait: Ut mihi unctionem tradas. Dicit Sacerdos ad eum: Donet tibi Dominus noster Jesus Christus veram facilemque unctionem; tamen, si te respexerit, & sanaverit te Deus, custodies illam? Respondet: Custodiam.* Codex Remigio Remensis. *Tunc Sacerdos ad infirmum dicat: Vocasti? Infirmus dicat: Desideravi tecum loqui, ut mihi pœnitentiam & remissionem peccatorum tradas. Sacerdos dicat: Det tibi Dominus Jesus Christus veniam. Tamen si Deus in te respexerit, custodies illam? Infirmus respondet: Custodio.*

RECITATIO ORATIONIS DOMINICÆ ATQUE SYMBOLI.

In quibusdam Ecclesiis infirmus recitare tunc solebat *orationem Dominicam* & *Symbolum* cum *signaculo sanctæ Trinitatis*. Codex S. Mariæ Remensis ante D. annos scriptus, quem laudat Morinus lib. x. de Pœnit. c. XV. *Infirmus dicat* ORATIONEM DOMINICAM *&* SYMBOLUM *cum* SIGNACULO SANCTÆ TRINITATIS. In Remigio-Rem. post Psalmos, Litanias, cæterasque orationes *Symbolum* recitatur. Deinde habet Codex iste: *A Sacerdote dicatur ad infirmum: Credis, frater, quod diximus* SYMBOLUM? *Cum responderit, aut nutu significaverit: Credo: ungatur.*

CONFESSIO PECCATORUM FACTA SACERDOTI.

Codex siculus Barberinus. *Antequam ungatur infirmus,* CONFITEATUR OMNIMODIS DEO ET SACERDOTI SUO PARITER OMNIA PECCATA SUA, *& reconciliationem ab*

eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum priùs per confessionem adapertis, digniùs proficiat ei unctio spiritalis medendo nequitiarum putredinem interiùs latitantem. Vetus Pontificale Anglicanum. *Pòst, ejus accipiat* CONFESSIONEM. Remigio-Rem. *Dehinc Sacerdos audiat* CONFESSIONEM *ejus, sicut meliùs inquirere poterit aut scriptis aut verbis.* S. Mariæ Remensis. *Et faciat* CONFESSIONEM.

CINIS ET CILICIUM.

Codex Ratoldi. *Tunc Sacerdos faciet crucem ex* CINERE *cum aqua super pectus ejus, & imponit* CILICIUM *desuper dicens: Si quis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex necessitate, quia misericors est Deus.* Remigio-Rem. *Tunc facit crucem ex* CINERE *super pectus infirmi, & imponit* CILICIUM *super caput ejus. Post hæc sequuntur pœnitentiales Psalmi septem.* S. Mariæ Rem. *Deinde incipiat Sacerdos septem Psalmos pœnitentiales & orationes, & preces dicat super pœnitentem, faciens crucem ex* CINERE *super pectus ejus, & imponens* CILICIUM*, dum Psalmi cantentur. Postea reconcilietur.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De iis quæ adhibentur in ipsa Unctione.

INFIRMUS UNGI PETIT.

REQUIRITUR ab infirmo, utrùm velit perungi? Paschasius in vita S. Adelhardi Corbeïensis Abbatis. *Cùm cæpisset idem sanctus Episcopus à nobis percontari, utrùm benedictionis oleo, sicut à Beato Apostolo sancitum est, deberet perungi? Interrogamus eum* UTRUM-NE VELLET? *quem proculdubio scieramus peccatorum oneribus non detineri. Quod ille audiens, erectis oculis in cælum cominus obsecrabat ut fieret.* Canones Ælfrici. *Nemo eum præsumat ungere nisi* EXORATUS. B. Lanfrancus Cantuar. in decretis pro ordine S. Benedicti c. XXIII. *Si infirmus magis ad mortem quàm ad salutem tendere videatur, & se* PETAT INUNGI. Codex S. Mariæ Rem. *Tunc Sacerdos accipiens*

accipiens oleum, ungat infirmum, ita tamen si infirmus inquisitus hoc VOLUERIT.

UNCTIONES FIUNT CRUCEM FACIENDO.

Codex antiquissimus Ecclesiæ Turon. cujus Morinus meminit ad calcem operis sui de Pœnitentia, quemque observat non esse minorem octingentis annis: *Sic perungat infirmum de oleo sanctificato,* CRUCES *faciendo.* Codex Siculus: *Sic perungant singuli Sacerdotes infirmum de oleo sanctificato* CRUCES *faciendo.* Vetus Pontificale Anglicanum: *Et sic ungat infirmum de oleo sanctificato,* CRUCEM *faciendo.* Codex Tillianus idem habet cum Siculo. Remigio-Rem. *Vngatur à Sacerdote, vel à plurimis Sacerdotibus, de oleo sanctificato facientibus* CRUCES *singulis.*

ORATIONES ET PSALMI.

Ex libris seu Codicibus laudatis apparet, quòd in principio & in consummatione unctionis Sacerdos solebat olim fundere quasdam *orationes*, dumque inungeret, atque inungendo formam Sacramenti pronunciaret, circumstantes recitasse *Psalmos, antiphonas, versiculos* vel *orationes.*

HYMNI, *CHRISTE COELESTIS*, RECITATIO.

Hymnus iste, qui incipit *Christe cælestis &c.* (quem reperies in Morino, ex veteri Codice Siculo lib. cit. de *Pœnitentia*, & apud Georgium Cassandrum) decantari solebat à Clero inter ungendum, seu post unctionem, antequam infirmus Corpori & Sanguini Domini communicaret.

Articulus tertius.

De iis quæ adhibentur post Unctionem.

EUCHARISTIÆ PARTICIPATIO.

Uncto infirmo *Eucharistia* olim porrigebatur. Patet istud ex Decreto Eusebii Papæ apud Yvonem Carnot. & Burch. citato disput. II. *Sacerdos impleat omnia sicut suprà circa ægrotantem pœnitentem scriptum est, id est, orationes dicat, & ungat eum oleo sancto, &* Eucharistiam *ei donet.* Pontif. Greg. M. *Deinde communicet eum Corpore & Sanguine Domini.* Pœnitentiali Theod. Cantuar. *Et ideo secundùm authoritatem Canonicam, ne illis janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti, secundùm statuta Sanctorum Patrum, communione* Viatici *reficiantur.* Idem habet Conc. Mogunt. c. XXVI. Hincmar. Rem. capit. x. *Si ipse Presbyter visitet infirmos, & inungat oleo sancto, &* communicet *per se.* Auth. lib. de Divinis Officiis, Ratherio Veron. in Serm. Synod. Codicibus antiquis Turon. Siculo, Arremar. Ratoldi, Sagiensi, Ræmigio-Remensi, S. Mariæ Rem. Praxis verò legitur in Beda, referente Guilelmo Malmesbur. his verbis. *Tunc, accitâ congregatione inunctus est &* communicatus. In Hunnegunde, de qua conscriptor vitæ: *At illa conversa ad eos qui illic assidebant Presbyteros, sacræ unctionis oleum &* Eucharistiam *sibi petiit ministrari.* In Carolo Magno, de quo Eparchius: *Oleo autem sancto inunctus ab Episcopis, &* Viatico *sumpto & omnibus suis dispositis, commendans Deo spiritum suum obiit in pace.* In Adelhardo, referente Paschasio. In Remberto Bremensi. In Oswaldo Eboracensi. In Matrona quadam, referente authore vitæ S. Dunstani Cantuar. In Leone IX. In Fulcranno Lodevensi. In Hereberto Coloniensi. In Statutis Congregationis Cluniacensis sub Hugone. In Decretis Lanfranci, pro ordine S. Benedicti. In Wilelmo Abbate Hirsaugiensi. In Regula Clericorum, authore Petro de Honestis. In Malachia Episcopo Hyberniæ. In Theotonio Presbytero. In Roberto de Arbrucellis. Et hæc eadem praxis etiamnum

viget *in ordine Cisterciensi.* Ita quemadmodum olim Baptismus, Confirmatio & Eucharistia conferebantur continenter homini recèns nato; homini proximè morituro tria quoque continenter conferebantur, Pœnitentia, Unctio, & Eucharistia. Pœnitentia est alter Baptismus, cujus complementum est unctio, quemadmodum complementum Baptismi est Confirmatio, Eucharistia verò est mox nati & mox decessuri.

Quæritur an infirmi peruncti communicarent sub *unica* specie, vel sub *utraque?*

Respondeo: quo tempore laïci communicare solebant sub *utraque* specie, in Ecclesiis illis in quibus ritus iste observari consueverat, ordinariè *utramque* speciem fuisse traditam infirmis post unctionem. Huc faciunt Codex antiquus Turon. *Deinde communicet eum* CORPORE *&* SANGUINE *Domini.* Siculus. CORPUS *&* SANGUIS *Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Arremarensis, in quo duplex ordo distinguitur: alter *ad visitandum infirmum* simpliciter, & in eo Sacramenta *Pœnitentiæ & Eucharistiæ* illi administrata leguntur, & quidem posterius sub hoc ritu: CORPUS ET SANGUIS *Domini nostri Jesu Christi sint tibi ad perpetuam salutem hic & in æternum:* alter qui dicitur *reconciliatio pœnitentis ad mortem*, in quo post unctionem habetur: *Hic communicet eum:* haud dubiè non alia ratione quàm in prima visitatione. Codex Ratoldi: CORPUS ET SANGUIS *Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam te perducat, & in die judicii ad sanctam requiem te resuscitet.* Sagiensis seu Tilianus: *Post hæc communicet eum Sacerdos* CORPORE ET SANGUINE *Domini.* Remigio-Rem. *Communicet infirmum tunc dicens:* CORPUS *Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.* SANGUIS *Domini nostri Jesu Christi redimat te in vitam æternam.* Et in ritu altero abreviato, cum infirmus ingravare cœperit: *Corpus & Sanguis &c.* Observa differentiam istorum rituum. Nam juxta Codicem Remigio-Rem. quando non ita gravabatur infirmus, species panis separatim à specie vini conferebatur: juxta eundem Codicem, nec non aliquot alios, quando ægrotus ad eas redactus angustias, ut speciem panis præ imbecillitate vix sumere posset, ut & sacrum calicem nonnisi cum aliquo periculo effusionis, species panis *intincta* in specie vini porrigebatur ægro-

to in cochleari. Concinit, & maximè illustrat istud Codex S. Mariæ-Rem. in hæc verba: *Post unctionem & istas orationes communicet Presbyter infirmum, mittens sacrificium in* VINUM, *& dicat.* FIAT UNITIO ET CONSECRATIO CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI OMNIBUS SUMENTIBUS IN REMISSIONEM PECCATORUM IN VITAM ÆTERNAM.

Apposui in responsione particulam hanc (*ordinariè*,) ut innuerem, quòd infirmi communicabant *aliquando* sub *unica* specie. Et quidem, *de specie sola panis*, historia Serapionis apud Eusebium lib. VI. Histor. Eccl. evincit. *De sola vini specie*, Concilium Tolet. XI. Can. XI. Nolim omittere, quòd Eucharistia sub specie panis *intincta aquâ vel vino*, quo posset deglutiri, fuit aliquando porrecta infirmis, ut idem Eusebii locus evincit.

ITERATIO UNCTIONIS, PARTICIPATIONIS EUCHARISTIÆ ET PRECUM.

Codex Turonensis, cujus meminimus, habet: *Et sic faciant illi per* SEPTEM *dies, si necessitas fuerit, tam de Communione, quam de* ALIO OFFICIO (unctionis videlicet) *& suscitabit eum Dominus. Et si in peccatis sit dimittuntur ei. Debent etiam Sacerdotes & Ministri sanctæ Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies vesperas & matutinas, cum hymno:* CHRISTE COELESTIS: *& cum antiphonis & responsoriis, sive lectionibus & orationibus ad hoc pertinentibus.* Idem habet Codex quo Menardus usus est. Idem Codex Sagiensis seu Tiliianus. Est tamen aliquid corruptum in ea Rubrica. Et Remigio-Remensis habet. *Et* SEPTEM *dies, vel multo plures, si necessitas fuerit, tam de Communione, quàm de* ALIO OFFICIO *erga infirmum fiat, ut, sicut Apostolus dicit, imò per eum Spiritus sanctus ait: si in peccatis fuerit dimittentur ei. Debent etiam ex Ministris sanctæ Ecclesiæ procurare in* (lege, *ut*) *Canonici cursus circa eum decantentur, idest, Matutinæ, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperum, Completorium.*

Quæritur, an unctio, quæ nomine Officii illic exprimitur, esset *iteratio* Sacramenti unctionis?

Respondeo affirmativè, contra Mathæum Galenum in Promptuario Theol. Catech. c. LXXXII. scribentem. *Ad hæc*,

non fiebat illud perfunctoriè & properanter, sed ubi æger non convalescebat, redibant eódem Sacerdotes per SEPTIDUUM *ungentes, non quidem* SACRAMENTUM *toties repetentes, sed statis precibus unctione curantes laborantia membra, præbentesque sanctam Eucharistiam.* Probatur responsio: quia verba ista *(quàm de alio officio)* referuntur ad illud quod factum fuit. Quod verò factum fuit, est unctio Sacramentalis, & non unctio solarum partium laborantium.

MISSA PRO INFIRMO.

In Codicibus Arremarensi & Remigio-Remensi legi duas Missas, alteram *pro infirmis*, & alteram *pro infirmo qui proximus est morti.* Et post hanc secundam Missam habetur in Præfato Arrem. hæc Rubrica. *Si autem infirmus ita in lecto detentus est, ut ad Ecclesiam vel ad Missam ire non poßit, Sacerdos accipiet librum Sacramentorum, stolam ad collum habens summa cum devotione veniat ad infirmum, salutans eum verbis divinis. Inprimis dicat collectam ad diem pertinentem, & Epistolam. Postea legat Evangelium. Deinde dicat: Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus Domino. Sequitur præfatio, usque Sanctus. Inde dicat: Oremus. Præceptis salutaribus, cum oratione Dominica. Usque Per omnia sæcula sæculorum. Postea communicet eum. Sequitur oratio post communionem. Summopere cavendum est, ut ante exitum, sive jejunus sit infirmus, sive refectus cibo, Viaticum sacræ communionis accipiat.*

Quamplures Rituum istorum non sunt ampliùs in usu, inprimis verò administratio Eucharistiæ consequens ad unctionem (si ordinem Cisterciensem excipias) quæ modò illam antecedit duntaxat. Non iteratur quoque unctio. Qui verò sunt in usu modò, varii sunt juxta varias consuetudines Ecclesiarum. Quamobrem ab illis proponendis, exponendisque lubens abstineo.

Finis Tractatûs de Sacramento Extremæ unctionis.

EXTRAIT DU PRIVILEGE du Roy.

PAR Grace & Privilege du Roy, donné à Versailles le cinquiéme jour de Juin, l'an de grace 1685. Signé, Par le Roy en son Conseil, BAUDOÜIN: Et scellé. Il est permis au Sieur JERÔME DE SAINTE BEUVE Prieur de Saint Jean de Montauriol, de faire imprimer par tel Libraire ou Imprimeur qu'il voudra choisir, deux Traitez intitulez *Tractatus de Confirmatione & de Extrema unctione infirmorum*, composez par deffunt le Sieur JACQUES DE SAINTE BEUVE Docteur de la Maison & Societé de Sorbonne, & Professeur en Theologie dans les Ecoles de ladite Maison, son frere, durant le temps de dix ans; avec deffenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, Libraires, Imprimeurs ou autres, de le rimprimer, faire rimprimer vendre ni debiter sous quelques pretextes que ce soit, à peine de trois mil livres d'amende, de confiscation des Exemplaires, de tous depens, dommages, & interests, ainsi qu'il est porté plus au long dans lesdites Lettres de Privilege.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 30. Juillet 1685.

Signé C. ANGOT, Syndic.

Et ledit Sieur Prieur de Sainte Beuve a cedé & transporté son droit de Privilege à Guillaume Desprez.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 29. d'Avril 1686.